



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
1
5 F
18
ROMA

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX

FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÉGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

IMPRIMÉE PAR DIDOT.

SECONDE SOUSCRIPTION.






PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, N° 1, PLACE DE L'ANCIEN-OPÉRA.


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
5 -F
18
ROMA

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS.

On souscrit, à Paris,

CHEZ **N. E. LEMAIRE**, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
J. DIDOT, l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont-de-Lodi, n° 6.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ, PÈRE ET FILS, imp. lib. rue Saint-Louis, n° 46, au Marais; et rue de Richelieu, n° 47.
TREUTTEL et **WURTZ**, libraires, rue de Lille, n° 17.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JULES RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
MONGIE aîné, libraire, boulevard des Italiens, n° 10.
H. VERDIERE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

EXCUDEBAT A. PIHAN DELAFOREST,
SUPREMI JUDICUM ORDINIS
TYPOGRAPHUS.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA

CUM VARIETATE LECTIONUM

ARGUMENTIS

ET SELECTIS VARIORUM ADNOTATIONIBUS

QUIBUS SUAS ADDIDIT

PETRUS-AUGUSTUS LEMAIRE

IN SCHOLA NORMALI PROFESSOR.

VOLUMEN PRIUS.



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR.

MDCCCXXX

EDITORIS PRÆFATIO.

Lucanum edere jampridem meditanti nullum unquam tempus contigit magis opportunum, quam duo hi magni menses, per quos Gallia nostra libertati fortiter adhærens violatasque leges splendidissime ulta, æternum virtutis et sapientiæ exemplar posteritati tradidit. Juvenes enim juvenem patriæ amantissimum, infensum tyrannis, servitutique animose repugnantem, iisdem accensi studiis, eadem modo ira frementes, melius (absit verbo invidia) intelligere nobis videmur. Et ipsius poetæ Romani memoria quodammodo præsenti rerum gloriæ immiscetur, quum undique exsurgat urbana illa Parisiorum militia (*la garde nationale*) sub eodem venerando duce, qui anno 1789 civium gladiis inscribendum hunc Pharsaliæ (IV, 579) versum dederat :

Ignorantne datos ne quisquam serviat enses ?

Sed qua nos fruimur felicitate, illam ne sperare quidem audebat Lucanus. Inde factum est, ut, alto dolore ardens, quo magis animum despondebat, eo vehementiori indignatione in turpem sæculi sui abjectionem invectus, naturalis eloquentiæ fines excederet, et ampullas plerumque sectaretur. Quippe virilis illa mens, quum se a fœdo servitutis contactu velit eximere, omnes sensus verbis exaggerat, omnia crimina acerbat, sæpiusque extra modum nimio impetu abripitur. Quod quidem vitium, etsi nullo excu-

sandum nomine, minori tamen reprehensione dignum videtur in juvene quem scimus longe ante maturitatis annos morte carmina sancivisse.

De Pharsalia judicium singillatim ferre nostri non est propositi. Imperfectum sane et inchoatum tantummodo poema Neronis sævitia intercepit; sed quædam insunt argumento vitia quibus se nunquam expedire valuisset scriptor. Unum præsertim capitale mihi videtur, quod nullus in scenam inducatur heros, ad quem varii eventus, rerumque summa pertineat, cujus vel præsentis vel absentis magnitudinem lectores semper intueantur et foveant. Pompeius quidem, tanquam romanæ libertatis assertor, primas tenet; sed quis eum heroa dicat? Immo fatentem habemus auctorem : *Stat magni nominis umbra!* Cæsar vero, quem probris odiisque oneratum traducit, tanto tamen ingenii impetu vividisque adeo coloribus depingitur, ut cunctos superemineat, et invito poeta admirationem quamdam ac pæne favorem sibi conciliet. Tum aliquando apparet Cato, omnem Romanæ magnitudinis majestatem præ se ferens, Pompeio certe major, digniorque in quo summus rerum cardo vertatur. Hinc nescio quid incerti et fluctuantis in toto opere reprehendas; et quamquam multa diserte exposita, multa vivide adumbrata aut eloquenter narrata occurrant, vix Epicum poema appellare ausim. *Infelix operis summa, quia ponere totum* nesciit. Quintiliano autem (X, 1) plane adsentiar: « Oratoribus potius quam poetis adnumerandus Lucanus. »

Plura dicere supersedeo : jam sategerunt multi præstantes ingenio viri, quorum diversas, immo contrarias

sententias in fascem infra colligam, ut lector uno obtutu partis utriusque argumenta possit complecti, et litem decernere. Unum tamen obiter notandum puto : scilicet hic, ut semper alias quum scinduntur in studia contraria judices, hos et illos a recto aberrare; in medio stare veritatem.

Quod ad textum attinet, plures eum jam doctissimi viri emendarunt et restituerunt. Quare ad explanationem sensus totum me converti. Nimis enim multi sunt qui scripta veterum resarcienda et immutanda sibi suscipiant; quos si audias (adeo conjecturis immodice gaudent) vix integrum Horatii aut Lucani versum habebis. Quid inde? quum ingeniosas sæpius conjecturas inveniant, easque in textum intrudant, jam Romani scriptores videntur antiquam illam simplicitatem dedidicisse, et neoterica captare acumina. Quis igitur modus erit lascivienti ingenio? Simul ac modestiam exueris, quo se efferet, ubi sistet libido? Hinc nodus plerumque gladio resecatur. Nam ubi tuas mihi imponis conjecturas, quid vetat me quoque textum violare, et, quoties aliquid nimii moliminis exsurget, vel tardior fuerit ad intelligendum animus, statim de corrupto loco exclamare?

Equidem vereor ne *in vitium ducar culpæ fuga;* sed velim ne quis unquam sacris istis antiquitatis vulneribus manum audacem admoveat. In locis tamen desperatis, qui modeste sensum nobis reddere tentant, recte faciunt, opinor, et bene merentur: quamquam mutila Parthenonis signa quis audeat reficere?

Hos inter restitutionum artifices, duo præsertim, doctissimi quidem viri, excellunt Bentleius et Clerc-

quius *van Jever;* quorum selecta ad tres tantum priores Pharsaliæ libros observationum specimina habemus: multæ profecto eruditionis opus, sed quod novam componat Pharsaliam. Ambo enim si quid dure, si quid obscure, vel inusitate dictum occurrat, statim ingenium ipsi suum nobis incutiunt; tanquam nihil peccare potuerit Lucanus! tanquam in opere imperfecto omnia tersa et limata esse debeant! Finge autem post mille amplius annos, emortua, ut aiunt, Gallica lingua, nostratem illum Lucano aliquando haud absimilem, P. Corneille, nomine Magni jure ac merito insignitum, in talium interpretum manus venire. Proh! quanta conjecturarum area! quot loca resarcienda, reficienda! quot versus e recentiorum poetarum scriptis retrahendi, et in loca suspecta intrudendi! Tum comptus, lepidus, mollis, et *purpureis qui late splendeant* pannis involutus incedet Gallicæ tragœdiæ pater: at quid supererit de magno illo et rudi ingenio, quod etiamsi non semper refulget, semper tamen, vel quum nube videtur obscuratum, fulgurat?

Quapropter nolim toties in librarios vel interpolatores, etsi quandoque peccent, culpam rejici; nolim inprimis quoties oritur aliquid impedimentum rescindi auctoris verba. Textum igitur eruditorum controversiis abunde jam disceptatum, qualiscumque nunc sit, explanare et interpretando dilucidare conatus sum. Neque me fallit quam arduam susceperim provinciam, siquidem nihil in obscuro multoties auctore prætermittendum, nulla difficultas non adeunda, et, si liceat, solvenda. Quam diligentiam non semel apud Lucani interpretes desideravi; nec tamen unquam alias magis necessaria fuit.

Magni enim scriptores, in eximiis illis litterarum ætatibus, ingenii inventa præclare et liquido eloquuntur. Sed sensim corrupta sermonis integritate, et arescente jam ingeniorum vena, quum nihil nove excogitatum auctores posteri habeant, nove saltem dictum volunt : hinc illi verborum ambitus, acutiores et intricatæ sententiæ, ambigui involutique sensus, Sibyllæ oraculis non absimiles; hinc illud *vagum*, pæne dicam *inane*, quod vulgus hodie scribentium captat, miserum profecto sæculi in pejus ruentis omen et indicium! Qui quidem liberalium artium occasus nobis non ita pridem imminere videbatur : nunc vero maxima spes affulget, tandem aliquando fore, ut quæ Gallorum animos erexit libertas, literis etiam robur novum, diuturnumque afferat splendorem; utinam, omissis Lucani vitiis, ardorem tantum, gravitatem spiritumque ejus retineamus, qui si non inter primos et eximios poetas adnumerandus est, saltem inter optimos cives et vere Romanos primo ordine incedit [1]!

Hac equidem mente, ad explanandum Lucanum accingor, majora forsan viribus meis ausus, nisi multa jam eruditorum suppeditent auxilia. Quæ tamen, etsi plures viri in hoc opere desudarint, non adeo integra et absoluta exstant, ut novam aliquam ac peculiarem operam a nobis Pharsalia non reposceret. « Singulari modo factum est (inquit Car. Fred. Weber, præf.), ut fata « quæ Lucano in Pharsalia ad umbilicum perducenda « obstitissent, pluribus etiam Pharsaliæ editoribus, quo-

[1] De scriptis tantum loquor; nam, si Tacito fides adhibenda sit, matrem conjurationis consciam prodidit; *nec sit mihi credere tantum!*

« minus promissis stare possent, fuerint impedimento. « Quod jam triumviri illi sæculo prætcrlapso multum de « poeta meriti probare videntur. Cortii cnim commen- « tarius satis amplus et copiosus, quem vir doctus, edi- « tioni Lucani minore vulgata, majori futuræ paraverat, « a bibliopola, ut videtur, propter operis magnitudinem « non cditus, diu in scriniis latebat. Post inter alia, a « Martyni-Laguna viro in Pharsalia multum versato col- « lecta, proh dolor! in flammas et cineres abiisse fertur. « Qui Cortium sequutus est Oudendorpius, editionem qui- « dem absolvit; sed quum ipse sibi in hac re non satis- « fecisset, additamenta, ut ex duabus epistolis ad Joan- « nem Schraderum apparet, erat paraturus.

« Ipsa vero Oudendorpii editio fuit in causa, ut Petr. « Burmannus, quippe qui eadem repeterc noluisset, ra- « tionem et consilium suæ Editionis mutarit. Quemad- « modum autem Oudendorpius Burmannum, ita Bur- « mannus Bentleium in edendo Lucano turbavit; quippe « qui, ubi Burmannum in eodem opere jam diu laborassc « sensit, statim abstinuerit manus, ne in messem viri « amici falcem porrigere videretur. Pauca igitur et ad « tres tantum priores libros perfectiora dedit. »

Talia præfatus Weber, ipse ctiam opus hactenus imperfectum reliquit. Duobus enim voluminibus præmissis, quæ Bentleii notas exhibent, et Specimina selectarum observationum a Clercquio *van Jever* edita, necnon ipsius editoris dissertationem de spuriis ct male suspectis Lucani versibus; bina altera cum notis suis pollicebatur, quæ post decem annos, me vehementer desiderante, nondum quod sciam, apparuerunt.

Hac ope destitutus, Bipontinam textus recensionem sequutus sum; ita tamen ut ab ea non semel, collatis optimis edd. et ratione adhibita, discedere placuerit. In explanatione autem, qui præcipuus fuit labor [1], subsidio adfuere Schreveliana Variorum, et Oudendorpiana editio, tum ipsius Oudendorpii notæ, et, quem ille primus edidit, « vetusti Scholiastæ, ignoti quidem hominis, sed doctissimi et judiciosi, » commentarius. Burmannum quoque, et Weberi duo volumina ante oculos habui, unde multa in usum meum cessere. Quum vero, excerptis tot virorum doctorum observationibus, cavendum erat ne longiores notæ textus illustrationem interrumperent, varias ideo lectiones, conjecturas, et quidquid pluribus verbis exponendum videbatur, in fascem *Disquisitionum variarum* ad singulorum librorum calcem rejeci.

Mens etiam aliquando mihi fuerat plures e Bibliotheca Regia MSS. recensendi (cf. infra p. 107 extr.) : jamque operi incubueram; sed, deficiente otio, duos tantum perlegere vix potui; alterum A, sub n° 7900; alterum B, n° 8039. Item optimæ notæ Manuscriptum, sibi proprium, recensuit, et operam mecum communicavit Clariss. L. A. Demersand, in Curia Parisiensi advocatus; cujus doctrina singularis, libenter prædico, in hoc labore me plurimum adjuvit. Hunc codicem quum *Meum* appellaret, indicium, lectore hic monito, mutare nolui.

Nunc unum superest, totum videlicet meum opus, si quid boni forsitan habeat, amantissimo patruo referre,

[1] Notas omnes et Disquisitiones varias, in principio lib. I, usque ad vs. 100, nullo nomine signatas, ipse confeci; cæteras postea auctoris nomine subscribuntur.

quem jamdiu in exigendo hujus Bibliothecæ Latinæ monumento insudantem a me laudari non sinit verecundia. Ille enim me a pueritia susceptum præceptis et hortatu vere paterno prosequutus, optimarum artium studiis ac disciplina informandum curavit : illi igitur, ut earum rerum omnium fructus publice perveniat, primum quod ediderim volumen, tanquam grati animi pignus, dicare et consecrare gestio!

Vale, benevole lector; et si plures te in hoc labore maculæ offendant, juveni adhuc et tironi, meliora deinceps conaturo, ignoscas precor.

Parisiis scribebam, octobr. 1830.

P. A. LEMAIRE.

DE LUCANO

VETERUM AC RECENTIORUM

TESTIMONIA ET JUDICIA.

De Lucano multa hic colligere et congerere potuissem, quæ veteres aut recentiores nobis tradidere; sed præcipua tantum et quæ de ejus ingenio diserte sunt exposita excerpere satis visum est; cætera breviter memorabo.

Ipse sibi advocatus ac testis citatur; lib. VII, 209, sqq. et præsertim IX, 983, sqq.

Tacitus Lucani meminit. Ann. lib. X, cap. 49, 56, 57, 70. Et in lib. XVI, cap. 17, de Mela loquens: « Annæum Lucanum genuerat grande adjumentum claritudinis. » Cf. et Dialogum de causis corruptæ eloquentiæ, cap. 20.

Papinius Statius, *Præf. ad Silv.* lib. II.

« Excludit volumen Genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria carissima uxorum, quum hunc diem forte consecraremus, imputari sibi voluit. Ego non potui majorem tanti auctoris habere reverentiam, quam quod laudes ejus dicturus Hexametris meis timui. »

Ejusdem *Genethliacon Lucani*, Carm. 7.

Lucani proprium diem frequentet,
Quisquis collibus Isthmiæ Diones
Docto pectora concitatus œstro,
Pendentis bibit ungulæ liquorem.
. . . .
Lucanum canimus: favete linguis.
Vestra est ista dies; favete, Musæ,

Dum qui vos geminas tulit per artes
Et vinctæ pede vocis, et solutæ,
Romani colitur chori sacerdos.
Felix heu nimis et beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus
Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ cadentis audis;
Quæ Tritonide fertiles Athenas
Unctis Bætica provocas trapetis!
Lucanum potes imputare terris.
Hoc plus quam Senecam dedisse mundo,
Aut dulcem generasse Gallionem.
Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.
Bætin Mantua provocare noli.
Natum protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.
Tum primum posito remissa luctu
Longos Orpheos exuit dolores:
Et dixit: « Puer o dicate Musis,
Longævos cito transiture vates,
Non tu flumina, nec greges ferarum,
Nec plectro Geticas movebis ornos:
Sed septem juga, Martiumque Tybrim,
Et doctos equites, et eloquente
Cantu, purpureum trahes senatum.
. . . .
Tu carus Latio, memorque gentis
Carmen fortior exeres togatum.
Ac primum, teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Thessalosque currus,
Et supplex Priami potentis aurum;
Tu sedes reserabis Inferorum;
Ingratus Nero dulcibus theatris,
Et noster tibi proferetur Orpheus.
Dices culminibus Remi vagantes,
Infandos domini nocentis ignes.

Tu castæ titulum, decusque Pollæ
Jucunda dabis allocutione.
Mox cœpta generosior juventa
Albos ossibus Italis Philippos,
Et Pharsalica bella detonabis.
Et fulmen ducis inter arma divi,
Libertate gravem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.
Tu Pelusiaci scelus Canopi
Deflebis pius, et Pharo cruenta
Pompeio dabis altius sepulcrum.
Hæc primo juvenis canes sub ævo
Ante annos Culicis Maroniani :
Cedet Musa rudis ferocis Ennî,
Et docti furor arduus Lucretî,
Et qui per freta ducit Argonautas,
Et qui corpora prima transfigurat.
Quin majus loquor, ipsa te Latinis
Æneis venerabitur canentem.
Nec solum dabo carminis nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio suo decoram :
Qualem blanda Venus, daretque Juno;
Forma, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratia, decore.
Et vestros Hymenæon ante postes
Faustis cantibus ipsa personabo.
O sævæ nimium, gravesque Parcæ,
O nunquam data festa longa summis!
Cur plus, ardua, casibus patetis!
Cur sæva vice magna non senescunt?
. . . .
Sic et tu rabidi (nefas) Tyranni
Jussus præcipitem subire Lethen,
Dum pugnas canis, arduaque voce
Das solatia grandibus sepulcris;
O dirum scelus! o scelus! tacebis. »
Sic fata est, leviterque decidentes

Abrasit lacrymas nitente plectro.
At tu, seu rapidum poli per axem
Famæ curribus arduis levatus,
Qua surgunt animæ potentiores,
Terras despicis, et sepulcra rides :
Seu pacis merito nemus reclusæ
Felix Elysiis tenes in oris,
Quo Pharsalica turba congregatur,
Et te nobile carmen insonantem
Pompeii comitantur, et Catones :
Seu magna sacer et superbus umbra,
Nescis Tartaron, et procul nocentum
Audis verbera, pallidumque visa
Matris lampade respicis Neronem,
Adsis lucidus, et vocante Polla
Unum quæso diem, Deos silentum
Exores, etc.

M. Fabius Quintilianus, *Institut. orat.* X, 1.

« Lucanus ardens et concitatus, et sententiis clarissimus, et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis adnumerandus. »

Martialis sæpe Nostrum laudat. Epig. lib. I, 62, v. 7; VII, epigr. 21, 22 et 23; X, epigr. 64, v. 2 sqq. XIV, epigr. 194.

Juvenalis ejus meminit, Sat. VII, v. 80.

D. Hieronymus, in Chronico Eusebiano, n. 2080, ad annum X Neronis.

Servius ad Æneid. iv. 386;

Sidonius Apollinaris, Carm. X, v. 239 sqq. et XXIII, 165.

Plurimis in Mss. et antiquis editionibus leguntur sequentes versus ab incerto auctore compositi :

Corduba me genuit, rapuit Nero. Prælia dixi
Quæ gessere pares, hinc socer, inde gener.
Continuo numquam direxi carmina ductu,
Quæ tractim serpant, plus mihi comma placet.

Fulminis in morem, quæ sunt miranda, citentur.
Hæc vere sapiet dictio, quæ feriet.

POMPONIUS INFORTUNATUS, in edit. Romana, a. 1469, hoc epigramma Lucani tumulo inscribendum dedit :

Bethys habet natale solum; est Annæa propago :
De genitore Mela dat mater Acilia terris :
Vix luna octonos cælo confecerat orbes,
Quum me Roma sui respersit Tybridis unda :
Servatumque foro traxit, Phœboque dicavit.
Hinc Sylvæ, geminæque faces; reus inde Sagitta,
Orpheus, ingrati stimulus, livorque tyranni.
Dum civile nefas aperit Pharsalia, nostræ
Invidit famæ Nero, proh! Musæque canentis
Interrupit opus gladio, venisque resectis
Assertore sacros maculavit sanguine vultus.

G. J. VOSSIUS, *De historicis latinis*, lib. I, c. 26.

« Inter historicos etiam locum damus M. Annæo Lucano Cordubensi. Quippe qui poema suum de bello civili Cæsaris, et Pompeii fide historica scripserit. Quo nomine a Petronio Arbitro in satyrico reprehenditur his verbis : Ecce belli civilis ingens opus quisquis adtigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt : sed per ambages, Deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus; ut potius furentis animi vaticinatio adpareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides. »

Plura etiam afferri possent nomina obiter laudantium aut carpentium Lucani opera; sed vide apud Barthium, Advers. lib. LIII, c. 6; Rutgers. Var. L. lib. VI, c. 9. Cf. et Palmerius in Apologia; Mosantius Briosius in Epistola ad Palmer. (in edit. Oudend.); J. A. Fabricius, Biblioth. latina; Spanhem. in Corpore epistolarum a Burmanno editarum, t. III, p. 815. Hug. Blair, Rhetorica, cap. 44.

Nunc explicita quædam recentiorum judicia subjicientur.

SULPITIUS VERULANUS, *Epist. ad D. Antoniotum Gentilem Palavicinum :*

« Lucanus quum puram historiæ fidem sequatur, etiam Historici sustinere personam videtur. Singulorum enim pariter officio fungitur. Quippe ardens, concitatus sententiisque clarissimus, modesta figmenta et concinnas habet evagationes. Estque in concionibus artificiosus, abundans, virilis et cultus : in cæteris vero gravis, copiosus, amplus, tersus, mira eruditione, et rerum varietate perfusus. Tantaque carminis majestate consilia, rationes, gestaquė explicat, ut hæc ipsa non legere, sed cernere videaris. Bella vero et conflictus non narrari, sed geri : urbes trepidare, acies concurrere, et militum ardorem, terroremque te putes aspicere. Quumque sit in descriptionibus frequens et locuples, in rerum perscrutanda natura, exprimendisque affectibus perspicax, in moribus judicandis argutus, atque in omni ostentanda doctrina versatilis, quem Cosmographum, quem Astrologum, aut Mathematicum, aut Philosophum, dum eum legimus, desideramus? Quis enim de rebus, in quas incidit, aut affectat, subtilius et accuratius disserit? Magnus profecto est Maro, magnus Lucanus : adeoque prope par, ut qui sit major, possis ambigere. Summis enim uterque est laudibus eloquentiæ cumulatus. Dives est et magnificus Maro : hic sumptuosus et splendidus. Ille maturus, sublimis, abundans : hic vehemens, canorus, effusus. Ille venerabilis pontificio modo quadam cum religione videtur incedere : hic cum terrore concitatius imperatorio. Ille cura et diligentia cultus : hic natura et studio perpolitus. Ille suavitate et dulcedine animos rapit : hic ardore et spiritu complet. Virgilius nitidus, beatus, compositus : Lucanus varius, floridus, aptus. Ille fortioribus telis pugnare videtur : hic pluribus. Ille plus roboris habere : hic plus terroris et acrimoniæ. Illum grandi tuba uti et horrisona dixeris: hunc fere pari, sed clariori. Tanta denique est huic cum illo affinitas, et in diversitate præstantia, ut quum ad illam Maro-

nis divinitatem accesserit nemo, tamen nisi ille priorem locum apud nos occupasset, hic possideret.»

L. Greg. Gyraldus, *De poetis*, Dialog. 4.

« His a me summatim de Lucani vita dictis, Piso excepit, Quamvis, inquit, se ipse suo carmine Lucanus prodat, et de se idem quadam præfatione ætatem, et initia sua cum Virgilio comparans dixerit : « Et quantum mihi restat Ad culicem? » Nihilhominus quum adeo et a Statio et a Martiale laudetur, ut etiam Virgilius ipsi, si Dîs placet, et Homero conferatur, facere non possum, quin ejus lectionis ipse sim maxime studiosus. — Quem excipiens Picus puer, Et ego, inquit, videor medius inter furentes milites versari, quum illius carmen lego. — Quibus ego, de Lucano, inquam, sic statuatis, velim, ut eum non modo cum Virgilio non conferatis, ut Statius fecit, et Martialis, sed eum neque secundum, neque tertium dicatis. Vel si dixeritis : « Longo proximus intervallo.» Quum neque in quadrigis eum secundum numeremus, aut tertium, qui vix e carceribus exierit, quum palmam jam primus acceperit, ita nec in poetis, qui tantum absit a primo, vix ut in eodem curriculo esse videatur. Sunt tamen quædam in Lucano, quæ, qui sine Virgilii comparatione spectavit, satis magna dicat, quæ si cum judicio, atque delectu legantur, non indigna sint imitatione; id tamen caute et diligenter, ne vitia specie virtutis irrepant. Si quid vero, Pice et tu Piso, mihi tribuistis, vos non modo non nimium studiosos ejus lectionis velim, sed vos etiam ita gloriari cupio, id quod amicum meum, virum doctissimum, aliquando gloriantem audivi, qui Musis cælestibus gratias agebat, quod nunquam totum Lucani carmen semel perlegisset. Nisi enim temerarium sit, quod nihil tamen mihi vobiscum præcipue esse potest, illud ausim de Lucano adfirmare, quod M. Tullius (pro Archia c. 10.) de Cordubensibus suorum temporum poetis, qui eos, nescio quid pingue, et peregrinum sonare putabat. Quare



Lucanum quidam sane ingeniosum, indomito similem equo esse dicebat, qui in medio prato, aut campi spatio cursitet, et acriter quidem, et animose saliat, sed inconcinne, et incomposite. Alii illum expedito quidem militi similem dicunt, qui amentatas quasdam velitum hastas jaciat, potenti, ac valido interdum brachio, sed parum plerumque considerate ac prudenter. Nam tametsi ipsum ardentem, concitatumque, ac sententiis clarissimum scribat Fabius, oratoribus tamen, quam poetis magis adscribit, quod et Martialis, et Servius sentiunt. »

J. C. Scaliger *in Hypercritico*, cap. 6.

« Lucanum igitur, si Diis placet, etiam Maroni parem facere ausi sunt, qui non tam illius magnitudinem, quam suam insolentiam iis ineptiis prodidere. Fatemur in illo ingenium magnum, equidem etiam plus quam poeticum condonabo. Effrenis mens, sui inops, serva impetus, atque idcirco immodica, raptaque calore simul, et colorem ipsum rapiens, hostem maximum ejus temperamenti, quod in uno omnino Marone, et admirabile est, et divinum proinde; ut nimis fortasse libere dicam, interdum mihi latrare, non canere videtur. »

Gregorius Bersmannus, *Epist. ad D. Carolum, Baronem a Zerotin.*

« Venit mihi in mentem mirari, quid vulgus grammaticorum moverit, ut Lucanum e poetarum numero excluderent. Verum age videamus, quæ res illos in hanc adduxerit persuasionem. Quia, inquiunt, historiam conscripsit. Mirum vero si ignorant hanc ipsam epicis poetis esse pro argumento : quam quum aut adumbratam, aut novis illustratam coloribus alia facie ostendunt, ex historia certe conficiunt poema : quod existimavit Julius Scaliger : neque aliud puto Quintilianum voluisse eo, quod historiam proximam esse poetis, et quodammodo carmen solutum, pronunciavit. Sed objicient mihi

grammaticorum istorum scholæ auctoritatem contrariam ejus, cujus nomen præfert commentarius περὶ ποιητικῆς. Negat enim auctor ille poetæ munus esse, ea quæ facta sunt exponere, rerumque gestarum veritatem attendere, ἀλλ' οἷ' ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ, κατὰ τὸ εἰκὸς, ἢ τὸ ἀναγκαῖον, h. e. cujusmodi ea geri debuerunt aut potuerunt, ita ea facta dicere, proposito ante oculos verisimili, aut necessario, ut nimirum ea gesta esse perhibeant, quæ geri verisimile fuerit, aut quæ positis superioribus necessitate quadam consecutionis geri debuerint. Itaque historicum a poeta, quicumque sane fuerit auctor ille, sejungit, non oratione, vel certa numerorum moderatione astricta, vel soluta, vacuaque a vinculis pedum (neque enim si quis Herodoti scripta in versus certasque mensuras redigat, idcirco illa historiæ nomen arbitratur amissura), sed eo quod alter res gestas narrat, ut gestæ sunt, cum fideque se gerit: alter ut fieri debuere exponit, variando eventum illarum, omniaque ad id quod oportuit redigendo. Hæc ille. Ego primum quid auctoritati sine certo auctore tribuam, non invenio: deinde cum Scaligero respondeo, ut Lucani opus, meram faciamus historiam, omnino illud a Livio differre oportere: at qua re differet? certe versu. Sed quum historia, id quod poematum Homericorum exemplis demonstratur, argumentum poetis suppeditet, non video, qua ratione Lucanus, cujus patrocinium hac qualicumque præfatione suscipiendum duximus, e poetarum segregetur numero. Sed rursus instet aliquis, magnam esse in utroque poeta, si tractationem spectes, dissimilitudinem, quando nimirum alter veris narrationibus fabulas admiscuit, alter puram putam detexuit historiam, neglecta fabula, quæ tamen poematis velut anima quædam esse perhibetur. Difficile est, quod objicitur infitias eundo refellere, sed tamen certum est, quid respondeam: et quidem ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Non me fugit ab auctore commentarii paulo ante memorati ἀρχὴν καὶ οἷον ψυχὴν appellari τὸν μῦθον τῆς Τραγῳδίας. Hoc igitur ut haud invitus grammaticis dederim, ita vicissim,

quod spero, non gravatim mihi largientur, nimirum, quæ ut vera narrantur, nisi cognita prius perspectaque fuerint, defuturam omnino fabularum materiam, quarum origo omnis ex historia extitisse creditur. Quid? quod Lucanus bellum canendo civile, non modo vera narrat, quod historici proprium esse censetur, sed et ficta interserit nonnulla, ac fabulosa. Neque enim, quæ ab illo passim afferuntur conciones, ita habitæ sunt ab iis, quibus attribuuntur : ac figmentum esse poeticum imaginem patriæ, quæ ad Rubiconis amnem in somnis sese offert Cæsari, nemo dubitat : et commentitia profecto sunt, quæ de Antæo Terræ filio, deque excita ab inferis anima memorantur, et id genus alia complura. Verum enim vero, quidquid illi contradicant, poetam (quod et Aristoteles indicat, qui hanc censuram majore et cum ingenii acumine, et judicii dexteritate exercuit, quam literatores isti illiterati) non tam ficta facit materia, quam elaborationis et quasi perpolitionis cura atque industria, multa undique accurate accersens, et ad ornatum carminis ingeniose comminiscens. »

FR. OUDENDORPIUS in Præfatione ad Lucanum.

« Notissimæ sunt criminationes, quibus Lucanum adgressi sunt Petronius, Quintilianus, Scaligeri, Burmannus, aliique. His quidem respondere, eaque crimina diluere, acta pro Lucano publice causa, conati sunt Palmerius, Mosantius, Bersmannus, et nonnulli alii : sed vel sic evincere non potuerunt, aut viris doctis, poetis, et poetarum judicibus (ut patet ex elogiis a me huc congestis) persuadere, quo magis illum absolvant, vel plurimorum saltem errorum liberum existiment. Nam Martialis, et Statii adulatoriam laudem, qua ipsum Virgilio (cui, ut etiam Homero, parem sese Lucanus jactabat; vide ejus vitam et lib. IX, 984) si non præferre, certe comparare inepte ausi sunt, nihil curo. Etenim negari nequit, ab ipso electum esse argumentum, Epico carmine vix dignum, in quo, licet omnia debeant esse ficta, unde Poetæ est nomen, et Heroico spiritu animata, nihil tamen debet inveniri, quod

ostendi possit plane esse falsum, et veritati non modo, sed etiam verisimilitudini contrarium. Id vero in sua Pharsalia sæpius commisit Lucanus. Præterea tumorem, et arrogantem dictionis fastum, inanes, et philosopho docente, non poeta, Herois gesta narrante, dignas sententias merito in Lucani opere reprehendunt viri poeticæ artis gnarissimi. Adde, quod in non necessariis prodigiorum, tempestatum, præliorum, artium magicarum, ac similium rerum descriptionibus copiosior sit, et ne minima quidem momenta studiose omittat: unde crebro ad monstrosa, et rerum naturam excedentia miracula enarranda abripitur, vel ad stultas sæpissime ineptias, et pueriles nugas delabitur. Talia sunt, quæ leguntur, I, 523, et sqq. II, 77 etc. III, 550, etc. IV, 50, 59, etc. V, 540, et sqq. lib. VI toto, de Cæsaris operibus, Scævæ virtute, magicis artibus, etc. VII, 400, et aliis multis locis. Ex quibus satis adparet, Lucanum effreno equo similem, effusis habenis magno cum impetu, vagari, et ingenio, non judicio, indulgentem, ubique vehementiam, et oris grande sonantis loquentiam adfectare.

« Verum enim vero illi viri docti nimio in Lucanum odio abrepti esse videntur, qui ipsum ad infima scriptorum subsellia deprimere voluerunt, ac vix lectu dignum esse censuerunt. Cum Virgilio aut Valerio Flacco licet comparari nequeat, suas tamen, quæ æquo lectori satis placere possint, habet dotes. Nam cum, ut fide dignum historiarum scriptorem, et maximum libertatis amatorem, sub tyranno quamvis viventem, atque (ut Barthii verbis utar) integrum latinitatis, acutum, ingeniosum, doctum, gravem, utilissimum, et philosophum, politicumque non postremis adcensendum, eloquentem præterea, et sententiis penetrantem merito quisque venerari debet. Adde, quod ab eo factæ urbium, et locorum descriptiones, similitudines, et comparationes, illustrium hominum characteres sint tam elegantes, tam efficaces, et veram rerum hominumque imaginem vivis adeo coloribus exprimentes, ut hoc in genere facile cum optimo

scriptore mereatur conferri. Nimis gravi etiam culpæ verti auctori nostro non debet, quod in vocabulorum electione sit negligentior : quo factum, ut sæpe eamdem vocem ingrate iteret; immo aliquot ejusdem sententiæ versus nonnumquam bis exprimat. Alterum quidem incuriæ, alterum ingenii subiti, ac fertilis, nec maturitate subacti est vitium ; sed utrumque sine dubio ab auctore, vel ipsius conjuge Polla, si illis per Neronem licuisset, et ultimam admovere potuissent manum, fuisset emendatum, ut in tribus prioribus libris factum videmus. »

PETRUS BURMANNUS, in Præfatione.

« Ut vero de pervulgato illo eruditorum, ab ipsa Lucani ætate, ad hæc usque sæcula, judicio incipiam, Lucanum poetarum choro esse ejiciendum, et ad Historicorum turbam ablegandum, quia res gestas ordine et serie temporum digestas versibus enarravit, non male eos judicasse, facile mihi persuadere possum. Ut enim summum in historico vitium esse constat, tumore sæpe plus quam poetico efferri, audacissimis translationibus et figuris, declamatorio fastu et adfectatione putida, leges simplicis et naturalis candoris et veritatis transgredi, quod vitium in Floro invictis argumentis Cl. Grævius ostendit; ita in poeta, licet versibus comprehendat res gestas, omnis etiam tumor, et supra naturam exaggeratio, et rerum narratio, quas contigisse narrat, et tamen contingere posse omnes negabunt, et impudentissima congeries et cumulatio incredibilium : omni conatu sunt evitanda : et valere hic debet lex illa perpetua, et nulli poetæ violanda, quam, dictante communi et sano sensu, tulit olim Petronius, Lucanum in primis tangens, cap. 117. Capitale vero et nullo colore excusandum a Lucano peccatum est commissum, in materia et argumento, quod sibi elegit : poeta enim, quum a faciendo et creando nomen apud Græcos acceperit, in primis epicus, ipse facere et fingere debet materiam, et, si veri similia, et quæ contingere possunt, dicat, de certa facti veri-

tate laborare non debet. Quis enim pudor poetæ sibi appellationem vindicanti incuti non debet, qui res tam exiguo ante suam ætatem tempore gestas, ut hoc civile bellum, poeticis ornamentis, et commentis et fictis adtributis augere et exaggerare, aut impudenter res, ut vere gestas, lectoribus obtrudere audeat, quum ex publicis monumentis, et patrum, qui interfuerunt, memoria et traditione, falsi convinci possit? Non etiam, si recentis memoriæ historiam carmine epico enarrare velit, ordinem rerum gestarum invertere, nec per ambages et Deorum ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum præcipitare liberum spiritum poterit, quum intra certos fines et historiæ leges continere se cogatur. Jam vero contra ipsam rerum tam nuper gestarum veritatem peccasse Lucanum passim in notis ostendimus, et hinc in judicio de argumento sibi eligendo, aberrasse confitendum esse effecimus.

« Cui rem tam exiguo ante suam ætatem tempore historici more narranti, et fingenti res fere incredibiles, statim certæ auctoritates, et monumentorum et annalium fides opponi quum possint, semper mentiri potius, quam fingere, ut poetam decet, censendus est.

« Sed male sibi argumentum, nec humeris suis æquum pondus, elegisse, concedamus, inquiunt poetæ hujus insani admiratores; ingenii tamen et doctrinæ, quæ magnifice prædicant, laudem nemo illi denegabit. Neque nobis obtrectare famæ, quam longi temporis quasi possessione sibi acquisivit, libet. Nimis tamen ingenio calido et præcipiti indulsisse, quod et Ovidio vitio datum est, nemo negabit. Semper fere magniloquentia, exaggeratione, et odiosa cumulatione rerum et verborum, ineptis declamatorum acuminibus, sententiis extra corpus eminentibus, obscuris loquendi modis, excursionibus, quas ἐπεισόδους vocant, nihil ad rem attinentibus, adfectatione Polymathiæ, scolasticæ sapientiæ, et Stoicorum dogmatum ostentatione, et similibus vitiis, quæ veræ et simplici poeticæ adversantur, et quæ non modo nihil veri, sed

nec verisimilis speciem habent, omnem sibi fidem derogasse, certissimis exemplis et rationibus passim in adnotationibus meis adfirmare non neglexi, quæ hic odiose repetere necesse non est.

« Addit vero non male Barthius, Pharsaliam laborare densitate sententiarum et acumine et non errare eum, qui satyricam tragœdiam diceret, hexametris versibus conscriptam. Vides, lector, quam difficulter opiniones inveteratæ, de Lucani præstantia, radicitus evellantur, quum viri etiam eruditi, licet vitia agnoscant, tamen illum aliis dotibus ea compensasse credant. In his etiam fuit Rol. Maresius, qui lib. I, Ep. 8, postquam in eo agnovisset tumidum et adfectatum dicendi genus, declamatoriam etiam rerum minimarum ad ostentationem amplificationem, et frequentes et proposito minus congruentes excursiones, ut omniscius esse videatur, de rebus tamen, addit, acres et sanas habere opiniones, de virtute non aliter ac Zenonem loqui, gravesque de ea sententias ubique inculcare; quæ, si pædagogus ille poeticès aliquem sensum habuisset, vituperare debuisset. Lipsius ad Vellei. Pater. II, 51, se amare Lucanum, sensuum et honesti acuminis causa, profitetur, quod nemo mirabitur, qui Lipsii dicendi et scribendi genus noverit. Denique, Montaigne*, in speciminibus moralium, lib. II, cap. 10, se quoque amare Lucanum et sæpe legere, non propter stylum, sed virtutis causa et propter veritatem opinionum et judiciorum. Sed a talibus laudari poetam, in ejus dedecus cedere existimo, neque, quum hodie quisquam eruditior sit, qui simile scribendi genus probet aut sequatur, longius ulterius in expendendis plurium judiciis morabimur.

. . . .

« His omnibus, quæ longo satis ordine, licet plura omittere, ne tædium moverem lectoribus, visum est, rite ad examen re-

* Notandum est Burmannum hic opinionem acutissimi illius nostralis philosophi, quam infra invenies pag. XXXIII, non refutare; at saltem intendit ut illud testimonium in *poetæ* laudem non cedat.

vocatis, mirari tamen non desinent quidam, Romanam eloquentiam et nitorem, tam brevi tempore degenerasse, et tam solutæ, quam ligatæ orationis, decus et majestatem deminutam et obscuratam.

« Cujus corruptionis et depravationis præcipua causa quærenda videtur, in humani ingenii vanitate et gloriæ inanis cupiditate : dum enim prioris ævi poetas et oratores anteire se posse quis sperat, et in eodem spatio decurrens, ulterius tendere et ad novam palmam adspirare properat, laborat quidem et sudat, se tamen plerumque non modo victoria excidere, sed inglorium contemni et abjici dolet. Hinc multi Ciceronem et Virgilium æquare, eorum vestigiis insistere si velint, desperantes, in nova spatia se conjecerunt, et diversum scribendi genus ingressi sunt, ut in illo saltem primi esse possint.

« Sic Seneca, superbiæ et gloriæ vanissimæ verum et expressum exemplar, desperans famæ celebritatem, ex simili Ciceronis scribendi et dicendi genere, se consequi posse, primus eloquentiam perdidit, et contaminavit, splendidis sperans vitiis, quibus tamen, teste Fabio, lib. VIII, 3, *virtutis nomen imponunt,* adolescentum mentes facile posse decipi, et aliis in eamdem fraudem illectis se sectæ novæ conditorem celebrari. Vide recte de eo judicantem Quintilianum, lib. X, cap. 1, sub finem, cui plane adsentior.

« Alter, quasi hoc ita fato datum esset, ex eadem Annæorum gente, Lucanus, similibus gloriæ falsæ stimulis agitatus, quia Virgiliani consummatissimi operis laudes adsequendi nulla spes adpareret, divinam poesin inquinare, et heroicum carmen, omni majestate et splendore suo spoliatum, ad declamatoria acumina, et Historiæ veræ humilitatem, temporis seriem et rerum ordinem demittere est aggressus. Unde sæpius animum admiratio et stupor incessit, potuisse multorum, etiam eruditorum mentes ita occæcari, ut quum plurimi ignorent quid sit poesis et heroicum carmen, Virgilio Lucanum, Silium, Statium et Claudianum comparent, aut præferre non

erubescant. De Silio et Statio agendi partes illis relinquam, qui hos poetas cura sua dignos censuerint; de Claudiano, si vita supersit, agendi alia occasio dabitur: sed Lucanum, nunc notis illustranti necessarium visum, in diligentiorem disquisitionem vocare, et non cum vulgo omnis elegantiæ et nitoris rudi, sed cum doctis etiam viris, certare proposui, quos transversos egerunt adfectata illa sententiarum sublimitas et crebritas, notæ et characteres tam dure expressa, ut extra corpus emineant, versuum sonororum magnifica facilitas, et quæ plura invidiosis laudibus extollere solent. Hoc unum modo juvenes animadvertere moneo, in ipsa versuum structura magis pompæ, quam numerorum et modorum, studiosum fuisse Lucanum: durissimum et obscurissimum sæpe in constructione verborum, quod et Hortensius ad lib. VII, 691, et alibi notavit, epitheta longissime petiisse, et sæpe sonantia verba propriis et rei congruis prætulisse, hemistichia, sensu jam perfecto, subobscura et prioribus non cohærentia, supplendo versui adfuisse, ut idem Hortensius ad lib. VII, 384, et alibi animadvertit. Reliqua, quæ in notis passim observata dedi, vitia hic in ordinem digerere, aut amplificare non libet, nec vacat.

« Sed molestum jam aliquem mihi oggerentem audire videor: Quid talem et tam ineptum poetam edere et novis iisque satis amplis notis illustrare attinet? Quid te in primis movit, ut eum cura et labore, satis gravi et diuturno, dignum censeres? cur non omnes potius, si quæ tibi supersunt, ingenii et doctrinæ vires soli Maroni, unico et principi poetæ, impendere pergis? Fateor, amice lector, me ab ipsa adolescentia sæpe dubitasse, an mereretur Lucanus tam operosum et sollicitum commentatorem, ut nunc me evasisse præter omnem exspectationem video, et aliquoties ad prius consilium edendi nudum, et solis variis lectionibus comitatum, hunc poetam, animum intendisse; sed quum per otium subinde eum evolverem, et quasdam etiam ingenii et doctrinæ dotes, quas alii nimis magnifice extulerunt, agnoscere cogerer, na-

tas mihi deprehendebam quasdam observationes, quas non inutiles tironibus et poeticis deliciis operantibus credebam. Præterea ex subsidiis, quæ et Heinsiana scrinia, et codices ab aliis collati suppeditabant, aliorum conjecturas excutiendi, easque confirmandi, si vere apparerent, vel refutandi, si temerariæ essent, voluntati resistere me non potuisse fateor; et juventuti etiam veram viam poetas legendi et intelligendi, pro meo captu, monstrare non alienum a professione mea censebam. »

CLERCQUIUS VAN JEVER, *not. ad Titulum Pharsaliæ*.

« Juvenis admodum, quum Pharsaliam suam inchoaret, erat Lucanus (scripsit enim teste STATIO, lib. II, Silv. VII, v. 74: *Ante annos Culicis Maroniani*). Mascula facundia et poetico spiritu satis plenus, sed partim sæculi a pristino eloquii nitore jam degenerantis vitio, partim propria inconsultæ juventuti temeritate bono ingenio male abusus. Quemadmodum vero philosophiæ naturalis et moralis Stoicorum disciplinæ, Senecæ patrui sui institutione, apprime gnarus fuit, ita inani πολυμαθείας affectatione ridiculus, putidissimaque declamatorii acuminis, quod summa tunc temporis in admiratione ac deliciis erat, ostentatione in transversum raptus effrenem impetum moderari non potuit. Iis vixit temporibus, quibus virtus odio et doctrina contemtui habebatur, gravissimoque tyrannidis jugo oppressa gemebat libertas. Neronis iram et indignationem nimia eloquentiæ fama sibi concitavit, quippe qui a poeta publico in certamine, recitato Orpheo, victum se dolens (palmam enim poeticam monstrum illud adspirabat!) ei stolida invidia foro, theatro omnique poetica interdixit. Non tulit hanc injuriam generosi, sed impotentis nimium, animi juvenis, adeoque implacabili in Neronem odio exarsit, ut Pisonianæ conjurationi palam adhæserit. Furore itaque stimulatus factam sibi injuriam vindicare et Neroni vicem referre statuit: quare neque injuriosis in principem dictis aut factis abstinuit, et tyrannidem ejus posteris

odiosam reddere satagens carmini epico materiam quæsivit. Hanc invenisse sibi visus est in persona J. Cæsaris, qui Pharsalico prælio victor, oppressa libertate, tyrannidem occupavit. Quemadmodum enim Virgilius Augusti liberalitatem expertus, quo gratum principi animum testaretur, optimo consilio epici sibi carminis materiam sumsit Æneam, pietate armisque insignem, ut hoc illustri veluti in exemplo virtutem et clementiam Augusti invidendis laudibus celebratam ad posteros transmitteret : sic diversa via ingressus Lucanus, injuria et contumelia gravi exacerbatus, vituperio J. Cæsaris, tamquam tyranni et libertatis hostis *totam Cæsareæ domus seriem* (vid. lib. IV, v. 823) atro carbone notare, ipsumque Neronem diffamare, ejusque tyrannidem et sævitiam exagitare instituit, ut ita civibus immani hujus monstri odio jam diu laborantibus amissæ libertatis desiderium renovaret, et conjuratis ad maturandam Neronis cædem animum adderet. »

Ad nostrates venio qui vernacula lingua de Lucano scripsere; plura quoque hic suppetunt digna quæ legantur; sed omnia exscribere quum longius esset, nonnulla tantum seligam. Cæterum conferendi sunt, BAILLET, *Jugements des savants*, tom. III; P. CORNEILLE, *Préface de la Mort de Pompée;* ROLLIN, *Histoire ancienne*, lib. XXVII, cap. 1, tom. XI, p. 107; D'AGUESSEAU, *Instructions sur les études propres à former un magistrat*, n. 4, tom. XV, p. 120; DIDEROT, *Essai sur les règnes de Claude et de Néron*, vol. I, pag. 14, sqq. et *Correspondance littéraire*, décemb. 1769; CASTILHON, *Parallèle de Virgile et de Lucain* (vid. *Recueils philosophiques et littéraires de la société typographique de Bouillon*, ann. 1769); SABBATHIER, in Dictionnario; DUCIS, *Discours de récept. à l'Acad. française*, p. 8; LEGOUVÉ, in fabula inscripta *: Epicharis et Néron;* BILLECOCQ, in vita Lucani quam versioni *G. Brébeuf* præmisit; F. SCHOELL, *Hist. abrégée de la littérat. rom.* Period. IV, tom. II, p. 286, sqq. et AMAR, in præfatione versionis quam dedit, Paris, 1816.

MONTAIGNE, *Essais*, lib. II, cap. 8.

Le bon Lucanus estant jugé par ce coquin de Néron sur les derniers traits de sa vie, comme la plupart du sang fut déja écoulé par les veines des bras qu'il s'était fait tailler à son médecin pour mourir et que la froideur eut saisi les extrémités de ses membres, et commença à s'approcher des parties vitales, la dernière chose qu'il eut en sa mémoire ce furent aulcuns des vers de son livre de la guerre de Pharsale qu'il récitait ; et mourut ayant cette dernière voix en la bouche. Cela, qu'était-ce qu'un tendre et paternel congé qu'il prenait de ses enfans représentant les adieux et les étroits embrassemens que nous donnons aux nôtres en mourant, et un effet de cette naturelle inclination qui rappelle en notre souvenance, en cette extrémité, les choses que nous avons eu les plus chères pendant nostre vie.

LE MÊME, lib. II, c. 10.

J'aime aussi Lucain et le pratique volontiers, non tant pour son style que pour sa valeur propre et vérité de ses opinions et jugemens.

VOLTAIRE, *Essai sur la poésie épique*, ch. 4.

LUCAIN, génie original, a ouvert une route nouvelle. Il n'a rien imité; il ne doit à personne ni ses beautés, ni ses défauts, et mérite par cela seul une attention particulière.

La proximité des temps, la notoriété publique de la guerre civile, le siècle éclairé, politique et peu superstitieux où vivaient *César* et *Lucain*, la solidité de son sujet ôtaient à son génie toute liberté d'invention fabuleuse. La grandeur véritable des héros réels, qu'il fallait peindre d'après nature, était une nouvelle difficulté. Les Romains au temps de *César* étaient des personnages bien autrement importans que *Sarpédon*, *Diomède*, *Mézence* et *Turnus*. La guerre de Troie était un jeu d'enfans en comparaison des guerres civiles de Rome, où les plus grands capitaines et les plus puissans hom-

mes qui aient jamais été, se disputaient l'empire de la moitié du monde connu.

Lucain n'a osé s'écarter de l'histoire : par là il a rendu son poème sec et aride. Il a voulu suppléer au défaut d'invention par la grandeur des sentimens; mais il a caché trop souvent sa sécheresse sous de l'enflure. Ainsi il est arrivé qu'*Achille* et *Enée* qui étaient peu importans par eux-mêmes, sont devenus grands dans *Homère* et dans *Virgile*, et que *César* et *Pompée* sont petits quelquefois dans *Lucain*. Il n'y a dans son poème aucune description brillante, comme dans *Homère*. Il n'a point connu comme *Virgile* l'art de narrer, et de ne rien dire de trop; il n'a ni son élégance, ni son harmonie. Mais aussi vous trouvez dans la *Pharsale* des beautés qui ne sont ni dans l'*Iliade* ni dans l'*Enéide*. Au milieu de ses déclamations empoulées, il y a de ces pensées mâles et hardies, de ces maximes politiques dont Corneille est rempli; quelques-uns de ses discours ont la majesté de ceux de *Tite-Live*, et la force de *Tacite*. Il peint comme *Salluste* en un mot. Il est grand partout où il ne veut pas être poëte. Une seule ligne telle que celle-ci en parlant de César, « nil actum reputans si quid superesset agendum » vaut bien assurément une description poétique.

Virgile et *Homère* avaient fort bien fait d'amener les divinités sur la scène. *Lucain* a fait aussi bien de s'en passer. *Jupiter*, *Junon*, *Mars*, *Vénus*, étaient des embellissemens nécessaires aux actions d'*Enée* et d'*Agamemnon*. On savait peu de choses de ces héros fabuleux; ils étaient comme ces vainqueurs des jeux olympiques que *Pindare* chantait, et dont il n'avait presque rien à dire. Il fallait qu'il se jetât sur les louanges de *Castor*, de *Pollux* et d'*Hercule*. Les faibles commencemens de l'empire romain avaient besoin d'être relevés par l'intervention des dieux. Mais *César*, *Pompée*, *Caton*, *Labiénus* vivaient dans un autre siècle qu'*Enée* : les guerres civiles de Rome étaient trop sérieuses pour ces jeux d'imagination. Quel rôle *César* jouerait-il dans la plaine de

Pharsale, si *Iris* venait lui apporter son épée, où si *Vénus* descendait dans un nuage d'or à son secours?

Ceux qui prennent les commencemens d'un art pour les principes de l'art même, sont persuadés qu'un poème ne saurait subsister sans divinités, parce que l'*Iliade* en est pleine; mais ces divinités sont si peu essentielles au poème, que le plus bel endroit qui soit dans *Lucain* et peut-être dans aucun poëte, est le discours de Caton, dans lequel ce stoïque ennemi des fables dédaigne d'aller voir le temple de *Jupiter-Ammon*.

Ce n'est donc point pour n'avoir pas fait usage du ministère des dieux, mais pour avoir ignoré l'art de bien conduire les affaires des hommes, que *Lucain* est si inférieur à *Virgile*. Faut-il qu'après avoir peint *César*, *Pompée*, *Caton*, avec des traits si forts, il soit si faible quand il les fait agir? Ce n'est presque plus qu'une gazette pleine de déclamations; il me semble que je vois un portique hardi et immense, qui me conduit à des ruines.

MARMONTEL, *Poésies fugitives*, ann. 1769.

....

Le seul Lucain cherchant une autre gloire
Sans le secours des enfers ni des cieux,
D'un feu divin sait animer l'histoire,
Et son génie en fait le merveilleux.
Il est un vrai que l'artifice énerve :
Ce vrai l'inspire et lui donne le ton.
Qu'a-t-il besoin de Mars et de Minerve?
Il a César, et Pompée et Caton.
Les passions de César et de Rome
Lui tiennent lieu d'Hécate et d'Alecton :
Le ciel, l'enfer sont dans le cœur de l'homme.
  Donne à Lucain ton style harmonieux,
Ou prends de lui son audace intrépide,
O toi d'Homère émule trop timide,
Peintre touchant, poète ingénieux,
Sage Virgile, et pourquoi de tes ailes
Ne pas voler par des routes nouvelles?

Ainsi Corneille, à l'envi de Lucain,
Du merveilleux dédaigna les prestiges;
Crime ou vertu, tout fut grand sous sa main;
Et quand il veut étaler des prodiges,
Il fait agir et parler un Romain.

LE MÊME, *Préface de sa traduction.*

On voit ce poète, quelquefois si heureux dans la rencontre de l'expression forte, précise et juste, se contenter ailleurs d'indiquer sa pensée en termes vagues et confus, dont on a peine à démêler le sens. Sa poésie est harmonieuse par intervalles, mais le plus grand nombre de ses vers sont brisés; et ces ruptures qui, dans le dramatique, sont favorables à l'expression des mouvemens passionnés, privent l'épique de cette rapidité nombreuse qui enchante l'oreille et qui l'attache à la narration. Son coloris est sombre et monotone, et il n'y a jamais employé la magie du clair-obscur. Il s'engage dans des détails qui, en épuisant la description, rendent l'impression du tableau moins vive: il les accumulait pour avoir à choisir. Après avoir atteint les bornes du grand et du vrai, sa fougue l'emporte, il les franchit, et donne fréquemment dans cette enflure qu'on lui reproche. De plus son poème a le défaut de presque tous les poëmes épiques, il manque d'ensemble, il est mal tissu : l'action en est éparse; les évènemens ne s'y enchaînent pas; toutes les scènes sont isolées : il a négligé l'art d'Homère, l'art des groupes et des contrastes, et semble avoir oublié ce grand principe d'Aristote, que l'*Épopée ne doit être qu'une tragédie en récit*. La proximité de l'évènement ne lui ayant pas permis de le manier à son gré pour former le nœud d'une intrigue, il a suivi le fil de l'histoire; et se bornant au mérite de la peinture, il a presque absolument renoncé à la gloire de l'invention. Enfin le peu de merveilleux qu'il emploie n'a qu'un effet momentané : l'action du poème en est indépendante. Voilà les défauts de *Lucain*. Après cet aveu, je ne crois pas qu'on me soupçonne de le préférer à *Virgile*.

Mais que reste-il donc à son poème, dénué des charmes de l'élégance, de l'harmonie et du coloris, plein de longueurs et de négligences, et composé presque sans art? Ce qui lui reste? Des vers d'une beauté sublime, des peintures dont la vigueur n'est affaiblie que par des détails qu'on efface d'un trait de plume; des morceaux dramatiques d'une éloquence rare, si l'on prend soin d'en retrancher quelques endroits de déclamation; des caractères aussi hardiment dessinés que ceux d'*Homère* et de *Corneille;* des pensées d'une profondeur, d'une élévation étonnante; un fond de philosophie qu'on ne trouve au même degré dans aucun des poèmes anciens; le mérite d'avoir fait parler dignement *Pompée*, *César*, *Brutus*, *Caton*, les consuls de Rome, et la fille des Scipions; en un mot, le plus grand des évènemens politiques présenté par un jeune homme, avec une majesté qui impose, et un courage qui confond.

LAHARPE, *Cours de Littérature*, Part. I, c. 4, sect. 2.

Il ne serait pas juste de confondre Lucain avec ces auteurs (Silius Italicus, Stace, Claudien) à peu près oubliés. Il a beaucoup de leurs défauts, mais ils n'ont aucune de ses beautés. *La Pharsale* n'est pas non plus un poème épique : c'est une histoire en vers ; mais avec un talent porté à l'élévation, l'auteur a semé son ouvrage de traits de force et de grandeur qui l'ont sauvé de l'oubli.

Dans le dernier siècle, un esprit encore plus boursoufflé que le sien, l'a paraphrasé en vers français. . . . . . Mais bientôt le progrès des lettres et l'ascendant des bons modèles firent tomber la *Pharsale aux Provinces si chère*, comme a dit Despréaux, et malgré la prédilection de Corneille et quelques vers heureux de Brébeuf, Lucain fut relégué dans la bibliothèque des gens de lettres. De nos jours, la traduction élégante et abrégée qu'en a donnée M. Marmontel, l'a fait connaître un peu davantage, mais n'a pu le faire goûter, tandis que tout le monde lit le Tasse dans les ver-

sions en prose les plus médiocres. Quelle en pourrait être la raison, si ce n'est que le Tasse attache et intéresse, et que Lucain fatigue et ennuie? Dans l'original il n'est guère lu que des littérateurs, pour qui même il est très pénible à lire.

Cependant il a traité un grand sujet : de temps en temps il étincelle de beautés fortes et originales; il s'est même élevé jusqu'au sublime. Pourquoi donc, tandis qu'on relit sans cesse Virgile, les plus laborieux latinistes ne peuvent-ils, sans beaucoup d'efforts et de fatigues, lire de suite un chant de Lucain? Quel sujet de réflexion pour les jeunes écrivains, toujours si facilement dupes de tout ce qui a un air de grandeur, et qui s'imaginent avoir tout fait avec un peu d'effervescence dans la tête et quelques morceaux brillans? Quel exemple peut mieux leur démontrer qu'avec beaucoup d'esprit et même de talent, on peut manquer de cet art d'écrire, qui est le fruit d'un goût naturel, perfectionné par le travail et par le temps, et qui est indispensablement nécessaire pour être lu? En effet, pourquoi Lucain l'est-il si peu, malgré le mérite qu'on lui reconnaît en quelques parties? C'est que son imagination, qui cherche toujours le grand, se méprend souvent dans le choix, et n'a point d'ailleurs cette flexibilité qui varie les formes du style, le ton et les mouvemens de la phrase, et la couleur des objets; c'est qu'il manque de ce jugement sain qui écarte l'exagération dans les peintures, l'enflure dans les idées, la fausseté dans les rapports, le mauvais choix, la longueur et la superfluité dans les détails; c'est que, jetant tous ses vers dans le même moule, et les faisant tous ronfler sur le même ton, il est également monotone pour l'esprit et pour l'oreille. Il en résulte que la plupart de ses beautés sont comme étouffées parmi tant de défauts, et que souvent le lecteur impatienté se refuse à la peine de les chercher, et à l'ennui de les attendre.

Rien n'est plus connu que le mot de Quintilien, qui range Lucain parmi les orateurs plutôt que parmi les poètes :

« Oratoribus magis quam poetis annumerandus. » C'est faire l'éloge de ses discours; et en effet, il est supérieur dans cette partie, non qu'en faisant parler ses personnages, il soit exempt de cette déclamation qui gâte son style quand il les fait agir; mais en général ses discours ont de la grandeur, de l'énergie et du mouvement.

On lui a reproché, avec raison, de manquer de sensibilité, d'avoir trop peu de ces émotions dramatiques qui nous charment dans Homère et Virgile. Il s'offrait pourtant dans son sujet des morceaux susceptibles de pathétique; mais la roideur de son style s'y refuse le plus souvent, et dans ce genre il indique plus qu'il n'achève. La séparation de Pompée et de Cornélie quand il l'envoie dans l'île de Lesbos, et les discours qui accompagnent leurs adieux, sont à peu près le seul endroit où le poète rapproche un moment l'épopée de l'intérêt de la tragédie; encore laisse-t-il beaucoup à desirer.

Autant on lui sait gré d'avoir supérieurement colorié le portrait de César au commencement de son ouvrage, autant on est choqué de voir à quel point il défigure dans toute la suite du poème ce caractère d'abord si bien tracé. C'est la seule exception que l'on doive faire aux éloges qu'il a généralement mérités dans cette partie; mais ce reproche est grave, et ne peut même être excusé par la haine, d'ailleurs louable, qu'il témoigne partout contre l'oppresseur de la liberté. Je trouve tout simple qu'un républicain ne puisse pardonner à César la fondation d'un empire dont avait hérité Néron. Mais il pouvait se borner sagement à déplorer le malheureux usage des talens extraordinaires et des rares qualités que César tourna contre son pays, après s'en être servi pour le défendre et l'illustrer. On sait jusqu'où il porta la clémence. On sait qu'à Pharsale même, au fort de l'action, il donna l'ordre de faire quartier à tout citoyen romain qui se rendrait, et de ne faire main-basse que sur les troupes étrangères. Après cela comment n'être pas révolté, lorsque Lucain se plaît à le représenter partout comme un tyran féroce et un vainqueur

sanguinaire; lorsqu'il le peint se rassasiant de carnage, observant ceux des siens dont les épées sont plus ou moins teintes de sang, et ne respirant que la destruction! La poésie n'a point le droit de dénaturer ainsi un caractère connu, et de contredire des faits prouvés : c'est un mensonge et non pas une fiction. Il n'est permis de calomnier un grand homme ni en prose ni en vers.

Il n'y a guère de sujet plus grand, plus riche, plus capable d'élever l'ame, que celui qu'avait choisi Lucain. Les personnages et les évènemens imposent à l'imagination, et devaient émouvoir la sienne; mais il avait plus de hauteur dans les idées, que de talent pour peindre et pour imaginer. On a demandé souvent si son sujet lui permettait la fiction. On peut répondre d'abord que Lucain lui-même n'en doutait pas, puisqu'il l'a employée une fois, quoique d'ailleurs il n'ait fait que mettre l'histoire en vers. Il est vrai que les fables de l'*Odyssée* figureraient mal à côté d'un entretien de Caton et de Brutus; mais ç'eût été l'ouvrage du génie et du goût de choisir le genre de merveilleux convenable au sujet. Les dieux et les Romains ne pouvaient-ils pas agir ensemble sur une même scène, et être dignes les uns des autres? Le destin ne pouvait-il pas être pour quelque chose dans ces grands démêlés où était intéressé le sort du monde? Enfin le fantôme de la patrie en pleurs qui apparaît à César aux bords du Rubicon, cette belle fiction, malheureusement la seule que l'on trouve dans la *Pharsale*, prouve assez quel parti Lucain aurait pu tirer de la Fable sans nuire à l'intérêt ni à la dignité de l'Histoire.

Il est mort à vingt-sept ans, et cela seul demande grace pour les fautes de détail, qu'une révision plus mûre pouvait effacer ou diminuer, mais ne saurait l'obtenir pour la nature du plan dont la conception n'est pas épique, ni pour le ton général de l'ouvrage, qui annonce un défaut de goût trop marqué, pour que l'on puisse croire que l'auteur eût jamais pu s'en corriger entièrement.

VILLEMAIN, *Biographie universelle* (Michaud).

La gloire de Lucain fut précoce; et son génie, qu'une mort funeste devait arrêter si vite, n'eut que le temps de montrer de la grandeur, sans naturel et sans vérité : car le goût de la simplicité appartient rarement à la jeunesse; et dans les arts, le naturel est presque toujours le fruit de l'étude et de la maturité. Lucain paraissait d'ailleurs au milieu de la décadence des lettres, précipitée par la servitude publique, et par cette fausse éloquence des rhéteurs, qui remplaçait les mâles accens de la liberté romaine. Les lettres subissaient dans Rome la protection de Néron; et la philosophie, qui s'était flattée de conduire et d'inspirer le jeune maître du monde, s'avilissait devant lui, et figurait parmi les passe-temps de sa cour. Néron, qui, dans les premiers momens où il préludait à ses crimes par toutes les fantaisies du pouvoir absolu, était acteur, musicien et poète, accueillit les talens de Lucain. Il le fit questeur, augure, le combla de faveurs, et voulut même l'honorer de sa rivalité. Dans des jeux littéraires que l'empereur avait établis, Lucain chanta la descente d'Orphée aux enfers, et Néron la métamorphose de Niobé. Un tyran, mauvais poète, est un dangereux concurrent; et il paraît que Lucain, encore plus poète que courtisan, ayant eu l'audace de remporter la palme, perdit le mérite de ses premières flatteries. Il ne s'agit pas encore de ces adulations trop célèbres qui déshonorent le commencement de la Pharsale, et qui ne sont pas moins choquantes par le mauvais goût que par la bassesse. On ne peut en assigner l'époque; et l'on ignore si elles se rapportent à ces commencemens de Néron, affectant quelque vertu, ou si elles s'adressent à Néron déja coupable. A leur dégoûtante servilité, on croirait assez qu'elles ont été faites pour un tyran connu et redouté. Jamais bon prince ne fut ainsi loué. Au reste, suivant une ancienne tradition, un vers de cette emphatique apothéose avait déja préparé, dans l'esprit de l'empereur, la

disgrace du poète. Néron, qui était louche, s'offensa du vers :

Unde tuam videas obliquo sidere Romam.

On a peut-être supposé cette anecdote pour expliquer de la part de Néron une animosité dont la cause se présente d'elle-même en lisant la Pharsale. Il suffira de se rappeler avec quel soin cruel les premiers tyrans de Rome punissaient tous les souvenirs de la liberté, et tous les éloges donnés à ses derniers héros. Sous Tibère, l'historien Cremutius Cordus avait été mis à mort par sentence du sénat, pour avoir admiré Brutus et Cassius. Cet exemple se reproduisit plus d'une fois; c'était une tradition de la tyrannie impériale. Est-il besoin d'expliquer par une autre cause comment Lucain, admis dans la faveur du prince, ne put jamais s'avilir assez par les plus honteuses flatteries, pour racheter le crime d'avoir pleuré sur Pompée, d'avoir loué Brutus, et divinisé la vertu de Caton?

Quoi qu'il en soit de cette conjecture, Lucain, dans l'éclat de sa renommée, ayant fait un poème sur l'incendie de Troie et sur celui de Rome, reçut de l'empereur la défense de lire ses ouvrages en public et sur le théâtre, selon le privilège des poètes du temps. Cette persécution l'irrita. On peut croire aussi que de plus sérieux motifs lui inspirèrent contre Néron une haine justifiée par les forfaits de ce tyran, et le déterminèrent à partager des projets qui faisaient l'espérance des meilleurs citoyens de Rome. Néron était empoisonneur, parricide, et s'était souillé de sang et de mille infamies, lorsque Pison et plusieurs illustres Romains formèrent un complot contre sa vie. Lucain s'y jeta des premiers, avec tout le dépit qu'excitait en lui l'oppression jalouse que l'empereur faisait peser sur son talent. Cette conjuration, qui avait pour complices des grands de Rome, des sénateurs, des chevaliers, des écrivains célèbres, une courtisane, fut découverte par un affranchi. Plusieurs conjurés furent arrêtés et mis à la torture; ils révélèrent leurs complices : la courtisane Épicha-

ris, l'aurait-on cru, montra un caractère héroïque. Lucain, cédant à la promesse de la vie, dénonça tous ses amis, et déposa contre sa propre mère. Un ancien grammairien, qui raconte ce fait après Tacite, suppose que Lucain espérait qu'une telle impiété lui servirait près de Néron parricide. Sans adopter cette affreuse explication d'une détestable faiblesse, on peut croire que Lucain avait dans le caractère ce genre d'élévation qui tient à l'imagination plus qu'à l'ame, et qui trompe certains hommes en les transportant au-dessus d'eux-mêmes en espérances et en idée, pour les laisser, au moment du péril, retomber sur leur propre faiblesse. Il semble que cette fausse grandeur, sujette à des inégalités si déplorables, ait passé dans le talent poétique de Lucain. Le tyran ne laissa au poète que le choix du supplice (l'an 65 de J.-C.).

Lucain, près de mourir, retrouva toute sa fierté. S'étant fait ouvrir les veines, il expira en récitant des vers où il décrit les derniers momens d'un jeune guerrier qui, blessé par uu serpent, jette par tous ses pores son sang avec sa vie. Il était âgé de vingt-sept ans, et désigné consul pour l'année suivante. Il avait épousé une femme romaine, célèbre par sa naissance, sa vertu, sa beauté. Lucain avait composé beaucoup de poésies perdues pour nous : des sylves; un chant sur la descente d'Énée aux enfers; deux autres sur l'incendie de Troie et sur celui de Rome ; une Médée, sujet déja tenté par Ovide; des épîtres, dont une seule à la louange de Calpurnius Pison, est parvenue jusqu'à nous, et paraît porter le cachet de son génie. Mais le titre de sa gloire, c'est la Pharsale, ouvrage que des beautés supérieures ont protégé contre ses énormes défauts. Stace, qui, dans un chant lyrique, a célébré la muse jeune et brillante de Lucain, et sa mort prématurée, n'hésite point à placer la Pharsale au-dessus des Métamorphoses d'Ovide, et presque à côté de Virgile. Quintilien, juge bien autrement éclairé, reconnaît dans Lucain un génie hardi, élevé, et l'admet au nombre des orateurs.

plutôt que des poètes. Les écrivains français l'ont jugé diversement. Corneille l'a aimé jusqu'à l'enthousiasme : Boîleau l'approuvait peu. Voltaire en parle avec admiration, et lui sait gré d'avoir donné l'exemple d'une épopée philosophique, et presque dénuée de fiction. Marmontel a voulu prouver méthodiquement son génie; et Laharpe l'a doublement attaqué par la supériorité des ses critiques, et par la faiblesse de ses traductions. En dépit de l'enthousiasme et des raisonnemens de Marmontel, la Pharsale ne saurait être mise au rang des belles productions de la muse épique. Le jugement des siècles est sans appel. La Pharsale, où l'on ne peut méconnaître du génie et de beaux traits d'éloquence, reste frappée de deux défauts invincibles, le froid et la déclamation. Le style de ce poème qui brille souvent par la précision, la force et de grandes images, appartient à une époque de décadence ou de faux goût; sorte de désignation qui n'a rien d'arbitraire, et ne tient pas à un préjugé, mais qui résulte de la nature des choses. Après une époque littéraire féconde en chefs-d'œuvre, il est impossible qu'on ne voie pas la subtilité, la fausse grandeur et l'énergie outrée, s'introduire à côté des innovations les plus heureuses, et le faux goût devenir une combinaison nouvelle et un moyen de variété. On peut même observer que tous les sujets et tous les genres ne souffriront pas également de cet alliage à peu près inévitable dans les derniers âges d'une littérature. Tacite, génie fort supérieur à Lucain, est pourtant un génie de la même famille : il a, dans sa diction tant admirée, quelques-uns des défauts de ce poète; mais il les assortit à la sombre énergie de son sujet, et les couvre de beautés originales et neuves. Lucain, transportant les défauts d'un siècle subtil et déclamateur dans la composition épique, celle de toutes qui demande le plus de facilité d'inspiration et de sublime sans effort, reste aussi loin d'Homère qu'il l'est du naturel et de la vérité.

M. ANNÆI LUCANI

VITA

EX

COMMENTARIO ANTIQUISSIMO.

Marcus Annæus Lucanus patrem habuit M. Annæum Melam ex provincia Bætica Hispaniæ interioris, Cordubensem, Equitem Romanum illustrem inter suos, notum Romæ, et propter Senecam fratrem, clarum per omnes virtutes virum, et propter studium vitæ quietioris; quod sequens, quo magis a turba recedebat, minus latebat. Matrem habuit et regionis ejusdem et urbis, Aciliam nomine, Acilii Lucani filiam, oratoris operæ apud proconsules frequentis, et apud clarissimos viros non nullius ingenii; adeo non improbandus, ut in scriptis aliquibus hodie quoque duret ejus memoria : cujus cognomen huic inditum apparet. Natus est III non. novembr. C. Cæsare Augusto Germanico II, L. Cæsiano Coss. Sed in patria sua non valuit educari : fatorum, credo, decretis, ut id ingenium, quod orbem fama sui impleturum cresceret, in domina mundi aleretur urbe. Octavum enim mensem agens, Romam translatus est. Ac ne dispar eventus in eo narraretur ejus, qui in Hesiodo refertur, quum opinio tunc non dissimilis maneret, cunas infantis, quibus ferebatur, apes circumvolarunt, osque insidere complures, aut dulcem jam tum spiritum ejus inhaurientes, aut facundum, et qualem nunc existimamus, futurum significantes. A præceptoribus tunc eminentissimis est eruditus: eosque intra breve temporis

spatium ingenio adæquavit; una vero studentes superavit profectibus. Declamavit et græce et latine cum magna admiratione audientium. Ob quod puerili mutato in senatorium cultum, et in notitiam Cæsaris Neronis facile pervenit, et honore vixdum ætati debito dignus judicatus est. Gessit autem quæsturam : in qua cum collegis, more tunc usitato, munus gladiatorium edidit, secundo populi favore, sacerdotium etiam accepit. Equidem hactenus tempora habuit secunda. Quæ autem sequuntur, mutata invidia et odio Neronis, ipsi exitium, domesticis luctum miserabilem attulerunt. Inter amicos enim Cæsaris, quod tam conspicuus fieret profectus in poetica, frequenter offendebatur. Quippe et certamine pentaterico acto, in Pompeii theatro laureis, recitante Nerone, fuerat coronatus, et ex tempore Orphea scriptum in experimentum ingenii ediderat; et tres libros quales videmus. Quare inimicum sibi fecit Imperatorem. Quo ambitiose imitante, non hominum tantum, sed et artium sibi principatum vindicante, interdictum est ei poetica, interdictum est etiam causarum actionibus. Hoc factum Cæsaris juvenili æstimans animi calore, speransque ultionem, a conjuratis in cædem Neronis socius assumtus est : sed parum fauste. Deceptus est enim a Pisone et Consularibus, aliisque prætura perfunctis illustribus viris. Dum vindictam expetit, in mortem irruit; nam sua sponte coactus vita excedere, venas sibi præcidit; periitque prid. kal. maias, Attico Vestino et Nerva Sylano Coss. XXVII ætatis ann. agens : non sine jactura utilitatis, quum patriæ, quæ tantam immature amisit indolem, tum studiorum quoque. Reliqui enim VII Belli civilis libri locum calumniantibus, tanquam mendosi, non darent. Qui tametsi sub vero crimine non egent patrocinio, de iisdem dici, quod in Ovidii libris præscribitur, potest : *Emendaturus, si licuisset, erat.* Exstant ejus et alii complures; ut Iliacon[1], Saturnalia, Catasco-

[1] *Iliacon.* « In hoc indiculo operum Lucani pleraque sunt aut corrupta, aut obscura. Forte lucis aliquid attulerit Crinitus, cujus hæc verba :

mon¹, Silvarum X, Tragædia Medea imperfecta, Saltica Fabulæ XIV, et Hippamata prosa oratione in Octavium Sagittam: et pro eo, de incendio Urbis: Epistolarum ex Campania. Non fastidiendi quidem omnes: tales tamen, ut Belli civilis videantur accessio.

M. ANNÆI LUCANI

VITÆ

FRAGMENTUM

EX C. SUETONII TRANQUILLI, UT VIDETUR, LIBRO DE CLARIS POETIS*.

M. ANNÆUS LUCANUS, Cordubensis, prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine.

Enumerantur a Grammaticis nostris, præter opus de bello Cæsaris et Pompeii, complura alia ab eodem Lucano composita. Scripsit enim Saturnalia, Silvarum lib. X. Tragœdiam Medeam, quam non absolvit; de incendio Urbis; de incendio Trojæ, cum Priami calamitate; Orphæum; fabulas complures et epistolas. Libri qui Iliacon inscribitur, meminit Luctatius vel Lactantius vetus interpres Statii Papinii, qui hæc ex eo citat ad versum Thebaid. III, 641: « Atque Helenæ timuisse Deos. » Item ad versum VI, 322: « Haud aliter raptum transverso limite cæli, Flammati Phaethonta poli videre, Deique. Tum vice mutata totis in montibus ardens Terra dedit cælo naturaque versa. » Idem interpres ad vs. IX, 424, ex Lucani *Catagonio* citat hæc: « Thebais Alcmene, qua dum frueretur Olympi Rector, Luciferum ter jusserat Hesperon esse. » — De his omnibus confer Wernsdorf. in recensione Homeristarum latinorum n° 15, ad Poetas Lat. Minores, nost. edit. t. III, p. 489 sqq. ED.

¹ *Catascomon*. Scaliger *Iliacum catacausmon* scribebat, unum et idem opus intelligens. Barthius legebat κατοσκόπιον vel κατασόμιον. Sed recte Vossius correxit *Iliacon*, *Saturnalia*, *Catacausmon*, ut *Iliacon* liber sit de incendio Trojæ, et ultimus de incendio urbis carmine conscriptus. Alii *Catagonium* putant scribendum a καταγωνίζεσθαι quasi ille liber complexus fuerit certamina Herculis.

* Quod comparet in mss. 8039.

Dein civile bellum, quod cum Pompeio a Cæsare gestum est, recitavit. Qui tantæ levitatis et tam immoderatæ linguæ fuit, ut in præfatione quadam ætatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere, *Et quantum mihi restat ad Culicem?* Hic initio adolescentiæ, quum ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longe cognovisset, revocatus Athenis a Nerone, cohortique amicorum additus, atque etiam quæstura honoratus, non tamen permansit in gratia. Siquidem ægre ferens, recitante se, subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa, indicto Senatu, Neronem recessisse; neque verbis adversus Principem, neque factis exorbitantibus post hæc temperavit: adeo ut quondam in latrinis publicis, clariore strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis, magna consessorum fuga pronuntiarit, *Sub terris tonuisse putes.* Sed et famoso carmine quum ipsum, tum potentissimos amicorum, gravissime proscidit. Ad extremum pæne signifer Pisonianæ conjurationis exstitit: multus in gloria tyrannicidarum palam prædicanda, ac plenus minarum; usque eo intemperans, ut Cæsaris caput proximo cuique jactaret. Verum, detecta conjuratione, nequaquam animi constantiam præstitit. Facile enim confessus, et ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter socios nominavit; sperans, impietatem sibi apud parricidam Principem profuturam. Impetrato autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem de corrigendis quibusdam versibus suis exaravit: epulatusque largiter brachia ad secandas venas medico præbuit. Poemata ejus prælegi memini; confici vero ac venalia proponi, non tantum operose ac diligenter, sed inepte quoque.

NOTITIA LITERARIA

DE

M. ANNÆO LUCANO

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA,

À JO. AUG. ERNESTIO AUCTIUS EDITA, TOM. II, CAP. 10.

LUCANI ÆTAS.

M. ANNÆUS LUCANUS [1] Cordubensis Hispanus, filius M. Annæi Melæ, quem Senecæ philosophi fratrem fuisse diximus, Eques Romanus, et ab Imp. Nerone variis auctus honoribus, sed postea, grave ejus odium incurrens, quod in poetica, cujus principatum Imperator ambiebat [2], excellere cuperet. Itaque implicitus Pisonianæ conjurationi, et deprehensus, exireque vita jussus, venis solutis obiit anno C. 65, vix annos natus 27. Genethliacon ejus celebrat Statius lib. II, Silva 7.

PHARSALIÆ LIBRI.

Exstant ejus Pharsaliæ sive de Bello civili Cæsaris atque Pompeii, quod pugna ad Pharsalum, Thessaliæ urbem, qua Pompeium Cæsar vicit, finitum est, libri X, carmine heroico.

[1] Præter vitam Lucani, quæ ad Suetonium auctorem refertur, aliam ineditam laudat Scaliger ad Culicem Virgilii, illam fortassis, quæ editioni Schrevelianæ præmittitur, edita a Jo. Britannico (v. sup.). Adire præterea juvabit Mart. Hanckium de Rom. rerum scriptoribus, cap. 11. Nic. Antonium, lib. I, bibl. vet. Hispanæ, cap. 10, et Gaddium de Scriptoribus non Ecclesiast. tom. I, p. 269.

[2] Tacitus XV, 49 et 79.

Quantum ex præsenti opere gloriæ sibi promiserit auctor ipse, patet ex his ejus verbis IX, 983, seq.

Invidia sacræ, Cæsar, ne tangere famæ :
Nam si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnæi[1] durabunt vatis honores,
Venturi me teque legent : Pharsalia nostra
Vivet, et a nullo tenebris damnabitur ævo.

Tumorem Lucani reprehendit Jul. Cæs. Scaliger et Caussinus, de Eloquentia sacra et profana, III, 10. Non minus reprehendas, nisi velis per ironiam dictum admittere, quod mirum in modum adulatur Neroni, usque adeo, ut cum multis verbis bellorum civilium atrocitatem et miseriam exaggerasset, subjungat lib. I, vers 44 :

Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est...

Astronomiæ peritiam in Lucano desiderabat Josephus Scaliger Prolegom. ad Manil. et alibi, eumque sequutus Grotius ad lib. I, vers 54, et Barthius Adversar. LIII, 6. Sed defendit Lucanum Franc. Insulanus, procurator parisinus, in Apologia pro Lucani Mathematica adversus Scaligerum, versibus edita Paris. 1582, in-4, quam impugnat Scaliger Epist. 3, ad Mamertum Patissonium. Aliam Lucani Apologiam[2] Scaligero opposuit Jac. Palmerius Grentesmenilius editam post auctoris mortem a Jano Berkelio Lugd. Bat. 1704, in 8. Conferendus etiam Jo. Bapt. Bellus in diatriba de mense et die[3] victoriæ Pharsalicæ, Tolos. 1637, in-8, recusa tom. VIII Thesauri antiquitatum Romanar. Græviani, et separatim iterum cura Henr. Leonh. Schurzfleischii, Viteb. 1705, in-4. Laudat Lucanum præter alios, ac frequenter imitatur Guil. Brito, ut observatum Reinesio est p. 561 et 404. Var. Lect. Burmano judice, ut eloquentiæ corruptela Senecæ Philosopho

[1] Homerum intelligit.

[2] Confer Menagii Anti-Bailletum, Tom. I, p. 370, et edit. Oudendorpii.

[3] 26 Jun. anno U. C. 706.

recte adscribitur, ita sanctissimam et divinam artem poesin primus contaminare, et heroicum carmen ad declamatoria acumina demittere aggressus est fratris ejus M. Annæi Melæ filius, Lucanus. Ineptiuntque maxime, qui eum Virgilio comparare adnituntur, in quo omnia castigata, limata, et naturalia : quum Lucanus, ut effrenis equus, impetu semper maximo feratur, neque habenas audiat, sed indulgens ingenio, neque modum neque rationem servet carminis; judicio non recte usus, quum ubique ostentare vim suam et vehementiam, etiam ubi convenit minime, conetur[1]. Potest tamen cum fructu legi, quum ejus dictio sit satis latina, puraque, et descriptiones, quas immiscet operi, haud inelegantes. Characteres ejus quoque egregii, in qua arte proximus est Velleio Paterculo, et rerum civilium minime rudis. Lucanus perstringitur a Petronio cap. 118, his verbis : « Ecce belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt, quam poetæ, etc. » Confer Jani Dousæ Præcidanea ad Petron. lib. II, cap. 12. Tamen Casp. Barlæus, tom. I, Poem. p. 417, ex persona Lucani :

Cui minus Historicus credor, minus esse Poeta,
Me minor est vates, me minor Historicus.

Atheismi crimen Lucano impactum ab eo removet auctor Epistolarum italice editarum Bononiæ a. 1708, in-8, p. 52, 242. Acta eruditorum, Lips. tom. IV, supplementi pag. 62, seq. Memoriæ Trevol. 1706, p. 570. In antiquis codicibus hoc de Lucano hexastichon legitur :

Corduba me genuit, rapuit Nero. Prælia dixi
Quæ gessere pares, hinc socer, inde gener.
Continuo numquam direxi carmina ductu,
Quæ tractim serpit[2], plus mihi comma placet.

[1] Adde Barth. Advers. LIII, 6.

[2] Alii rectius : « quæ tractim serpant : plus mihi comma placet. » Comma est incisum, breve, argutum. Nimium quæsita acumina in Lucano reprehendit D. Bohurius, libro *la Ma-*

Fulminis in morem, quæ sunt miranda, citentur.
Hæc vero sapiet dictio, quæ feriet.

Vitam Lucani, a Suetonio scriptam, ad Casaubonum a. 1596, misit Theodor. Canterus. Vide Epistolas Casauboni edit. Almelovenianæ, p. 646, ubi notatur, aliunde assuta esse hæc verba postrema : « Poemata etiam ejus prælegi memini : confici vero ac venalia proponi non tantum operose ac diligenter, sed inepte quoque. » Suetonio hæc vita vindicatur a Barthio, Advers. VII, 3; XI, 21. Exstat in Grævianis et aliis recentioribus Suetonii editionibus. Alia vita est, quæ ex commentario antiquissimo repetita fertur in variis Lucani edit. et incipit : « M. Annæus Lucanus patrem habuit M. Annæum Melam. » In Jo. Fr. Wichmanshausenii diatriba in Lucani Pharsaliam, Viteb. 1712, in-4, et in Jac. Mos. Briosii (*de Brieux*) Epistolis, editis Cadomi a. 1670, in-8, p. 112 sqq. ad Jac. Palmerium, multa in Lucani laudem congesta lector reperiet, et p. 130 sqq. nonnulla Lucani emendata vel illustrata. Illustrat etiam plura Lucani loca et castigat Franc. Modius in Lectt. novantiquis, nec non Guilielmus Canterus in Novis lectionibus. Nimium Lucano tribui a Statio, quum patriam ejus ipso nato « plus quam Senecam dedisse mundo » scripsit, ita profitetur Barth. ad lib. II, Silv. 7, p. 251, ut adulationem appellet pæne abominabilem. Nimis tamen et ipse in Lucanum iniquus, quando subjungit : « Quid enim totus Lucanus, tamen meliore parte suorum scriptorum superstes, ad Senecæ vel unam Epistolam aut tractationem? » Idem assentitur Franc. Florido Sabino, qui lib. II, subseciv. Lection. c. 20, nihil unquam putavit prolatum stultius, quam quum Statius Homero superiorem, parem Virgilio Lucanum celebravit poetam his versibus :

Graio nobilior Melete Bætis;
Bætin Mantua provocare noli.

nière de penser, p. 237. Quod vero plus historicus quam poeta dicitur Jornandi, c. 5, de rebus Get. atque inde Freculfo, libri II Chron. c. 16, ad fidem potius putem pertinere, quam ad scribendi characterem. Cf. sup. p. xviij.

Et ad Guil. Britonis hæc IX, 731, seq. quibus Statio Lucanum anteponit, Virgilio confert :

> O nunc Lucani ruat in me sive Maronis
> Spiritus, aut saltem Thebani vatis imago ;

Barthius in notis p. 631 : « Persuasione præsumta et ex ipsius Papinii non nimis subtili hac de re judicio, longe Lucano Papinium postponit, ausus Lucanum etiam Maroni componere, quo delirio delirius nullum unquam poetam delirasse arbitror. »

Feminis, quæ, ut Polla Lucanum, maritos suos in studiis adjuverunt, addenda Claudia Statii poetæ, de qua Gevartius III, 13, Papinianar. lect. p. 195, seq.

Libri decimi pars posterior et forte plures insequentes cum aliis Lucani poematis perierunt. Nec ultimam manum[1] addidisse iis, quos habemus, libris putatur a nonnullis. Fuerunt etiam, qui poetis[2] accensere Lucanum dubitarent, quod his-

[1] Libros tres priores emendasse aiunt *Pollam Argentariam*, Lucani uxorem, quæ deinde Statio poetæ nupsit, ut ipse docere videtur prooemio, lib. II, Silvar. Hinc Sidonius: « Polla dat poetas. » Hæc, auctore Bapt. Fulgoso, « tanto ingenio doctrinaque fuit, ut cœptos a viro permultos versus ipsa eadem styli gravitate atque elegantia perficeret, atque epigrammata etiam peritissime conscriberet, » libr. VIII, c. 3. Plures feminæ maritos suos, vel amasios in studiis adjuvantes celebrantur a Sidonio, lib. II, epist. 10, ad Hesperium : « Sisque oppido memineris, quod olim Martia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apuleio, Rusticiana Symmacho legentibus meditantibusque candelas et candelabra tenuerunt ; — reminiscere, quod sæpe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo. »

[2] Vide Martialem XIV, 194 : Isidorum, Orig. VIII, 7, et Servii loca, Jornandis ac Jo. Sarisberiensis apud Voss. de natura poeticæ, p. 7. Nimirum, ex Aristotelis præceptis, vati non est quasi res gesta versibus tradenda, sed per ambages Deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum debet liber spiritus præcipitari, ut loquitur Petronius. Verum Erasmus epist. ad Andr. Ammonium, pag. 216 : « Sunt, inquit, qui poema non putent, nisi Deos omnes e cælo, mari, terraque subinde advocas, nisi sexcentas infulcias fabulas. Mihi semper placuit carmen, quod a prosa, sed optima, non longe recederet. » In hanc sententiam multa Palingenius, scriptor lectu dignissimus, initio libri VI Zodiac.

toriam, quam versu persequitur, non tot fabulis inquinasset more aliorum poetarum. Marbodum Andinum Rhedonensem Episcopum, fama est, ut patriæ gratificaretur, hos de Meduana et Ligeri versus Lucano inseruisse lib. I, v. 438, seq.

> In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus
> Andus, jam placida Ligeris recreatur ab unda.

Sane in omnibus mss. codd. antiquis non comparent, vel ipso Grotio teste, qui eos in sua ἐκδόσει edendos curavit. Hæc Menagius, ad Laërt. p. 27.

Scholiastes Lucani antiquus commemoratur a Grotio ad Lucan. et a Barthio ad Statium ac Britonem. Arnolphi Aurelianensis scholia mss. fuere in bibl. Gudiana; Lucanus cum commentariis mss. Zoni Florentini in bibl. regis Galliæ, teste Labbeo. Alius scholiastes mss. in bibl. vaticana memoratur a Nic. Antonio in bibl. vet. Hispana p. 47.

CARMEN AD PISONEM LUCANO TRIBUTUM.

Inter Catalecta veterum poetarum exstat Carmen Panegyricum ad Calpurnium Pisonem[1] quod Virgilio ab aliis, ab aliis Ovidio perperam adscriptum, ad Lucanum fere referunt eruditi. Vide Barthii notas ad Statium tom. I, p. 254 et 456, ubi Statio illud tribuit, et ad Claudianum, De laudibus Stilichonis, lib. I, v. 38, ubi Calpurnio. Est autem eodem Barthio judice, Adversarior. XLIX, 7, « Poema ἀτέλεστον, et in libros aliquot fuisse divisum videtur, vel ex solo fine : adeo alioquin cultum et eruditum, ut malim aliis tertio prolixioribus tanto carere, quam isto. »

SCRIPTA DEPERDITA.

Deperdita Lucani sunt Catacausmos[2] Iliacus, Catalogus

[1] Sane in veteri scheda manuscripta reperit Scaliger ejusmodi inscriptionem : « Lucani catalecta de laude Pisonis. » Vide autem Poet. latin. Min. tom. III, pag. 43 seq. nost. ed.

[2] Conf. Genethliacon, v. 54.

Heroidum, Hectoris lytra, Orpheus[1], Saturnalia, Silvarum libri X, *Medea tragœdia* imperfecta, *Hypomnemata* prosa oratione, in *Octavium Sagittam*, et pro eo *Declamationes, Epistolæ* ex Campania, *Satyricæ fabulæ XIV*[2], etc. Vide Scaligerum ad Catalecta vett. poetarum p. 279, sqq. Vossium de Hist. lat. lib. I, c. 26, et Colomesium ad Gyraldum p. 239. Sed videndus imprimis Nic. Antonius, lib. I, bibl. vet. Hispanæ, pag. 42, seq. Barthius Adversar. XXIII, 5, et ad Statium tom. I, p. 254, seq. qui de *Medea* Lucani etiam videndus, tom. I, p. 246, uti de *Orpheo* ejus; Jo. Frid. Gronovius Diatrib. ad Statii lib. II, Silv. 7, ante quem decem libros Silvarum a Lucano scriptos Nic. Antonius contendit.

Hæc de Lucano dicta sufficiant, quem Virgilio non comparatum, sed plane prælatum a Pet. Cornelio, sicut a Franc. Malherba Statii clangorem et crepitacula, refert et indignatur Huetius de rebus ad se pertinentibus, p. 24, 314.

[1] Conf. ib. v. 57. Ex hoc Orpheo versus quosdam servavit Servius, ad Georg. IV, 493, quos adduxit Vossius : « gaudent a luce relictam Eurydicen, iterum sperantes Orphea manes. »

[2] Alii scribunt Saltiœ fabulæ (ita non modo est in Lucani vita, quam ex vetustissimo cod. edidit. Jo. Britannicus, sed etiam apud Pomponium Fortunatum in ejusdem Lucani vita). Crinitus, quum id non intelligeret, contentus fuit dicere, scriptas ab eo fuisse fabulas complures. Puto a *Saltus* formatam esse *salticus*, ut dicimus: cælicus, astricus, civicus, hosticus, genticus, quod apud Tacitum est. Ita fabulæ salticæ sint, quæ res narrant ad Saltus pertinentes; ut de amoribus Satyrorum et Nympharum, quæ Apollonio Rhodio ἀλσηΐδες νύμφαι; et similia his alia. G. J. Vossius.

INDEX EDITIONUM

M. ANNÆI LUCANI

AUCTIOR FABRICIANO

ET IN QUINQUE ÆTATES DIGESTUS.

ÆTAS I s. NATALIS

1469 — 1502.

Quæ a principis editionis Romanæ curatore Jo. Andrea episcopo Aleriensi orsa, commentatores tulit Omnibonum Leonicenum, et Jo. Sulpitium Verulanum, qui idem argumenta X librorum versibus concinnavit.

1469. Editio princeps. Romæ, ex recognitione Jo. Andreæ episc. Aleriens. cum ejusdem epistola ad Paulum II, P. M. et vita poetæ a Pomponio Infortunato scripta. In ea hæc de Lucano Pomponius Infortunatus : « Pharsaliam non finivit, cujus primos tres libros cum uxore correxit : quos inscitia depravatos cum reliquis septem Jo. Andreas Antistes Aleriensis diligentissime nostro tempore emendavit, rogantibus Conrado et Arnoldo, qui ne lingua Romana pereat, libros laudabili inventione imprimunt. » In fine legitur :

Hoc Conradus opus suueynheym ordine miro
Arnoldusque simul pannarts una æde colendi
Gente theutonica : romæ expediere sodales.
MCCCCLXIX.

fol. Maittair. pag. 282. Panzer Tom. II, pag. 413.

1472. Halæ ; in-4. ch. goth. Fol. 1, legitur epitaphium Lucani: « Corduba me genuit, etc. » Fol. 2, exhibetur « Petri eolici in M. Annei Lucani Pharsaliam præfatio. » Sequitur textus ; in cujus fine : Finis. Halæ. MCCCCLXXII. — *Catalogue de la bibl. du comte de Rewiczki*, pag. 156. Panzer Tom. IV, pag. 9.

Sed in anni numero, quem præfert hæc editio, vel fraudem vel errorem subesse, recte notavit Martyni-Laguna in epist. ad C. G. Heyne pag. xxxi, legendumque forte esse MCCCCCXXII, quum adsit præfatio Petri Eolici (qui an. 1496 Lipsiæ publice enarravit Lucani carmen), et ante an. 1520 nulla Halæ fuerit officina typographica[1].

1475. Omniboni Leoniceni, Vicentini, in Lucanum Commentarii, sine textu. In fine: « Venetiis MCCCCLXXV, xii kalendas augusti. Existente Venetiarum duce Petro Mocenico. » Fol. char. Rom. Vindel. de Spira, ut putat Mittar. pag. 115. — Maitt. pag. 350. Panzer Tom. III, pag. 112.

1477. Mediolanensis I, fol. In fine: « Opus impressum Mediolani impensis Philippi Lavagniæ anno MCCCCLXXVII, vi kal. martii. » Sequitur Epigramma:

Si generi socerique rupis cognoscere bella
  Non alium quæras: hic manifesta facit.
Immatura dies rupit Pharsalica fata
  Quo bonus haud tantum clauderet auctor opus.
Quod Nero crudelis facinus licuisse putasti:
  A te non aliud debuit ire bonis.
Multa quidem licuere tibi: sed plura relicta
  Imperfecta licet non tamen illa perit.
Vivet: et extinctis Pharsalia nempe legetur
  Cæsaribus: cineres non capit urna sacros.
Et liret hic partes vel plures rhetoris extent,
  Invenies et quæ mira poeta canat.

Accedit vita Lucani, auctore Pomponio Infortunato. Maitt. pag. 380. Panzer Tom. II, pag. 27.

— *Veneta* I, fol. min. In fine:

Quam veniant grandes Lucani in carmina Musæ
Et quantum excellat dicendi fulmine Vates,
Judicet, altiloquas novit quicumque sorores.
Certe ego divino paulum cessisse Maroni
Crediderim, Phœbo digna et majora loquutum.
Incertos belli eventus civiliaque arma

[1] De hac editione sic fere agit Oudendorpius: « Hæc prima et correctissima est. Hanc cum multis viris doctis omnium primam esse puto, licet videam Spanhemium existimare aliam quamdam editionem sine anno et loco, qualem Hagæ aliquando obiter inspexi cunctarum principem esse. »

Cognatasque acies et summa pericula rerum
Scripserit ardenti melius quis carmine Vates?
Quasve ferat Latius gentes aut Gallicus axis,
Aut Oriens, quibus aut animis in bella ruentes?
Quid toga, quid sævi pariant discrimina Martis:
Emptor, habes: tantum moneo observare poetam.
Ergo cape, et Juvenem Guerinum ad sidera tollas
Lucanum Veneta dorte qui impresserit urbe.

« Impressum est hoc opus anno a nativitate Christi MCCCCLXXVII, die XIIII mensis maii. » — Maitt. pag. 376. Panzer Tom. III, 131 sq. coll. Tom. IV, pag. 431. Editio Veneta h. a. per Joh. de Colonia, quam excitat Maitt. pag. 775 nulla est. Sic et editio Veneta an. 1479, quam excitat idem pag. 776, apocrypha est.

— Mediolanensis II, fol. In fine: « Opus impressum et diligenter emendatum sublimi ingenio magistri Antonii Zaroti anno Domini MCCCCLXXVII, die XXV mensis maii. » — Maitt. pag. 380. Crevenna Tom. III, pag. 226. Panzer Tom. II, pag. 29.

1482. Vicentiæ, fol. In fine: « Impressum est hoc opus per magistrum Joannem de Rheno anno a nativitate Christi MCCCCLXXXII, die XI mensis maii. » — Denis Suppl. pag. 152. Panzer Tom. III, pag. 516.

1483. Parmæ, fol. In fine: « Parmæ feliciter impressum per Deiphœbum de Oliveriis anno MCCCCLXXXIII, XI chalendas junias. »

Pharsalicas acies cognataque prælia quisquis
  Nosse cupit: chartas perlegat ille meas.
Non struimus cædes patriæque in viscera natis
  Insidias: lachrymis lumina nostra madent.
Sed quibus auspiciis orbem servire Neroni
  Quam bene currenti fata tulere rota.
Aurea nunc tandem me impressit *Parma*: vacavit
  Docta manus: sumptus nec periere graves.
Non igitur loculis parcas, lecture, precamur:
  Impleat ære suas bibliopola manus.
At mihi ut alba trahant ferales pensa puellæ
  Posce diu: impressi qui fera bella. Vale.

Maitt. pag. 443. Panzer Tom. II, pag. 355, seq.

1486. Brixiæ, in-fol. cum commentariis Omniboni Leoni-

ceni. In fine : « Impressum Brixiæ per Jac. Britannicum Brixianum MCCCCLXXXVI, vi nonas maii. » — In hac editione commentarius Omniboni correctus est a Jo. Taberio Brixiano, cujus et epistola præfixa est [1], in qua illum commentarium adeo vitiosum factum dicit, ut dedecori fuerit auctori. Maitt. pag. 475. Panzer Tom. I, pag. 249.

— Veneta II, fol. cum commentariis Omniboni. In fine : « Finit opus Lucani cum commentariis Omniboni Viceutini impressum Venetiis à Nicolao Battibove Alexandrino anuo Domini MCCCCLXXXVI, tertio idus maii, regnante inclyto principe Marco Barbadico. » — Maitt. pag. 476. Panzer Tom. III, pag. 236.

— Sine loco, fol. — Panzer Tom. IV, pag. 40, ex cat. bibl. Salth. pag. 163.

1491. Mediolanensis III, fol. cum Omniboni commentariis. In fine : « Impressum Mediolani per Uldericum Scinzenzeler MCCCCLXXXXI, die decimo novembris. » — Repetitio editionis Brixiensis an. 1486. Maitt. pag. 533. Panzer Tom. II, pag. 64.

1492. Veneta III, fol. cum commentario Omniboni. In fine : « Impressum Veneciis impensis Octaviani Scoti necnon arte Bertolamei de Zanis de Portesio anno Domini MCCCCLXXXXII, die ultimo mensis martii. Finis. » — Maitt. pag. 546. Panzer Tom. III, pag. 315.

1493. Veneta IV, fol. cum Jo. Sulpitii Verulani et Omniboni commentariis. In fine : « Exactum hoc insigne atque preclarum opus Lucani cum Jo. Sulpitii Verulani viri doctissimi commentariis a proprio originali extractis : nec non Omniboni Vicentini diligentissime emendatis. Venetiis impressum per Simonen Bevilaquam Papiensem anno salutis Christianæ MCCCCXCIII, die vero ultimo Januarii. — Maitt. pag. 561. Panzer Tom. III, pag. 339.

1498. Veneta V, fol. min. Lucanus cum duobus commentis. (Jo. Sulpitii et Omniboni.) In fine : « Exactum hoc insigne ac præclarum opus Lucani cum Jo. Sulpitii Verulani viri claris-

[1] Epistola ad Franciscum Barbarum Patricum Venetum. Hanc cum dedicatione Brixiani Hieronymo advocato edit. suæ præmisit Oudend.

simi commentariis a proprio originali extractis : necnon Omniboni Vicentini diligentissime emendatis. Venetiis impressum per Simonem Bevilaquam Papiensem. Anno salutis christianæ MCCCCXCVIII, die vero vicesima octobris. » — Maitt. pag. 662. Panzer Tom. III, pag. 434.

1499. Mediolanensis IV, fol. cum commentariis Jo. Sulpitii Verulani et Omniboni Leoniceni. In fine : « Exactum hoc insigne atque præclarum opus Lucani cum Joh. Sulpitii Verulani, viri clariss. commentariis, a proprio originali extractis, nec non Omniboni Vicentini diligentissime emendatis, impressum Mediolani per Leonardum Pachel anno Domini MCCCCXCIX, die quarto maii. » — Maitt. pag. 799. Sax. pag. 605. Panzer Tom. II, pag. 90.

1501. Parisiis, fol. Lucani Pharsalia cum argumentis Jo. Sulpitii Verulani et annotamentis marginalibus Chappusoti. « Impressum Parisiis arte impressoria magistri Joannis de Prato. MDI. » — Panzer Tom. VII, pag. 502.

Ad seculum XV porro pertinent editiones sequentes sine anni nota :

.... S. a. l. et typogr. Incipit sic :

M. ANNEI LUCANI CORDUBEN
SIS PHARSALIÆ LIBER PRIMUS.
Corduba me genuit, etc.

In fine :

Cum genero iuventis Cæsar dignissime tantis
Vivis adhuc. Martis qni potes esse nepos
Namque ubi conciderae : hae laude voluminis astra
Tangis : et ad summnm notus es usque polum.
Forma dedit renovare manus: reperire colorem
Quo maneat libris pressa litura suis.
Quodque diu calcabat opus noctesque diesque
Dextera : sola premat tincta tabella die.
Ingenii certe vires et munera tanti
Mirentur veternm qui sacra bella legent.
Sic neque deficiat Romani gloria regis
Codice nee careat turba docenda nova.

fol. char. Rom. nitidiss. absque ulla nota. Editio rarissima, et forte omnium princeps, quam primus excitavit Morelli in cat. bibl. Pin. P. II, pag. 339. Conf. Panzer Tom. IV, pag. 154. seq.

... S. a. l. et typogr. fol. Incipit volumen a foliis quatuor, quæ duplicem Lucani vitam, et Martialis et Statii carmina quædam continent. Fol. 5 opus ipsum incipit, hac præmissa inscriptione :

.M. ANNEI. LUCANI. CORDUBEN
SIS. PHARSALIÆ : LIBER
: PRIMUS.

« Corduba me genuit, etc. » Tum demum poema incipit, cujus versus septem primi literis majusculis impressi sunt. Tota pagina prima ornamentis typographicis exiguæ formæ signo expressis scatet, quemadmodum etiam extrema, quæ versus quatuordecim tantummodo complectitur, apposito uno verbo : FINIS. — Catal. bibl. Pinell. P. II, pag. 340. Panzer Tom. IV, pag. 155.

... S. a l. et typogr. fol. min. Præcedit « M. Annei Lucani vita ex commentario antiquiss.» Tum : « ex dimidiato codice Particula ad poetæ hujus vitam pertinens sumpta. Accedunt de Lucano varia testimonia. » Fol. 5 opus ipsum incipit. — Panzer Tom. IV, pag. 473.

... S. a. Lovanii per Joannem Veldener. fol.—Panzer Tom. I, pag. 524.

... S. a. in-4. Lucani Pharsalia cum Petri Eolici præfatione. « Lipsiæ, per Martinum Herbipolensem. » — Maitt. Ind. II, App. pag. 533. Panzer Tom. I, pag. 501.

ÆTAS II, ALDINA.

1502—1564.

Cujus principi Aldo se junxere comites Georgins Versellanus, Rob. Stephanus, et Henr. Loritius Glareanus : præter quos novi commentatores exstitere Phil. Beroaldus pater, Petrus Pontanus cogn. cæcus Brugensis, Jod. Badius Ascensius, Jac. Micyllus, et Lamb. Hortensius.

1502. Lucanus. In fine : « Venetiis, apud Aldum, mense aprili. M. D. II. » in-8. In cujus textu usum se dicit Aldus libro vetere et correcto, ab Mauroceno accepto. Maitt. Tom. II, pag. 158. Panzer Tom. VIII, pag. 353.

1505. « Insigne atque preclarum opus Annæi Lucani cum Jo. Sulpitii Verulani V. C. commentariis a proprio originali ex-

tractis : nec non Omniboni Vicentini diligentissime emendatis. » In fine : « Impress. Venetiis per Bartholomæum de Zanis de Portesio, anno Domini MCCCCCV, die XXIII mensis octobris. » fol. — Maittair. Ind. II, pag. 29. Panzer Tom. VIII, pag. 375.

1506. M. Annæi Lucani Pharsalia cum duplici explanatione : altera quidem arguta atque erudita : utpote Jo. Sulpitii Verulani viri facile doctissimi : altera vero familiari admodum et dilucida : quippe quæ ex Jodoci Badii Ascensii : hominis pro tironum literariorum eruditione vigilantissimi. « Parisiis, in ædibus Ascensianis, in vigilia natalis Domini. » fol. — Panzer Tom. VII, pag. 518.

— Parisiis, in-4. cum notis Chappusoti et Thiboust. — Panzer Tom. VIII, pag. 521.

1508. Cum comment. Jo. Sulpitii et Omniboni. « Impressum Mediolani per Leonardum Pachel anno Domini MCCCCCVIII, die I decembris. » fol. — Panzer Tom. VII, pag. 385.

1509. Argentorati, in-4. M. Annei Lucani Cordubensis poetæ: Pharsaliæ, seu belli civilis libri : Sulpitiana interpretatione explanati : jamque denuo longe accuratius revisi.

Epigramma ad Lectorem.

Argolos quicumque optas haurire poetæ
  Sensus : quem clarum Corduba docta tulit :
Silvano te fonte laves : nam certus abibis.
  Nec nosces libyco pro Garamante Arabas :
Nec poteris posthac errore falliscere vano
  Fœcundo quoties pectore promta leges :
Quare opus hinc posito fastu rogo pellege lector
  Nam lecto dices doctius esse nihil.

In fine legitur : « Opera Joannis Brüsz, chalcographi argentini hoc insigne Lucani pharsalicum opus : Jo. Sul. (Sulpitii) interpretamentis illustratum, rursus studiosissime exactum XVI kalend. april. anno salutis MCCCCCIX. » — Panzer Tom. VI, pag. 44.

— Arpini, in-4. cum comment. Sulpitii.

1511. Venetiis, fol. cum comment. Sulpitii et Omniboni. In fine : « Venetiis impressum summa diligentia per Augustinum de Zanis de Portesio, impensis attamen et opera solertissimi viri

Melchioris Sessæ MDXI, die IIII mensis Junii. » — Panzer Tom. VIII, pag. 403.

— Jacobi a Cruce, Bononiensis, Annotata in Ovidium, Virgilium, Persium, Lucanum, Papinii Sylvas, Senecæ Tragœdias, Horatium, Martialem, Silium Italicum, et alios. Parisiis, apud Ascensium. fol.

1512. M. Annei Lucani poetæ : ac oratoris clarissimi Pharsalia : cum familiari atque perlucida annotatione Petri de Ponte cœci, brugensis, qua singularum lectionum sententiæ : vel minimis historiographiæ ac poetices tyrunculis facile enotescunt. In fine : « Parrhisiis elaboratum calendis aprilibus MDXII, per Guilelmum le rouge eximium calcographum : expensis vero Dionysii Roce academiæ parrhisiorum bibliopolæ jurati in vico sancti Jacobi sub divi Martini effigie commorantis. » in-8. — Rarissima editio, singulari plane literarum charactere (typos exiles Italicos nominat Maittaire) excusa, et nullis fere distinctionibus insignita. Cuilibet Pharsaliæ libro argumentum præmittitur Sulpitianum. In fine Pharsaliæ, Sulpitii occurrunt versus, quibus Lucani opus perfectum reddere studuit, nec non ejusdem « Querela de poetæ opere imperfecto. » — Freytag Appar. litter. Tom. II, pag. 1369, sqq. Panzer Tom. VII, pag. 569.

1514. Parisiis, fol. M. Annei Lucani Pharsalia, diligentissime per G. Versellanum recognita. Cum commentariis Jo. Sulpitii Verulani eruditionis bonæ plenis. Philippi Beroaldi Bonon. nuper repertis. Jodoci Badii Ascensii perquam familiaribus. Cumque ad castigationem adnotatis ab Ant. Sabellico, Jacobo Bonon. Philippo Beroaldo. Baptista Pio. et quibusdam aliis. Venundantur ab ipso Ascensio et Joanne parvo. In fine : « Finis trium commentariorum cum plurimorum annotationibus in M. Annei Lucani Pharsaliam diligenter repositorum in ædibus Ascensianis, anno Domini MDXIIII, in vigilia triumphalis Ascensionis Christi Domini. » — Panzer Tom. VIII, pag. 12.

— Basileæ, fol. Memoratur Fabricio.

1515. Lucanus. In fine : « Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ soceri, mense julio MDXV. » in-8. — Repetitio editionis Aldinæ anni 1502. Panzer Tom. VIII, pag. 425.

1517. M. Annei Lucani Cordubensis prestantissimi poetæ ac historici bellum civile pharsalicum nuperrime sedula recogni-

tum opera omnibus prope mendis abstersis, etc. In fine : « M. An. Lucani — belli civilis Pharsalici quod cum Pompeio et Cæsare gestum est Finis. Impressum Lugduni per Johannem de Platea impensis honesti viri Simonis Vincentii anno a virginis partu MCCCCC decimo septimo. » in-8. — Panzer Tom. VII, pag. 317.

1519. M. Ann. Lucani Pharsalia, per Georg. Versellanum recognita, cum commentariis variorum. « Lugduni, Symon Vincentius per honestum virum Joannem Marion, die v martii. » in-4. — Panzer Tom. VII, pag. 324.

1520. Lucani Bellorum Civilium scriptoris accuratissimi Pharsalia : antea temporum injuria difficilis : ac mendosa. Novissime autem a viro docto expolita : et apprime plusque bis mille locis emendata : scribentibus Jo. Sulpitio : et Omniboni Vicentino : viris eruditissimis. Additis insuper de novo grecis : quæ ubique deerant. Nec non utilissimis apostillis. Una cum figuris : suis locis apte dispositis : itidemque alphabetica tabula : quæ omnia scitu digna mirifice complectitur. « Impressum (Venetiis) in ædibus Guilielmi de Fontaneto Montisferrati MDXX, die XVIII februarii. » fol. — Panzer Tom. VIII, pag. 463.

— Lucanus. In fine : « Argentine apud Jo. Knoblouchium Mense septembri anno millesimo CCCCCXX. » in-8. — Panzer Tom. VI, pag. 93.

— Arpini, in-8, absque commentariis. Editio dubia.

1521. Annei Lucani poema nuperrime impressum atque ad amussim castigatum. « Lugduni, in officina Guilelmi Huyon calchographi anno Domini 1521, die vero decimo julii. » in-8. — Aldinæ editionis repetitio, in qua nihil novi, præter typothetarum errores. Panzer Tom. XI, pag. 453.

... Lucanus, in-8, s. a. l. et typogr. Sed circa hunc annum Lugduni impressus. Textum sequitur ed. Aldinæ 1502. Vid. *Renouard Annales de l'imprimerie des Alde*. Tom. II, pag 197 seq. Differunt vero exemplaria. Sunt, quæ mentiantur lilium Juntarum. Unde Panzerus hanc edit. retulit inter Florentinas Tom. VII, pag. 50.

1523. Lucani Pharsalia cum annotationibus Sulpitii et Chappusoti. « Impressum Lugduni per Antonium du Ry, impensis Symonis Vincentii, MCCCCC vigesimo tertio, die VIII mensis julii. » — Panzer Tom. VII, pag. 334.

1525. Mediolani, fol. ex officiua Jo. Angeli Scinzenzeler. — Repetitio ed. Par. anni 1514. Biblioth. vet. Hisp. pag. 48.

1528. Parisiis, apud Simonem Colinæum, in-8. — Panzer Tom. VIII, pag. 112.

1533. Lugduni, in-8. — Bibl. Duboisiana, n. 12944.

— M. Annæi Lucani bellorum civilium libri decem. Adjectis in singulos libros argumentis. « Coloniæ ex officina Eucharii Cervicorni anno MDXXXIII, » in-8. — Panzer Tom. VI, pag. 425.

1534. Lugduni, apud Seb. Gryphium, in-8. — Panzer Tom. VII, pag. 360.

1536. Lugduni, apud Seb. Gryphium, in-8. — Panzer Tom. VII, pag. 369.

1537. Venetiis, apud Jacobum Juntam, in-8.

— Coloniæ, apud Joannem Gymicum, in-8.

— Parisiis, apud Sim. Colinæum, in-8.

1538. Lugduni, apud hæredes Simonis Vincentii, in-8. In fine : « Dionysius ab Harsio excudebat Lugduni 1538. »

1539. Lugduni, apud Seb. Gryphium, in-8. Et ad calcem voluminis : anno 1538.

— Ibid. apud eumdem, forma minori.

1541. Pharsaliæ liber primus (et secundus). Parisiis, apud Franciscum Gryphium, in-4.

1542. Lugduni, apud Seb. Gryphium, in-8. Hanc editionem repererat Burmannus in scriniis Heinsianis, quæ in ora continebat variantes plus quinque et viginti codicum lectiones, et ubi simul, quæ inter legendum et conferendum ipsi natæ erant, conjecturas suas Heinsius adleverat.

1543. Ex correctione Martini Besardi. Parisiis, apud Sim. Colinæum, in-12.

— Lucani Pharsaliæ libri X. Parisiis, apud Mich. Vascosanum, in-4. — Sic quidem promittit titulus; sed in exemplari, quod vidit Maittaire, non nisi tres libri primi comparebant.

1545. M. Annei Lucani de Bello Civili libri decem. Ejusdem Vita in fine operis. Ad vetustiss. scripta exemplaria emendati : quorum varias lectiones ad calcem rejecimus. « Lutetiæ, ex officina Roberti Stephani, typographi regii. » In-8.

1546. Lugduni, apud Seb. Gryphium, in-12.

— Carmen ad Pisonem. Cum Ovidii operibus amatoriis. Antverpiæ, apud Jo. Crinitum, in-8.

1547. Pharsalia. Lugduni, apud Seb. Gryphium, in-12.

1549. Coloniæ Agrippinæ, cum scholiis et argumentis, in-8.

1550. M. Annei Lucani Cordubensis Pharsaliæ libri X, scholiis per margines illustrati : quibus et sua singulis argumenta per Sulpitium adjecta sunt. His quoque Henrici Glareani, Patricii Claronensis apud Helvetios, non solum in Lucanum ipsum, sed et in ejus enarratores, annotationes novissime jam accedunt. Basileæ. Per Henricum Petri, in-8. In fine Pharsaliæ : « 1551, mense augusto. » Glareani vero annotationes annum 1550 exhibent.

1551. Lugduni, apud Seb. Gryphium, in-8.

— Ibidem, apud eumdem, in-12.

— Francofurti ad Mœnum, apud Chr. Egenolphum Hadamarium, in-4. Cum scholiis integris quidem Joannis Sulpitii Verulani, certis autem locis etiam Omniboni, una cum annotationibus quibusdam adjectis Jacobi Micylli.

1553. Lugduni, in-8, cum argumentis et scholiis. — Catal. Lamoignon, n. 2467.

1554. Parisiis, apud Rob. Stephanum, in-8; cum commentariis Lamberti Hortensii et Jo. Sulpitii. — Hortensii explanationes, pro illa qua scripsit ætate, haud contemnendæ sunt.

1558. M. Annei Lucani Cordubensis poema ad Calphurnium Pisonem. Curante Leodegario a Quercu. Parisiis, apud viduam P. Attaignant, in-4.

1560. Lucani Pharsaliæ, libri X, doctissimis argumentis (Jo. Sulpitii) et scholiis ornati. « Coloniæ Agrippinæ, excudebatur Gualthero Fabricio I. L. » In-8.

— Lugduni, apud Ant. Vincentium, in-12. Et in fine : « Excudebat Symphorianus Barbierius. »

1561. M. Annæi Lucani de Bello Civili, libri X, cum scholiis, Lugduni, apud hæred. Seb. Gryphii, in-8. — Biblioth. Rœver. P. II, pag. 187, n. 1273.

ÆTAS III.

1564 — 1584 — 1614.

Cujus principi Theodoro Pulmanno supervenit Gregorius

Bersmanus. Accedit Hadrianus Junius, Epistolæ ad Calpurnium Pisonem curator.

1564. M. Annæus Lucanus. Theodori Pulmanni Craneburgensis opera emendatus; ab eodemque variæ lectiones ex fide quinque librorum manuscriptorum adjectæ. « Antverpiæ, ex officina Christophori Plantini. » In-12.

1569. Lugduni apud Ant. Gryphium, in-12, cum variis lectionibus.

1576. M. Annæi Lucani de Bello civili, vel Pharsaliæ, libri X, Theodori Pulmanni Craneburgii opera emendati. Ejusdem ad Calpurnium Pisonem Poëmation, Hadr. Junii beneficio auctori redditum et emendatum. Theod. Pulmanni variarum lectionum libellus, ex manuscriptis, et vulgatis libris, multo quam antea auctior. Rerum et verborum memorabilium index. « Antverpiæ, ex officina Christophori Plantini; architypographi regii. » In-12.

1577. Antverpiæ, ex officina Christoph. Plantini. In-24. — Repetitio edit. antecedentis.

1578. M. Annæi Lucani Pharsaliæ, libri X, cum Lamberti Hortensii Monfortii doctiss. viri explanationibus eruditissimis; ad historias rom. antiquas cognoscendas utilissimis, illustrati, innumerisque mendis repurgati, et jam primum in lucem editi. His adjecimus Joannis Sulpitii Verulani comment. una cum indice rerum ac verborum locupletissimo. « Basileæ, ex officina Henricpetrina, mense martjo. » Fol.

1584. Lipsiæ, cum scholiis Gregorii Bersmani, in-8.

1588. M. Annæi Lucani Pharsalia. « Londini, typis Georgii Bishop. » In-8.

1589. M. Annæi Lucani de Bello civili vel Pharsaliæ, libri decem, Gregorii Bersmani Annæbergensis studio et opera ex quatuor manu exaratis codicibus emendati, scholiisque illustrati. Ad Calp. Pisonem Panegyricum, sive ecloga, Hadr. Junii beneficio auctori reddita et emendata, ac scholiis Bersmani illustrata. Commentationes Joach. Camerarii in librum primum Pharsaliæ, et notæ Jos. Scaligeri in eclogam ad Pisonem. Annotationes Jac. Mycilli in difficiliores locos omnium decem librorum Pharsaliæ, cum Theod. Pulmanni variarum lectionum libello. « Lipsiæ, imprimebant hæredes Jo. Steinmanni, impensis Henningi Grosii bibliopolæ. » In-8.

— De Bello civili vel Pharsaliæ libri X, ex recensione Theod. Pulmanni. Ejusd. ad Calp. Pisonem Poemation. « Antverpiæ, ex officina Plantiniana apud Franc. Raphelengium. » In-24.

— Eadem editio. Antverpiæ apud Christoph. Plantinum, in-24.

1590. De laude Calpurnii Pisonis, carmen Lucano adjudicatum. Inter epigrammata et poematia vetera, pag. 113-121. Parisiis apud Dionys. Duvallium, seu apud Nic. Gillium, in-12.

1592. M. Annæi Lucani de bello civili, vel Pharsaliæ, libri X, ex rec. Theodor. Pulmanni. Ejusdem ad Calpurnium Pisonem Poemation, ex rec. Hadr. Junii. « Antverpiæ, ex officina Plantiniana, apud Franc. Raphelengium, » in-24.

1593. Eadem repetita Lugduni Batavorum, apud Franc. Raphelengium, » in-24.

1595. M. Annæi Lucani ad Calpurnium Pisonem carmen panegyr. cum commentario Jos. Scaligeri et Frid. Lindenbruch. — In Virgilii appendice s. Catalectis. Lugduni Bat. 1595, in-8; ex offic. Plantin.

1603. M. Annæi Lucani Pharsalia. — In corpore poetarum latinorum editionis I Genevensis, in-4. Tom. I.

1605. Pharsalia, una cum poematio ad Calpurnium Pisonem, Antverpiæ, ex officina Plantiniana Raphelengii, in-24.

1610. Ex recensione Hugonis Grotii. Amstelodami, in-24.

1611. In corpore poetarum latinorum, editionis II. Aureliæ Allobrogum, apud Sam. Crispinum, in-4. Tom. I, pag. 1347-1424.

1612. Pharsalia, cum poematio ad Calp. Pisonem. Antverpiæ, ex officina Plantiniana Raphelengii, in-24.

ÆTAS IV; GROTIANA.

1614 — 1726.

A summo viro Hug. Grotio, qui jam 1610 recensuerat Lucanum, nunc vero emendationum suarum rationem reddidit, maxime in editione an. 1626. Accessit Thomas Farnabius, scriptor scholiorum, quæ cum Grotii notis sæpius juncta prodiere, etiam in edd. Schrevelianis. Supplementum quoque hac ætate scripsit Lucani, Thom. May, Anglus, VII librorum carmen haud infelix, an. 1630, dein in Schrevelianis edd. aliisque recusum. Sub finem hujus ætatis Mich. Mættarius collegit varr. ex XVI edd.

1614. Lucani Pharsalia, sive de Bello civili Cæsaris et Pompeii libri X, ex emendatione Hug. Grotii, cum ejusdem ad loca insigniora notis. Accesserunt variarum lectionum libellus, et rerum ac verborum index locupletissimus, opera Theod. Pulmanni, et aliorum concinnati. Antverpiæ, ex officina Plantiniana Raphelengii, in-8. — Libellus varr. lectionum non est a Grotio, sed e codd. Pulmanni et Bersmani, et diversus a variis lectionibus quas Rob. Stephanus addidit editioni 1545. Verum in notis rationes emendationum partim ex Mss. Canteri, aliisque, partim suo judicio s. ingenio factarum attulit. Grotium edito Lucano, et se et omnes sanos a simili conatu deterruisse scribit Rutgersius, lib. I, cap. 12. Var. lect. Tam impense porro poeta illo delectatus est Grotius vir summus, ut eum semper in sinu gestaverit, vix die intermisso, quo non aliquid ejus legeret, ut narrat in epistolis Guido Patinus.

— Cum notis Hugonis Grotii. Leyde, in-8. — Sic in Elzeviriorum catalogo, an. 1674, p. 109. — Eadem prodiit Lugduni in Batavis, hoc ipso anno, si Oudendorpio fides.

1616. In Alexandri Ficheti corpore poetarum latinorum. Lugduni, in-4, pag. 1909 — 2036.

.... Ex emendatione Hug. Grotii Cenomanis, apud Hieron. Olivier, in-12. — Absque anno, sed paulo post Grotianam primam excusa.

1618. M. Annæi Lucani Pharsalia, adjectis ad marginem notis Th. Farnabii, quæ loca obscuriora illustrent. « Londini, excudebat Richardus Field. » In-8.

1619. Lugduni Bat. in-8.

— Amstelodami, in-8. Forsan eadem ac Lugdunensis, titulo tantum mutato.

— Ex emendatione Hug. Grotii. Cum poematio ad Calp. Pisonem, et Petronii Arbitri specimine belli civilis. « Amsterodami, apud Guil. Janssonium. » In-24.

1624. Francofurti ad Mœnum, in-8, cum notis Thom. Farnabii.

1626. Lucani Pharsalia, ex emendatione Hugonis Grotii, cum ejusdem ad loca insigniora notis, quarum pars altera nunc demum prodit. Accesserunt variarum lectionum libellus, et rerum ac verborum index locupletissimus, opera Theodori Pulmanni et aliorum concinnati. Lugduni Bat. apud Joannem Maire, in-8.

Usus vero denuo est quatuor Mss. duobus regiis Paris. uno Franc. Thuani, alio Puteanorum fratrum, prouti ipse in Epist. ad fratrem Wilhelmum novis notis præmissa significat; unde, quum vel nova attulerit, vel priora correxerit, editio hæc est classica.

— Ex emendatione et cum notis Hug. Grotii. Amsterodami, ap. Jansson. in-24.

1627. Ex emendatione Hugonis Grotii, cum ejusdem notis. Antverpiæ, ex offic. Plantiniana Raphelengii, in-8. — Bibl. Emtinck. P. IV, p. 316, n. 1599.

— In corpore poetarum latinorum editionis III Genevensis, sumptibus Jac. Crispini, in-4. Tom. I, pag. 1203—1277.

1634. Londini, in-8, cum notis Thom. Farnabii.

1636. Ex emendatione Hug. Grotii: cum carmine ad Calp. Pisonem, et specimine belli civilis. Amstelodami, apud Jo. Janssonium, in-24.

1643. M. Annæi Lucani Pharsalia. Additæ sunt in fine Hugonis Grotii notæ ex binis antehac editis junctæ, auctæ, correctæ, et Th. Farnabii in margine. Amsterodami apud Jo. Blaeuw, in-12.

1648. Lucani Pharsalia, cum notis Hug. Grotii et Thom. Farnabii. Amstelodami, apud Jo. Blaeuw, in-12.—Repetitio ed. an. 1643.

1651. Eadem repetita Amstelodami, apud Jo. Janssonium, in-12.

— Ex emendatione et cum notis Hug. Grotii: cum carmine ad Calp. Pisonem, et specimine belli civilis. Amsterodami, typis Ludovici Elzevirii, in-24.

1658. M. Annæus Lucanus de Bello Civili, cum Hug. Grotii, Farnabii notis integris, et variorum selectissimis; accurante Corn. Schrevelio. Amstelodami, ap. Elzevir. in-8. — Subjicitur huic editioni etiam Lucani supplementum, libris VII, a Thom. Maio Anglo non infeliciter elucubratum; quod separatim prodiit Lugduni Bat. 1630 et alibi.

1659. Ex emendat. et cum notis Hug. Grotii. Amst. in-24.

1661. Ex emendat. et cum notis Hug. Grotii. Amst. in-24.

1663. Ex emendat. et cum notis Hug. Grotii. Lugduni Bat. in-24.

1665. Cum notis Hug. Grotii et Thom. Farnabii. Amstelod. in-12.

1669. Cum Hug. Grotii, Farnabii notis integris, et variorum selectissimis, accurante Corn. Schrevelio. Lugduni Bat. et Roterodami, ex officina Hackiana, in-8. —Repetitio editionis an. 1658. Variorum notas præcipue ex Hortensio, Sulpitio, Salmasio, Gronovio, et aliis, argumenta ex Sulpitio, supplementum Lucani ab Anglo quodam antehac seorsim editum, indicem præterea Grotii, opera Th. Pulmanni et aliorum concinnatum, exhibet.

1670. Lugduni, ex officina Bourgeatiana, in-12. — Repetitio ed. Schrevelianæ, nullo modo nitida.

1671. Ex emendatione et cum notis Hug. Grotii. Amsterodami, apud Dan. Elzevir. in-24.

1675. Pharsaliæ libri primi particula, cum notis Vorstii. In veterum poetarum selectis, Lipsiæ, in-8, pag. 305.

1681. Ex emend. et cum notis Hugonis Grotii et Thom. Farnabii. Amstelodami, in-12.

1693. Ex editione Hug. Grotii, cum Th. Maii supplemento. Amstelodami, in-12.

— Eadem, ibid. in-24.

1702. Venetiis, in-12.

1705. Patavii, in-12, cum Grotii et Farnabii notis.

1712. Amstelodami, in-12, cum notis Farnabii.

1713. In corpore poetarum latinorum Mich. Maittaire, Tom. II, pag. 890—939. Londini, in-fol. — Quædam exemplaria annum 1721, exhibent, titulo tantum mutato.

1714. Cum notis Grotii et Farnabii, et Th. Maii supplemento. Amstel. apud Janssonio-Wæsbergios, in-12.

1719. M. Annæi Lucani Pharsalia : sive de Bello civili inter Cæsarem et Pompeium libri decem. (Cura Mich. Maittaire.) Londini, ex officina Jac. Tonson et Jo. Watts, in-12. — Præcedunt variæ lectt. ex XVI edd. et vita Lucani.

Lucanum etiam expolire instituit Casp. Barthius, magni pretii exemplari usus, cujus patrocinio id adgressum se testatur ad Statii Thebaid. VI, 89, et IV, 409, et præstantissimus vir Nic. Heinsius, in quam rem diligenti studio varias lectiones e variis Codd. Mss. collegerat. Etiam Ezech. Spanhemius novam editionem cum commentario moliebatur. Commentarium autem Laurentii de Cellieres in Lucanum laudat Dominicus de Colonia Tom. II, Hist. liter. Lugd. pag. 722.

ÆTAS V; CORTIO-OUDENDORPIO-BURMANNIANA.

1726 — 1740 — 1795.

A triumviris sic dicta, qui fere simul aggressi sunt Lucanum : e quibus tamen Cortius, quamvis Mss. nube circumdatus, poetis edendis haud sane aptus; Oudendorpius omnia priorum bona coegit in unum volumen, pauciora de suo addidit; Burmannus, utriusque opera et Heinsii emendationibus s. conjecturis et Mss. usus, plura ausus est. Conf. quæ ad ejus ed. ab Ernestio dicta damus.

1726. M. Annæi Lucani Pharsalia, sive de Bello civili libri X, eidemque adscriptum carmen ad Pisonem. Gottlieb Cortius recensuit et plurimis locis emendavit. Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii b. fil. in-8.

1728. M. Annæi Lucani Cordubensis Pharsalia sive Belli civilis libri decem. Cum Scholiaste, hucusque inedito, et notis integris Henr. Glareani, Jac. Micylli, Joach. Camerarii, Hug. Grotii, etc. et excerptis Omniboni Vicentini, Jo. Sulpitii Verulani, Jod. Badii Ascensii, Lamb. Hortensii, Greg. Bersmani, Theod. Pulmanni, aliorumque. Nec non Thom. Maii supplementis, et apologia Jac. Palmerii Grentemesnilii, Mosantii Briosii, ac Greg. Bersmani, et ineditis Franc. Gujeti, aliorumque observationibus. Curante Francisco Oudendorpio; qui suas etiam adnotationes, et copiosos indices adjecit. Lugduni Bat. apud Sam. Luchtmans, in-4.

1740. M. Annæi Lucani Pharsalia, cum commentario Petri Burmanni. Leidæ, apud Conr. Wishoff, Dan. Goetval, et Georg. Jac. Wishoff, fil. Conrad. in-4.

Subjicimus Ernestii judicium de tribus his editionibus: Nostra ætate eodem fere tempore quatuor viri doctissimi novam editionem hujus poetæ curare instituere, quæ et accuratissime emendatum textum, et res quoque explicatas bene illustratasque haberet. Primus fuit Rich. Bentleius, de cujus consilio narrat P. Burmannus in præfatione editionis suæ. Sed vel sponte consilium abjecit, quum idem agi a P. Burmanno cognovisset, vel morte irritum factum est. Præter hunc autem et Burmannum idem agebant Fr. Oudendorpius, e disciplina Burmanni, et

Gottlieb Cortius. Primus destinata absolvit Oudendorpius. Habent hujus editionis exempla Scholia antiqua, et notas variorum selectas antiquiorum et recentiorum editorum, et suas ipsius; in quibus et crisin modestam exercet, et res ac verba explicat, nec copiosus nimis, nec brevis : additis etiam inter textum et notas variantibus lectionibus Mss. et editionum veterum, quibus multis usus erat. Nam vix alius poetæ latini tam multa exempla scripta exstant, quam Lucani, cujus rei causam supra demonstravimus. Neque tamen hæc editio Cortium ab instituto opere avocavit, qui et ipse magnam copiam librorum et scriptorum et editorum typis habebat : scriptorum quidem ad LX itemque lectiones codicum ab aliis excerptas, item notas doctorum virorum quorumdam ineditas. Atque ille textum a se ex istis copiis formatum dedit Lips. 1726, in-8, cum variis lectionibus : majus opus ipsum in lucem non potuit proferre, etsi absolutum pæne; reliquit tamen in manibus librarii, qui ejus editionem susceperat; sed id etiam propter nimiam magnitudinem (erat enim vir ille doctus, ut editio Sallustii ab ipso facta docet, nimis liberalis in copiis suis profundendis) non ausus est prelis subjicere. Erat autem crisis illius viri recta et modesta; sed aptior aliis scriptoribus, quam poetis; nam et interdum lectiones prætulit, quæ per metri leges veræ esse non possunt. Sed hæc Oudendorpii et Cortii instituta etsi Burmannum ab opere instituto non abstraxere, tamen retardavere, et, ut modum et formam operis sui paululum mutaret, fecere, remque omnino sic moderaretur, ut sua editio ne Oudendorpianæ obesset. Nam aliorum notas prætermisit, et suas unius addidit textui a se e Mss. edd. vett. constituto. Cæterum ei largiorem materiam notarum præbuere et Heinsianæ notæ ineditæ, quas suis fere intexuit, et Oudendorpianæ notæ, etiam textus a Cortio factus. Nec vero dubium est, quin hæc editio cæteris sit præferenda : cui si Oudendorpianam quis addiderit, nempe propter notas variorum inprimis, nihil amplius desiderare poterit. Inprimis vero et præfatio laudanda est, quæ post explicatam rationem instituti sui, eruditissime et accuratissime exponit de Lucani ingenio et poesi, doctrina etiam et meritis, quam legere debent omnes, qui de carmine Lucani, ejus virtutibus et vitiis, immo omnino de poematum Epicorum natura et lege, et iis, quæ a veteribus et recentioribus scripta

sunt poemata talia, recte et ex arte judicare velit. (Verum elegantius existimasse de Lucano videtur Marmontelius in præf. versionis suæ an. 1766 editæ; et novissime vir doctus in *Charactere de vornehmsten Dichter aller Nationen*. Tom. VII. Lipsiæ, 1803, pag. 337—369.)

1750 seq. M. Annæi Lucani Cordub. Pharsalia. (Cum suppl. Th. Maii.) Londini, typis Jo. Brindley, in-12, 2 voll.

1751. M. Annæi Lucani Pharsalia, ad editionem Cortii fideliter expressa. Glasguæ, in ædibus Roberti Urie, in-8.

1760. M. Annæi Lucani Pharsalia, cum notis Hugonis Grotii et Richardi Bentleii. (Curante Richardo Cumberland.) Strawberry-Hill. in-4 max. — Editio optima, et elegantissime impressa.

1766. In collectione Pisaurensi omnium poematum, carminum, fragmentorum latinorum, a prima latinæ linguæ ætate ad sextum usque christianum seculum. Pisauri, ex Amatina chalcographia, 6 voll. in-4, Tom. III, p. 1-62.

1767. Cum supplementis Thom. Maii. Parisiis, typis Jo. Barbou, in-12. —Hanc editionem curavit Jo. Goulin, medicus; cujus etiam nomen quorumdam exemplarium titulo impressum legitur.

1772. Ezræ de Clercq van Jever Specimen selectarum observationum in M. Annæi Lucani Pharsaliam, novæ editionis Prodromus, cum præfatione auctoris apologetica pro fama, vita, moribus et amoribus suis. Lugd. Bat. ap. Carol. Delfos et Petr. Delfos jun. bibliopolas, 1772, in-4.

— Selectarum observationum in M. Annæi Lucani Pharsaliam Specimen alterum. Lugd. Bat. ap. Carol. Delfos et Petr. Delfos jun. Bibliopolas, 1772, in-4.

1779. Manhemii, in-8 min.

1783. M. Annæi Lucani Pharsalia. Ejusdem ad Calpurnium Pisonem poemation. Præmittitur notitia literaria. Studiis Societatis Bipontinæ. Biponti, ex typographia Societatis, in-8 maj.

— Venetiis, in-8.

1785. M. Annæi Lucani Pharsalia, ad editionem Gottl. Cortii fideliter expressa. Glasguæ, excud. Andreas Foulis, in-8. — Editio typographorum mendis admodum deturpata.

—Carmen ad Pisonem. Inter poetas latinos minores, a Jo.

Christ. Wernsdorfio editos Altenburgi, in-8, Tom. IV, pag. 236-282. — Recusum in nostra edit. tom III, p. 225 sqq. 1824. Hoc carmen Wernsdorf. Saleio Basso, non Lucano adscribit.

1795. M. Annæi Lucani Pharsalia, ex optimis exemplaribus emendata. Parisiis. Studio et impensis Antonii Augustini Renouard. Typis P. Didot, natu majoris, in-fol. — Splendida editio.

1796. Parisiis, 2 vol. in-8, cum versione gallica Brebœfii.

1807. Marci Annæi Lucani Pharsalia. Ejusdem ad Calpurnium Pisonem poemation. Præmittitur notitia literaria studiis Societatis Bipontinæ; editio secunda, auctior et emendatior. Argentorati, ex typographia Societatis, in-8.

1811. M. A. Lucani Pharsalia, curante Ang. Illycino, Vindobonæ, typis et impensis J. V. Degen, cum figuris, in-4 maj.

1816. M. Annæi Lucani Pharsalia cum notis Hugonis Grotii et Richardi Bentleii. Glasguæ. Excudebant Andreas et Jacobus Duncan. Academiæ typographi, 1816, in-8.

1820. Weber. Vimariæ, 2 vol. in-8.

1822. M. A. Lucani Pharsalia. Recognovit et ad Burmanniani textus fidem emendavit Jo. Aug. Amar. Parisiis, apud Lefèvre, in-16.

VERSIONES.

HISPANICÆ.

1553. Lucano poeta y historiador antiguo, traduzido en romance por Martin Lasso de Oropesa. Amberes, in-8.

1585. Eadem, ibid. in-8.

1588. Eadem. Brugis, ex officina Philippi Juntæ, fol.

1683. Lucani Pharsalia, hispanica prosa reddita a Joanne De Xanregui, Hispalensi. Madrid, in-4.

1790. Eadem, ibid. in-4, ex typographia regia.

GALLICÆ.

1490. Lucan, Suetoine et Saluste, en francoys. Paris, chés Pierre Le Rouge, fol.

1500. Lucan, Suetoine et Saluste, en francoys. Imprimé à

Paris, le XVII[e] jour de septembre mil cinq cent; pour Anthoine Verard marchant libraire, fol.

1623. La Pharsale de Lucain, trad. en francois par Michel de Marolles. Paris, in-8.

1647. La même, corrigée. Paris, in-8.

1654. La même, avec des nouvelles corrections; le poëme de Petrone du changement de la République, et le panégyrique de Lucain à Pison, en latin et en françois. Paris, chés Guillaume de Luynes, in-8.

1655. La Pharsale de Lucain en vers françois, par Brébeuf. Paris, chés Antoine de Sommaville, in-4.

1657. La même, imprimée à Rouen par L. Maurry, in-12, avec des figures.

1658. La même, ibid. in-12, fig.

— La même. Leyde, chés Jean Elzevir, in-12.

1659. La même. Paris, chés Sommaville, in-12, fig.

1663. La même, ibid. in-12, fig.

1665. La même, ibid. in-12, fig.

1666. La même, cinquième édition. Impr. à Troyes, et se vend à Paris, chés Pierre Ribou, in-12.

1670. La même. Paris. J.-B. Loyson, in-12, fig

1678. La même, Cologne. Pierre Marteau, in-12.

1682. La même. Paris. Cochart, in-12, fig.

1683. La même. La Haye, in-12.

1688. La Guerre Civile de César et Pompée, trad. en prose françoise par Philibert Quartier, avec les caractères historiques de ceux qui en ont été les principeaux auteurs. Paris. Simon Benand, in-8.

1702. La Pharsale de Lucain en vers françois, par Brébeuf. Paris, in-12.

1765. La Pharsale de Lucain, traduite par Pierre Toussaint Masson, trésorier de France. Paris. Dufour, in-12.

1766. La même, revue, corrigée et augmentée de notes. Paris. D'Houry, 2 voll. in-12.

— La Pharsale de Lucain, traduite par Marmontel. Paris, 2 voll. in-8, fig. — Recusa in ejus OEuvres complettes, Paris 1788. Vol. 13 et 14. Addidit libro decimo Lucani supplementum, stilo autem magis historico, quam heroico.

1773. La Pharsale, poème, par le chevalier de Laurès. Paris. Ruault, in-8.

1796. La Pharsale de Lucain, traduite par Brébeuf, avec le texte latin et des estampes dessinées par Perrin. Paris. Maradan (de l'imprimerie de Crapelet), 2 voll. in-8.

1816. La Pharsale de Lucain. Traduction de Marmontel, revue, augmentée de tous les passages omis, et du supplém. de Th. May, traduit pour la première fois en français, par. M. Amar, in-12, 2 voll. Paris, Delalain.

ANGLICÆ.

1600. Lucans first Booke, translated line for line by Chr. Marlow. London, printed by P. Short, and are so besold by Walter Burre, in-4.

1614. Lucan's Pharsalia, translated into english verse by Sr. Arthur-Gorges. London, printed for T. Thorp. fol. min.

1627. Lucan's Pharsalia, or the civil Wars of Rome between Pompey the Great and Julius Cæsar. In ten books. Translated into english verse, with annotations made on each book. By Thomas May. London, in-12.

1629. Translations into english from Lucan by John Beaumont. — In the poems of John Beaumont, collected after the Autor's Death by his son John Beaumont. London, in-8.

1631. Lucan's Pharsalia, etc. by Thomas May. The second edition, corrected and the annotations inlarged by the autor. With a continuation of the subject of Lucan's historical poem, till the Death of Julius Cæsar, in seven books. London, printed by Aug. Mathewes, for Thomas Jones, in-12. — Recusa Londini an. 1635, 1650, 1659 et 1679.

1710. Cato's Answer to Labienus when he adwis'd him to go and consult the oracle of Jupiter Ammon, translated out of the 9th book of Lucan, by John Ayloffe. — In the poems of Affairs of State. London, in-8.

1718. Lucan's Pharsalia, translated into english verse by Nicolas Rowe. (With remarks historical and geographical.) London, printed for Jacob Tonson, fol. cum figg. — Repetita ibidem an. 1720, 1722, 1730, 1732, 1746 et 1753.

1737. Translations from Lucan. — In Jabez Hughes Miscellanies in Verse and Prose. London, printed by John Watts, in-8.

1739. The tenth book of Lucan's Pharsalia, translated into english verse by John Hughes. — In ejusdem poetical and prose Works published by William Dunkomb. London, in-12.

1775. Cato's Speech to Labienus in the ninth boock of Lucan, translated into english verse by George Lord Lyttelton. — Inserta operibus auctoris. Londini, in-4.

BELGICÆ.

1617. M. Annæus Lucanus, van't Borger oorlogh der Romeynen, tusschen C. Julium Cæsarem ende Cn. Pompeium Magnum, overgeset in Nederlands rym-dicht door D. Heyndrick Storm, t'Amsterdam, by Michiel Colyn, in-4.

1620. Eadem, ibid. in-8.

GERMANICÆ.

1695. Herrn Veit Ludwigs von Seckendorff politische und moralische Discurse über M. Annæi Lucani dreyhundert auserlesene lehrreiche Sprüche, und dessen heroische Gedichte, genannt Pharsalia, auf eine sonderbahre neue Manier ins Deutsche gebracht, und dem lateinischen auf jedes Blatt gegenüber gesetzt, nebst beigefugter Erklærung derer dunkeln und schweren Redensarten, auch nœthigem Register. Zwey Bænde, Leipzig, bey Weidmanns Erben und Gleditsch, in-8.

1737. Particulam libri noni carmine iambico reddidit Gottschedius. — Vid. die Schrifften der deutschen Gesellschaft, Zw. Th. Leipzig, 1737, in-8, p. 497. sqq.

1749. Caspar Wilhelm von Borck, Versuch einer gebundenen Uebersetzung des M. Annæus Lucanus vom bürgerlichen oder pharsalischen Kriege, aus des wohlseligen Verfassers Handschrift herausgegeben von dessem einzigem Bruder Ge. Balth. von Borck. Halle, in-8.

1771 et 1777. Singula loca verterunt Jo. Jac. Dusch, in Briefen zur Bildung des Geschmaks. Fünft. Band. Breslau, 1771, in-8; et C. H. Schmidt in Crusius Lebensbeschreibung der rœmischen Dichter. Erst. B. Halle, 1777, in-8.

1785. Der Druiden Lehre von der Unsterblichkeit der Seele. B. I, v. 450 — 462. Die Phœnicier, Erfinder des Buchstabenschrift. B. III, v. 220 — 224. Des Kato Glaubensbekenntnis. B. IX, v. 511 — 586. Vergænglichkeit und Unsterblichkeit. B. IX, v. 650 — 686; von Rode, in den philosophischen und andern Gedichten. Hamburg, 1785, p. 147 sqq.

1792. M. Annæus Lukans Pharsalia oder Bürgerkrieg. Uebersetzt von Phil. Ludw. Haus. Zwey Bænde. Mannheim, in-8.

— Verschiedene Stellen aus dem Lukan übersetzt und mit einigen Anmerkungen begleitet von Heinr. Crede. — Vid. ejusdem animadversionum in loca quædam veterum poetarum eorumque vertendorum periculum. Marburgi, 1792, in-8.

1802. Die Schlacht bei Pharsalia (sic), oder das siebende Buch des Lucan, metrisch übersetzt von C. B. H. Pistorius, nebst beygefügtem Text und erlæuternden Anmerckungen, wie auch der aus dem Franz. übersetzten Vorrede Marmontels zu seinem Franz. Lucan. Berlin, bey Lange, in-8.

ITALICÆ.

1492. Liber Lucani Cordubensis poete clarissimi editus in vulgari sermone : metrico tamen per R. patrem et dn. (dominum) L. Cardinalem de Montichiello dignissimum. In fine : Explicit liber Lucani Cordubensis poete clarissimi, translatus per R. patrem et dnm. L. de Montichiello cardinalem dignissimum. Impressus Rome per Eucharium Silber alias Franck, anno salutis nostræ MCCCCXCII, die x mensis januarii, in-4. — Est potius vita Julii Cæsaris, magnam partem e Lucano desumta.

— Eadem, Mediolani, in-4. In fine : Impressus Mediolani per Magistrum Cassanum de Mantegaziis, anno salutis nostre MCCCCXCII, die VII septembris.

1495. Eadem, Venetiis, in-4. In-fine. Impressum Venetiis per me Manfredum de Monferrato de Strevo MCCCCLXXXXV, die quarto mensis augusti, Joannes dictus Florentinus.

1579. Lucano delle guerre civili di Giulio Morigi nell' illustre academia de' Sig. Innominati di Parma l'innabile, con aggiunta sino alla morte di Cæsare. In Ravenna, senza nome di stampatore, in-4.

1587. Eadem versio. In Ravenna, appresso Franc. Tebaldini da Osimo, in-4.

1640. Farsaglia poema heroico di M. Anneo Lucano di Corduba divisa in libri dieci. Trasportata in lingua toscana in verso sciolto da Alberto Campani Fiorentino let. pub. di Padova. Con la vita di esso Lucano raccolta da diversi, e con un breve discorso dell' eccellenza sua comparato a Virgilio, e di questo suo poema. In Venetia, presso il Sarzina, in-12.

1668. La guerra civile, overo Farsaglia di M. Anneo Lucano, tradotta da Paolo Abriani. In Venetia, per Gio. Battista Catani. Appresso Giagomo Hertz, in-8.

1680. Della Farsaglia di Lucano tradotta in italiano, e ridotta in ottava rima dal signor Gio. Antonio Robillo, libro primo e secondo. — Lucem vidit hæc versio in libro inscripto : La Clio rinvenita, poesie postume del sig. Gio. Antonio Robillo, date in luce da D. Andrea Rainieri, etc. In Venetia, 1680, in-12.

1707. La Farsaglia, ovvero della guerra civile di M. Anneo Lucano tradotta, e trasportata in ottava rima da Gabrielle Maria Meloncelli religioso nella congregatione de chierici regolari di S. Paolo detti Barnabitti, etc. In Roma, nella Stamperia di Antonio de' Rossi alla Piazza di Ceri, in-4.

Hetruscis versibus Lucanum etiam reddiderant Zuccherus Bencivennus (circa an. 1310), Joannes Maria Vantus et Andreas Valfre ; sed neutra metaphrasis lucem vidit.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM

LIBRI PRIMI

E SULPITIO DESUMPTUM.

Primus habet belli causas; utque actus ab ira
Præcipiti Cæsar Rubiconis transilit undas,
Vicinumque minax invadit Ariminon; inde
Excipit attonita dejectos urbe Tribunos;
Ad bellumque suos animat, revocatque cohortes,
Auxilium fidum : terror tum scribitur Urbis;
Et fuga Pompeii trepidans, pavidique senatus.
Post hæc prodigia, et vatum responsa canuntur.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER PRIMUS.

ANALYSIS.

Materiam carminis exponit, bellum civile ad Pharsaliam decertatum; 1—7. Romanos objurgat, quod bellum civile ineant, dum sibi externi belli tot legitimæ causæ sint; 8—32. Omnia autem mala grato et contento animo accipienda sunt, si fata non invenere aliam viam venturo Neroni; 33—45. Neronis præmatura Apotheosis. Adulatoria carminis inscriptio; 45—66. Belli causas tum publicas, tum privatas sex refert. Prima est fatalis necessitas, quæ summa stare diu non patitur; 67—84. Secunda, fœdus Crassi, Cæsaris et Pompeii; namque regni societas nunquam exsistere potest; 84—97. Tertia, cædes Crassi apud Parthos, qui intercessione bellum civile comprimebat; 98—111. Quarta, mors Juliæ, quæ Cæsaris filia et Pompeii conjux, ambos fœdere et jure affinitatis hactenus retinuerat; 112—120. Quinta, ducum æmulatio. Pompeii, Cæsarisque indoles, natura, mores descripti; 121—157. Sexta et ultima causa, Romanorum vitia, ex diutina pace et nimia

felicitate; luxus in ædificiis, cibis, vestibus; avaritia, ambitio, dominandi libido; seditio, studia partium, etc. 158—182. Ad Rubiconem, decretorium amnem, Cæsaris cum exercitu adventus. Patriæ trepidantis effigies Cæsarem obsecratur, ne ultra procedat cum militibus. Postquam hæserit paulisper dux, tandem Rubiconem transit; 183—230. Ariminum noctu invadunt : cives somno exciti clangore tubarum, urbem a militibus occupatam sentiunt. Taciti sortem suam dolent; 231—261. Orto die, adveniunt tribuni Urbe ejecti, quos inter Curio Cæsarem hortatur, ut bellum statim capessat; 262—291. Cæsar, his verbis accensus, milites suos alloquitur, Romam bello petiturus. Pompeium et Senatum conviciis insectatur, Deosque armorum suorum justitiæ faventes sibi pollicetur; 292—351. Tandem cedunt milites; et insuper Lælius centurio pro omnibus jurat se Cæsari addictissimum; 352—391. Sparsas per Galliam cohortes revocat Cæsar: hinc variarum undequaque copiarum enumeratio, seu catalogus; 392—465. Collectis viribus, totam Italiam invadit Cæsar; et tantum populis terrorem incutit, ut Romam deserant Patres et ipse Pompeius; 466—522. Signa et portenta instantis calamitatis prænuntia; 523—583. Tusci vates, Arruns et Figulus interrogantur. Circa urbis mœnia solemne et piaculare lustrum præcipiunt; exta victimarum haruspices inspiciunt, omnia sinistra vident et nuntiant; 584—672. Tum matronæ Romanæ furor, quæ Phœbo afflata, eventus belli præcipuos præsagit; 673—695.

BELLA per Emathios plus quam civilia campos,
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra,
Cognatasque acies; et, rupto fœdere regni,
Certatum totis concussi viribus orbis

1. *Emathios.* Vox ἠμαθία, quæ proprie Macedoniam vel Macedoniæ partem (ut vult Heynius ad Virg. Georg. I, 492) significat, hic latius extenditur, et solito poetarum Latinorum more Thessaliam designat. Sic apud Virg. loco laud. Ovidium, Met. XV, 824 et alios. — *Plus quam civilia.* Etsi horum vocabb. significatio in promptu sit, hæserunt tamen interpretes, quum veram auctoris mentem, non expresse quidem declaratam, deprehendere tentarent. Ego autem Florum libenter audiam, Lucano ita succinentem, lib. IV, cap. 2: « Cæsaris furor atque Pompeii, urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique qua patebat imperium, quodam quasi diluvio aut inflammatione corripuit; adeo ut non recte tantum *civile* dicatur, et ne sociale quidem, sed nec externum; sed potius commune quoddam ex omnibus, et *plusquam* bellum ». Vide tamen ad finem libri Disquisitiones varias.

2. *Jusque datum sceleri.* Attentius sententiarum seriem et quasi concatenationem consideranti, hic demum sensus, quem sequuntur Grotius, Oudend. et Burmannus, melior videri potuit: « Licentiam nempe scelestis hominibus factam esse omnia quasi jure legitimo ad libitum agendi per bellum, in quo milites gladiis jus facere sunt soliti. » Poeta enim bellum primo nominat, dein omnia quæ cum bello ingruebant; scelera scilicet impune patrata, furorem Romanorum viscera patriæ dilaniantium, etc. Sic, equidem opinor, optime cohæret sententiarum ordo. Plura in Disquis. var. rejicio.

3. *In sua victrici*, etc. Sallust. in Fragmentis, nost. edit. p. 354: « Manus conserentes inter se Romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet versa. » Virg. Æn. VI, 833: « Neu patriæ validas in viscera vertite vires. »

4. *Cognatasque acies.* Schol. cod. B: « Utpote inter socerum et generum gesta; nam Pompeius filiam Julii Juliam habebat. Sunt et cognatæ acies, quum hinc inde starent parentes, liberi, fratres, cognati. » — *Rupto fœdere regni;* ruptis omnibus imperii romani vinculis, et dissoluta quasi reipublicæ compage. Sensus enim iste cum totius loci colore melius congruit, quam si de triumviratu hæc capias. Vide Disquis. varias.

5. *Certatum totis*, etc. Ordo est: canimus certatum fuisse in commune nefas; non, ut volebat Mycillus, canimus *nefas*, bellum nefarium, certatum *in commune*, communiter ab utraque parte. — *Concussi orbis;* « commoti in prælium; quia totus pæne mundus in ipso bello fuit. » Schol. cod. B. — Eodem sensu Seneca (Vide ad Poet. Latin. Minores, tom. IV,

In commune nefas; infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.
Quis furor, o cives! quæ tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Quumque superba foret Babylon spolianda tropæis

p. 543). Carm. ad Cordubam, vs. 5, *Versis viribus orbis*.

6. *In commune nefas*. In mutuam non tantum Romanorum perniciem, sed in generale totius terrarum orbis exitium, quod hinc patet, quia totis viribus orbis concussi certatum esse dicit; ut scilicet eo magis exaggeret hoc nefarium prælium, quo pro Hispanica sua magniloquentia fingit genus humanum fere exstinctum fuisse, ut clades hæc multis seculis vix reparari posse videretur, quamvis orbis bello careret. — *Nefas* pro exitio, sicut lib. II, vs. 4; et V, vs. 204. Senec. in Thyest. 89: « Ducam in horrendum *nefas* avus nepotes? » VAN JEV.—*Infestisque obvia signis Signa*. Farnab. vult ea dici de signis vocalibus et mutis (apud nos, *signal, mot d'ordre*); et hoc alicui arridere non miror, quum statim de *aquilis*, quæ vexilla sunt, nominatim mentio fiat, sicque inutilis repetitio videri posset. Vocibus tamen *infestis* et *obvia* designari haud dubie vexilla arbitror.

7. *Pares aquilas*. « Romani aquilas in vexillis habebant, quod eadem avis in armis Jovis auspicio fuit. Nam dum idem adversum Titanas proficisceretur, ei in auspicio aquila apparuisse fertur; quam ille pro indicio victoriæ acceptam, tutelæ suæ auspicatus, legioni signum dedit. » Schol. cod. B.—Valerius Flaccus, Argon. lib. VI, 403: « Quorum agmina pilis, Quorum aquilis utrimque micant. » — *Pila minantia pilis*. Pilum erat telum missile, Romanis proprium; de quo vide ad Liv. IX, 19, not. 2, cf. Sil. IV, 550; Polyb. VI, 23, 8; Dion. Halic. V; Veget. I, 24; Lips. Mil. Rom. III, 4. Nonnulla quoque de *pilo* disseruit GUISCHARDT, *Mémoires militaires*, c. IV, t. I, p. 72 sqq.

8. *Quis furor, o cives!* Ecce statim *in medias res*, ut ait Horatius, Art. Poet. vs. 148, *auditorem rapit* Noster, exclamationem avertendo ad illos cives jamdio fato defunctos. — *Quæ tanta licentia ferri*. Id est, an ferro tantum est permissum, tanta data potestas, ut fundat sanguinem civium Romanorum in delectationem exterarum gentium? Eodem modo Cicero, ad Fam. IV, 9, *magna gladiorum est licentia*. OUDEND.

9. *Gentibus invisis*, etc. Barbaris, qui ex oriente vel occidente auxilio venerant, sanguinem profundendum et quasi hauriendum objicere. Livius, lib. IX, cap. 1: « Placari nequeant, nisi hauriendum sanguinem laniandaque viscera nostra *præbuerimus*. » Minus placet sensus alter a Camerario prolatus, nempe mutuis cædibus belli civilis Barbaris donatum fuisse sanguinem Romanorum, a quibus facile illi vinci potuissent.

10. *Babylon*. Schol. cod. B: « Parthia, ubi est Babylon, metropolis Parthorum. » — Atqui illa longe a Parthia: sed quia Parthi tunc possidebant omne imperium, quod olim As-

Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos.
Heu! quantum potuit terræ pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ,
Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit,
Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis,

syrii, Medi et Persæ tenuerant, poetæ omnes has regiones Parthis adscribunt. BURM. — De ipsa urbe vide ad Q. Curt. lib. V, cap. 1, § 24 sqq. et ejusdem tom. III, pag. 101, et 303, nostr. edit. — *Tropæis*. Sic scribendum, non *trophæis*; τρόπαιον enim græce dicitur, et fuga hostium vocatur τροπή. Aliquis fortasse *trophæum* posset defendere, ut sit *h* additum, sicut in *triumphus*, quum olim diceretur *triumpus*. Vide Steph. Thes. Linguæ latinæ, vocc. *tropæum* et *triumphus*.

11. *Umbraque erraret Crassus inulta*. Nemini non nota est infelix Crassi expeditio; de qua in primis Appianus Parthic. et Flor. lib. III, cap. 2; cf. et quæ notantur ad Ovid. Art. Am. I, 179, Fast. V, 579 sqq. Propert. lib. II, eleg. X, vs. 13 sq. — *Erraret*. Quis nescit Virgilii locum, Æneid. VI, 325 sqq. ubi et Heynius consulendus est?

12. *Nullos habitura triumphos*. Nulli triumphus decernebatur, « quamvis præclaras res, maxime utiles reipublicæ bello civili gessisset; quia ut necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, utpote non externo, sed domestico partæ cruore. » Verba sunt Valerii Max. lib. II, cap. 8, § 7; quod retulit Rosinus, Antiquit. Romanar. lib. X, cap. 29.

13. *Heu! quantum potuit terræ*, etc. Grotius monet hoc sumptum ex Agesilai dicto, quod apud Plutarchum, Apophthegm. legas: Φεῦ τᾶς Ἑλλάδος, ἃ τοσούτους ὑφ' ἑαυτᾶς ἀπολώλεκεν, ὅσοις ἀρκεῖ τοὺς Βαρβάρους νικῆν ἅπαντας. — Male omnes interpp. interpunctionem majorem post *dextræ* ponunt. Sensus est: quantum potuit parari ad orientem, etc. Sic omnia bene cohærent et congruunt.

15. *Unde venit Titan*. Orientem designat, unde sol se effert; in altera autem versiculi parte, occidentem, ubi nox cælum relinquit, et quæcumque illam comitantur, sidera secum abscondit. Nox enim eadem via, et eodem modo, quibus sol, ipsa cursum peragit, et in oceanum pariter se recipit. Noster igitur, quum ortum et occasum significare vellet, recte dixit, *unde sol venit, et ubi nox stellas abscondit*; nam statim ut ab Auroræ regionibus sol exoritur, fugata nox ultra Herculeas metas se præcipitat. Hæc illustrari possunt ex Manil. II, 836: « emenso qui condit sidera mundo. »

16. *Quaque dies medius*, etc. Meridiem indicat, ut Virg. Georg. III, 303: « Ad medium conversa diem. » — *Flagrantibus horis*. Flagrantes horæ illud significari tempus notant, quod maxime torret terras et homines. De quocumque sive diei, sive noctis tempore poetæ hac voce uti solent.

Et qua bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Adstringit Scythico glacialem frigore pontum!
Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes,
Et gens si qua jacet nascenti conscia Nilo!
Tunc, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
Totum sub Latias leges quum miseris orbem,
In te verte manus : nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quod mœnia tectis
Urbibus Italiæ, lapsisque ingentia muris
Saxa jacent, nulloque domus custode tenentur,
Rarus et antiquis habitator in urbibus errat;
Horrida quod dumis, multosque inarata per annos
Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis;
Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Pœnus erit : nulli penitus discindere ferro
Contigit : alta sedent civilis vulnera dextræ.

17, sq. *Nescia vere remitti.* Id est, quæ nunquam veris tepente flatu remittitur, at semper concretas scythici maris undas constringit.—*Scythicum frigus*, quale in Scythia esse solet (Vide Virg. Georg. III, 349). Quidquid barbarum sævumque intelligi volumus, id *scythicum* appellamus.

19. *Seres.* « Indiæ populi, adhuc Romanis non subjecti, apud quos sericum nascitur. » Schol. cod. B.—De his vide Plin. lib. VI, cap. 20; Solin. cap. 63. — Araxes, Armeniæ fluvius, pro accolis nominatus. Quum vero Armenii jam antea a Pompeio subacti fuissent (vide ad II, 594), Bentleius censet corrigendum *Hydaspes*, nam hic extrema orbis terrarum designantur.

20. *Et gens si qua jacet*, etc. Schol. cod. B : « a multis quæsitum est de ortu Nili, sed a nullo inventum. » Vide ad lib. X, vs. 268.

24. *At nunc semirutis.* « Longum hyperbaton ; ordo est : quod Italia ruinas patitur bellorum ita ut habitatoribus egeat, etc. horum auctor non Pyrrhus, aut Hannibal, sed bellum civile. *Mœnia* proprie muros significant; abusive etiam ædificia publica, sicut in hoc loco. » Schol. cod. B. — Vide Disquis. varias.

30. *Non tu, Pyrrhe ferox*, etc. Adumbratum ex Horatio, Epod. 16, vs. 2 sqq. De Pyrrho vide in Livii Epit. et Suppl. lib. XII et XIII, et de Hannibale ad Livium, lib. XXI sqq.

31 sq. *Nulli penitus*, etc. Magnis quidem periculis Romani aliquando

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque æterna parantur
Regna Deis, cælumque suo servire Tonanti
Non nisi sævorum potuit post bella gigantum;
Jam nihil, o Superi, querimur: scelera ipsa, nefasque
Hac mercede placent: diros Pharsalia campos
Impleat et Pœni saturentur sanguine manes;
Ultima funesta concurrant prælia Munda.
His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores

laboravere; sed *nulli* externo hosti datum est Romam funditus ferro vastare ejusque viscera dilacerare; bella autem civilia altum illi et pæne mortiferum vulnus inflixerunt.

33. *Quod si non aliam*, etc. Id est, nisi per has clades, et reipublicæ vulnera. Plin. Panegyr. cap. 6: « Si tamen hæc sola erat ratio, quæ te publicæ salutis gubernaculis admoveret, prope est ut exclamem, tanti fuisse. » Vide Disquis. var.

34. *Magno*. Scilicet pretio; si magno constat Diis, ut æternum teneant imperium.

38. *Hac mercede placent*. Nempe, si talem scelera habitura sunt exitum, ut hinc felicissimum Neronis regnum præparetur. — *Diros campos* male Burm. de inferis cepisse credo.

39. *Impleat, et Pœni* etc. Sic vulgo distinguitur. Bentl. jubet tolli distinctionem post *impleat,* quippe *sanguine* tam cum hoc jungitur, quam cum *saturentur.* — «*Pœni manes* significant bellum civile quod est gestum in Africa, adversus Jubam et Scipionem socium Pompeii. *Pœni* autem aut nominativus pluralis, aut genitivus sing. id est, Hannibalis manes». Schol. cod. B. — Potius innuit umbras tot Carthaginiensium bellis Punicis olim interemptorum, quæ tunc sanguine romano placantur. Sic infra, lib. IV, vs. 789: « ferat ista cruentus Hannibal, et *Pœni* tam dira piacula *manes.* »

40. *Ultima funesta*, etc. Munda, urbs Hispaniæ ulterioris, quam Strabo laudat, ut metropolim urbium in hac parte exstantium. Audiamus Florum optime hæc verba explicantem, lib. IV, cap. 2: « Omnium postrema certaminum Munda. Hic non pro cætera (Cæsaris) felicitate, sed anceps et diu triste prælium: ut plane videretur nescio quid deliberare fortuna. » Vide ad Livium XXIV, 42, ibique, not. 1, et Silium III, 400.

41. *His, Cæsar, Perusina fames*, etc. Burm. monebat distinguendum, *his Cæsar,* ut sit nominat. casus, e J. Cæsar in curia occisus intelligatur. Hunc quoque sensum secuti sunt nost. codd. scholiastæ; in B et C supra scriptum est, *scilicet accedat Julius;* in D, *mors ejus accedat.* Sed orationem ad Neronem averti recte volunt viri doctissimi; nam quid haberet, quo referretur seq. *tibi?* Immo res ipsa clamat; auctor enim omnia bellorum civilium damna recenset,

Accedant fatis ; et , quas premit aspera , classes ,
Leucas ; et ardenti servilia bella sub Ætna.
Multum Roma tamen debet civilibus armis ,
Quod tibi res acta est. Te, quum, statione peracta,

inter quæ scelerati , ut ipse vocat, Cæsaris necem libertatis amantissimus nonquam retolisset. — *Perusia*, Περουσία, hodie *Perugia*, urbs Tusciæ, Tiberim inter et Trasimenum lacum sita , qoam e duodecim priscis Etruscorom urbibus, post recentem eorum adveotum in Italiam conditis , unam foisse memorat Appianos, Bell. Civ. lib. V, p. 699 : ὑπὸ Τυῤῥηνῶν πάλαι φασὶν αὐτὴν ἐν ταῖς πρώταις δυόδεκα πόλεσιν ἐν Ἰταλίᾳ γενέσθαι. Ibi obsessus a Cæsare Octaviano Lucios Antonius ad deditionem fame compulsus est.—*Mutina*, bodie *Modena*, Boiorum oppidum in Gallia Cispadana, in quo D. Brotom Antonius obsedit, sed mox cæsis inter vinceudom Hirtio et Pansa consolibus, Italiam turpi foga deserere ab Octaviano coactus est. Vide Appian. Bell. Civ. III, 49 sq.

43. *Leucas*. «Promontorium Epiri, ubi Cæsar Augustus actiaco bello Marcom Antonium navali prælio soperavit. Et nota Lucanum feminino genere vocem posuisse , Virgilium masculino (Æneid. VIII, 676), *totumque instructo Marte videres Fervere Leucaten*, etc. » Schol. cod. B.—Florus, IV, 11, de pogna actiaca : « Cæsar, positis in Epiro castris, Leucadem insulam , montemque Leucatem , et Ambracii sinus cornoa, infesta classe, suceinxerat ». — *Aspera*, et *ardenti* ad naturam loci, non ad prælia ibi mota respiciunt. — *Servilia bella sub Ætna*. Omnibonus intelligebat bellum servile a Syro Euno in Sicilia conoitatum ; male omnino , nam hic de bellis , quæ Pharsalicum nefas secuta sunt, mentio fit : qoare intelligeudum navale certamen contra Sextom Pompeium , qui, solotis ergastolis, in Sicilia piraticam exercebat. Vide Flor. IV, cap. 8.

45. *Quod tibi res acta est*. Duplex binc mibi videtur sententia duci posse : una , civilia arma vel eo nomine imperio rom. utilia fuisse, quod sub ombram onius principis monarchæ redactum esset : altera , qood bellis eivilibos Roma jam defuncta esset, nec metoenda amplius, Nerone regnaote. HORTENS. — Qood equidem mihi non adeo patere fateor , nec, quomodo ntraque explicatio inde eruatur , scire. Ego sic locum exposuerim : Quamvis tot ac tantas calamitates Roma exhauserit , *multum tamen debet* his malis, id est , maximam vicissim honorum copiam iode accepit; nam *res*, omnis scilicet bellorum series com variis eventibus , *acta est* in gratiam Neronis, ut ille tandem ad principatum provectus, imperium romanum tantis sois dotibos constitueret, et ad summam componeret felicitatem. — *Te, quum statione peracta*. Quom tu stationis toæ finem feceris ; emensus vitæ spatium et imperio feliciter functus. *Statio* autem est militis muoos ad excubias stantis : unde princeps in statione manere dici potest, quoad publicæ saluti iovigilat.

Astra petes serus, prælati regia cæli
Excipiet, gaudente polo : seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phœbi conscendere currus,
Telluremque, nihil mutato sole timentem,
Igne vago lustrare juvat; tibi numine ab omni
Cedetur, jurisque tui natura relinquet,
Quis Deus esse velis, ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe,
Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri;
Unde tuam videas obliquo sidere Romam.

46. *Astra petes serus.* Quum post longam vitam, in extrema senectute, ad cælum ibis, et tua fiet apotheosis, tunc gaudebunt poli se tandem a te *prælatos* huic terrarum orbi, et quanquam *sero* venias, exsultabunt tamen te excepturi.

47. *Seu sceptra tenere.* Jovis sceptra innuit, id est, supremam in cælo potestatem. Virgilium imitatur, cujus locum confer, Georg. I, vs. 25, sqq. « Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura Deorum Concilia, incertum est, etc. »

49. *Nihil mutato sole timentem.* Objiciunt quidam non mutari *solem*, sed tantum currus aurigam; male, opinor; nam *Phœbus* ipse idem est atque *sol*, cujus locum si Nero occupet, *sol mutabitur.* Sic apud Senec. Hippol. 1090 : « *Soli falso* creditum indignans diem Phaetonta currus aerio excussit polo. » Cui fabulæ Noster alludit. Cf. Ovid. Met. II, init.

50. *Igne vago.* Qui totam terram illustrat quidem, sed non omnes simul partes, aliasque aliis vicissim horis. Sol et cætera sidera suas habent vices; unde passim *vaga, errantia* dicuntur.

51. sqq. *Cedetur*, etc. Omnes Dii tibi locum præ honore cedent, et natura relinquet tibi jus eligendi quis Deus esse velis, et in qua cæli regione primariam totius mundi sedem, et solium tuum ponere.

53. *Sed neque in Arctoo*, etc. Id est, in illa orbis cælestis parte, ubi collucet Arctos. — Relatus vero in Deos et sideribus additus, noli sedem tibi eligere versus alterum polorum, unde obliquo intuitu, impedito parumque efficaci Romam conspicias; sed juxta æquatorem, ut recto, propinquo, et gratioso vultu nos intuearis. FARNAB.

54. *Nec polus adversi .... Austri.* Si hic polum antarcticum, qui arctico *adversus* est, designat Lucanus, in sphæram sane deliquit, quum *calidum* eum vocat : sed nonnulli interpp. Nostrum culpa levare conantur. Vid. Disquis. Var. — *Vergitur*, ad sensus nostros dictum, si sphæram ob oculos positam inspiciamus. Sic Virg. Georg. I, 241, de Mundo : « *Premitur* Lybiæ *devexus* in Austros. »

55. *Obliquo sidere.* Sulpitius in-

Ætheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus. Librati pondera cæli
Orbe tene medio : pars ætheris illa sereni
Tota vacet, nullæque obstent a Cæsare nubes.
Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet : pax missa per orbem

telligit, si ad polum arcticum aut antarcticum os converterit, ut ad occidentem sidera pæne omnia, Romam oblique respecturum. Sed Glareanus *obliquum sidus* habetur obliquus intuitus, qui est a polo antarctico Romam versus, impeditus sane tumore terræ. Immo, ait Hortensius, *obliquum sidus* ab eo obliquum horisontem vocari puto, quem in omnibus cardinibus habent, præter eos, qui sub æquinoctiali degunt. Judicent talium rerum periti.

56. *Partem si presseris unam.* Si *unam* ex his modo citatis partibus, septemtrionali videlicet et australi, quibus adde Eoam et occiduam, tibi sedem elegeris, illam sane pondere tuo deprimes, et sic turbato cæli æquilibrio, axis laborabit; nam, quod recte adnotavit Bentleius, ex mechanica notum est, quo longius a centro, sive fulcro, onus recedat, eo magis sentiri et plus ponderare.

57. *Librati pondera cæli*, etc. Si in medio consistas, cælum æquo examine libratum, in æquilibrio manebit. Sic de terra Ovidius, Met. I, 12 sq. « Nec circumfuso pendebat in aere Tellus Ponderibus librata suis. »

58 sq. *Pars ætheris illa sereni*, etc. Expono; *pars illa ætheris* tunc *sereni*; medius orbis, medius Zodiacus, qui tunc *serenus* in perpetuum fiet, nubibus omnino vel aliis sideribus liberetur, ut tuo conspectu semper fruantur Romani. *Tota vacet*, vacua sit: sic absolute aliquando hoc verbum ponitur. Plaut. Cas. III, 1, 7 : « Fac vacent ædes ; » Cicero Epistol. ad Att. XII, 11 : « Tota domus vacat. »

60 sqq. *Tunc genus humanum*, etc. Tunc, quum supremo omnem terrarum orbem imperio reges, homines bellorum tumultu exempti, in medium suis commodis consulent; gens omnis invicem omnes gentes amabit, et pax tandem totam terram amplexa, claudet templum Jani, cujus apertæ fores tamdiu bellum denuntiavere.—*Amet* videtur absolute sumptum; malim tamen subaudire *alias*, scil. gentes, vel *se*, ut sit: omnes gentes *se* invicem ament. — *Pax missa*, ut loquitur ipse Janus apud Ovid. Fast. I, 121 : « Quum libuit *pacem* placidis *emittere* tectis. » De Jani templo omnia nota sunt. Sed in cod. Reg. B notam invenio, quam transcribere operæ pretium duxi: « Duo Jani fuerunt : unus qui præerat bellis, cujus templum extra muros civitatis erat, quia bellum a civitate longe debet fieri, cui etiam omne initium consecrabant : alter erat pacificus, templum in civitate habens, quia intra civitatem pax semper esse debet. Illius etiam belligeri templum, tempore belli, januas semper apertas habe-

Ferrea belligeri compescat limina Jani.
Sed mihi jam numen : nec, si te pectore vates
Accipiam, Cirrhæa velim secreta moventem
Sollicitare Deum, Bacchumque avertere Nysa.
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.
  Fert animus causas tantarum expromere rerum,
Immensumque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
Invida fatorum series, summisque negatum

bat; pacis vero tempore, claudebantur. »

63 sqq. *Sed mihi jam numen*. Omnia hæc evenient olim, et sero quidem; sed jam nunc tu mihi Deus haberis, adeo propitius ac præsens, ut, si pectus meum, tuo numine afflaveris, impleveris, nihil ultra invocem alios Deos vatibus faventes. — *Cirrhæa*, ab oppido Phocidis Cirrha, ubi celebre Apollinis Delphici oraculum fuisse videtur. — *Secreta moventem*, qui futuri tenebras amovet, et oraculorum arcana pandit.— *Sollicitare Deum*; instare precibus, et sacrum Phœbi afflatum multa invocatione flagitare.—*Avertere*, ad me convertere, provocare ut Nysam relinquens mihi adsit. Hic enim invocandi mos solemnis est poetis. Vide Virgil. Georg. I, 16 sq. « Ipse, nemus linquens patrium, saltosque Lycæi.... Adsis, o Tegeæe, faveos. »—*Nysa*, Æthiopiæ, vel, ut quidam volunt, Arabiæ oppidum, in quo Bacchus a Nymphis educatus fuit. Vide infra Disquis. varias.

66. *Tu satis*, etc. Si mihi faves, satis virium habebo ad res romanas carminibus describendas. Idem loquendi modus occurrit in Carm. ad *Messalam*, quod Tibullo vulgo attribuitur, v. 178: « Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis. »

67 sqq. *Fert animus causas*, etc. Hæ res, quas Noster *tantas* vocat, sunt omnes belli civilis eventus, et reipublicæ romanæ mutatio. Causas vero sex recenset, ut videre est in analysi quam huic libro præmisimus. De hujus loci explanatione pauca rejicimus infra in Disquis. varias. — *Furentem*. Quidam jungunt *furentem in arma*, id est, furore ad arma incitatum; malo tamen simpliciter exponere : impulerit ad arma populum cæco ardore amentem. — *Pacem excusserit orbi*. Intellige hic orbem romanum, totum scilicet quoad patebat imperium; neque enim tunc universus terrarum orbis in pace acquiescebat.

70 sqq. *Invida fatorum series*. Scilicet fata invidiose a Diis sic ordinata, ut hæ calamitates Romanis ingruerent; vel absolute dictum, et hic mihi sensus magis arridet, fatalis ea necessitas, qua res humanæ excidio semper obnoxiæ in perniciem continuo trahuntur. — *Summisque*

Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus,
Nec se Roma ferens. Sic, quum, compage soluta,
Secula tot mundi suprema coegerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos; omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent : ignea pontum
Astra petent : tellus extendere litora nolet,
Excutietque fretum : fratri contraria Phœbe
Ibit, et, obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi : totaque discors

negatum Stare diu. Quæ summa sunt, sicut et pulchra, citius evertuntur; Claud. Epig. 41 : « Pulchris stare diu Parcarum lege negatur: Magna repente ruunt; summa cadunt subito. » — *Nimioque graves sub pondere lapsus*, etc. Quoties accidit ut moles aliqua, si in immensum excrescat, tunc subsidentibus nimio sub pondere fundamentis, casu graviore subruatur! Sic ingens Romanorum potentia : postquam ejus magnitudini cumulus accessit, jam se sustinere Roma non valens, dissiliente undequaque imperio, certissimæ et propiori ruinæ addicta videbatur.

72 sqq. *Sic, quum, compage soluta*, etc. Sensus est : Romana respublica ad summum provecta fastigium repente dissiluit; non secus ac olim mundus, quum ei suprema dies illuxerit, subita dissolutione in chaos rediturus est.—*Secula tot.... coegerit.* Tantam seculorum seriem *coegerit*, finierit, clauserit, ut *agmen cogere*, et similia, notante Gronovio, Observatt. in script. Eccles. cap. 19. — *Repetens iterum chaos*, recurrens ad antiquum chaos; vel potius, renovans, reducens confusionem illam in qua antiquitus omnia jacuere. Vide Disquis. varias.

75. *Sidera sideribus concurrent.* Sidera æternum sui cursus ordinem et vices rumpent, et omnia omnibus invicem incurrent.— *Ignea pontum Astra petent.* Turbato cæli ordine, astra mari immiscebuntur. Schol. cod. B. acute exponit, *astra*, septemtriones qui nunquam occidunt.

76. *Tellus extendere litora nolet.* Terra mari cingitur, et ipsa mare intra certos litorum terminos coercet; tunc autem soluto quasi fœdere, terra nolet circa fretum in riparum altitudinem excrescere; sed illud ex imo longe a se in vacuum rejicere conabitur. Vide Disquis. varias.

77 sqq. *Fratri contraria Phœbe*, etc. Luna non sequetur solem certis et solitis per zodiacum vicibus; sed contrario feretur motu. FARN.— Notum est apud Veteres vulgo creditum esse, solem et lunam eodem motu alternisque vicibus circa terram discurrere. — *Obliquum orbem*, Ἐκλειπτικὸν intellige. — *Diem poscet sibi.* Volet ipsa interdiu lucescere, et eum solis munere ipsius splendorem usurpabit.

79. *Totaque discors Machina*, etc.

Machina divulsi turbabit fœdera mundi.
In se magna ruunt : lætis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum. Nec gentibus ullis
Commodat in populum, terræ pelagique potentem,
Invidiam Fortuna suam. Tu causa malorum
Facta tribus dominis communis, Roma, nec unquam
In turbam missi feralia fœdera regni.
O male concordes, nimiaque cupidine cæci,
Quid miscere juvat vires, orbemque tenere
In medio? Dum terra fretum, terramque levabit

Machina quæ partium concordia constat, tunc dissidio concussa et corruens, omnes illas solis, terræ, siderumque leges dissolvet.

81. *In se magna ruunt.* Magnæ res ipsa magnitudine evertuntur, et quum felicitati cumulus accessit, necesse est casus aliquis nos fragilitatis humanæ admoneat. Jam vs. 70, *summisque negatum Stare diu*, etc.

82. *Nec gentibus ullis*, etc. Burmannus intelligit, omnia mala non adscribenda Fortunæ, quæ Romanis inimica commodaret aliis gentibus *invidiam suam*, id est, sibi propriam et peculiarem, ut æque secum inviderent Romæ, eamque eversam cuperent. Mihi tamen non plane ista satisfaciunt, et malim interpretari : Fortuna nullam exterarum gentium suæ erga Romanos invidiæ administram elegit, nulli summam tantæ molis evertendæ curam permisit; sed Romam in sui ipsius perniciem armavit. Hæc enim respicere videntur ad vs. 30 : « Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor Pœnus erit, etc. » Vide Disquis. varias.

85 sq. *Facta tribus dominis*, etc. Prior triumviratus, quo rem Romanam inter se partiti sunt Cæsar, Pompeius et Crassus. — *Communis.* Potestas senatui et populo erepta, inter tres dominos pariter divisa et communicata est. — *Nec unquam In turbam missi*, etc. Funesta illa societas regni, quod nunquam inter plures tuto dividi potest.

87 sqq. O vos quos fragilis et male sarta amicitia conjunxit, quos cæca ambitio transversum abripit, quid prodest vestram in commune conferre potentiam, ita ut orbis, quasi posita in medio præda „ ad tres simul et æqualiter pertineat. Nolim enm Hortensio iutelligere : servare orbem dubium cujus imperio parere debeat. Locum Plutarchus illustrat, Brut. 29: ἆθλον ἐν μέσῳ καὶ λείαν προθέμενοι τὴν πατρίδα, qui patriam in medio quasi præmium et prædam proposuerant. Vide et Turn. Advers. XXII, 20.

89. *Dum terra fretum, terramque levabit Aer*, etc. Locum hunc reprehendit J. Scaliger de Arte Poetica, lib. VI, cap. 6 : « Si terra, inquit, sustinet mare, eadem ra–

Aer, et longi volvent Titana labores,
Noxque diem cælo totidem per signa sequetur,
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit. Nec gentibus ullis
Credite; nec longe fatorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
Nec pretium tanti tellus pontusve furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.
Temporis angusti mansit concordia discors,

tione sustinebit aerem, non autem ab aere sustinebitur.» At Nostro patrocinati sunt viri doctissimi, multa citantes quæ vulgo receptam apud veteres hanc opinionem ostenderent, testibus Plinio lib. II, cap. 4; Ovidio Met. I, 12; Stat. Theb. VIII, 308, aliisque. Et inde quidam volunt *aerem* dictum ἀπὸ τοῦ αἴρειν, a *ferendo*, quod terram ferat. Cf. quoque ad V, 91. Hæc imitatus est Dracontius in Hexaemer. v. 291: «Dumque fretum terra, et dum cælum sublevat aer.» Ed.

90 sq. *Et longi volvent*, etc. Veteribus persuasum erat solem quotidie cum toto cælo circa terram in medio stantem et immotam longo *labore*, id est, circuitu discurrere; quod falsum suspicatus *Copernic*, non solem, sed terram circumvolvi demonstravit. — *Noxque diem... per signa*, etc. Zodiacum innuit, cujus sex signa noctem, sex diem vicissim, in æquinoctio certe, accipiunt. Vide Disquis. varias.

92. *Nulla fides regni sociis*. Sententiam hanc multi protulere, quia omnium ætatum est. Cf. Plutarch. Apophth. cap. 8; Diodor. XVII, 54; Senec. Thyest. v. 444; Q.-Curt. IV, 2, 22; Justin. XI, 12. Jam præiverat Homerus, Iliad. II, 204: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

93 sqq. *Nec gentibus ullis*, etc. Quod ut persuasum habeatis, non apud exteras gentes et longinquis e regionibus talium rerum exempla petenda sunt; hac ipsa in urbe, dum conderetur, Remus a fratre interfectus, vallum, quod irridens transilierat, sanguine respersit. Nec tanti sceleris causa fuerat totius orbis imperium: contendebant tantum fratres uter exiguo et ignobili convenarum receptaculo præesset. De Romuli *asylo* omnia jam vulgata. Cf. ad Liv. I, 8; Virg. Æn. VIII, 342, aliosque.

98 sq. *Temporis angusti*, etc. Modico admodum tempore, inter triumviros mansit illa concordia, quæ discordiam tegebat: nam quum publice amici viderentur, alter alterum clam oderat. — Ab Horatio petitum, Epist. I, 12, vs. 19: «Quid velit, et possit, rerum *concordia discors*;» et Ovid. Met. I, 433: «Vapor humidus omnes Res creat, et *discors concordia* fœtibus apta est.» Quod tamen illi de rebus naturalibus usurparunt, Noster solita elegantia ad civiles

Paxque fuit non sponte ducum : nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora. Qualiter undas
Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum ; si terra recedat,
Ionium Ægæo frangat mare : sic, ubi sæva
Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus

translulit. In *angusti* multi mendum suspicantur. Hamborg. 4 *angusto*, quod Burmanno placebat, pro *angustiis temporis*. Bentl. reponit : « Temporis angustum mansit discordia concors. » *Discordia* babet Rottend. pr. Dura quidem constructio, sed sensns perspicuus. Ed.

100. *Belli mora.* Hanc locutionem sæpe videas apud poetas. Ejus exempla plena manu dat Drakenborch. ad Siliom Italic. L. VIII, 33. « Sola ille Latinos Sub juga mittendi mora. » Alia prodit Weber, sed alio sensu. Non enim item est apud Senec. Agam. 211 : « Non sola Danais Hector et bello mora. » Ed.

101 *Qui secat.* Hæc redondare videntur: *Secat terras, separat mare, nec patitur conferre fretum*. Lucani, ut opinor, non librariorum vitium. Bentl. tentat: « qualiter una *Dissecat*.... nec patitor conferre *gradum*.» Non feliciter. Ed.—*Gracilis Isthmos.* Angusta terra intra duo maria, sed nunc κατ' ἐξοχὴν Corinthiacus indicator, a qoo Horatins bimarem Corinthum appellavit. *Hysmos* MS. ut sit mons nescio quis. Mendose. Bersm.

102 *Conferre fretum.* Mare se utrumque commiscere : ut, *Tum prora avertit*, id est, avertitur, vel avertit se. Gronov. Observ. Lib. XI, 7. Drakenb. ad Sil. Lib. IX, 645, et ut v. seq. *frangat*, non dissimili plane modo Silius Lib. I, 647 : « Spumeus hic, medio qui sorgit ab æquore, fluctus, Si prohibere piget, vestras effringet in urbes. » *Ionium se frangat Ægæo*, hoc est, alterum in alterum influet. Sont autem appellationes hæ oppositorum locorum maritimorum. Nam *Ionium* est intra Italiam et Græciam exundans in sinum Adriaticum. *Ægæum* intra Græciam et Asiam. Cam.

103. *Ionium.* Ionium mare alii ab Io, Inachi filia, nominatum tradont, quæ ex Dodona, ot quidam fabulaotur, profugiens, mare illud, antea Chronium, et Rheæ sinom, appellatom, trajecisse dicitur. Æschylos in Prometheo : « Χρόνον δὲ τὸν μέλλοντα πόντιος μυχὸς, Σαφῶς ἐπίςασ', Ἰόνιος κληθήσεται Τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσι βροτοῖς. » Alii autem ab Ionio Illyricorom rege quodam, Adriæ, ejus a quo Adria urbs condita fertur, filio vocatum scribunt. Et quia idem Adriaticum mare excipit, promiscue interim utroque nomine ambo maria, κατὰ μετάθεσιν τοῦ ὀνόματος, ut inquit interpres Apollonii, appellari solent. Mic. — *Ægæo.* Ægæum, auctore Plinio, Lib. IV, c. 11, dictum est a scopulo inter Tenedum et Chiom insulas surgente, in effigiem capræ, quam Græci αἶγα vocant Sulp. — *Frangat.* Sic duo MSS. non male. Ita

Assyrias Latio maculavit sanguine Carras,
Parthica Romanos solverunt damna furores.
Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est,
Arsacidæ! bellum victis civile dedistis.
Dividitur ferro regnum; populique potentis,
Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem,

rectius quam *franget*, quod habent b. c. Est enim δυνηπτικὸν, ut loquuntur Græci. Adstipulantur huic lectioni Reg. 1, Marp. Voss. prim. tert. et quart. et Ed. Rom. Sensus est: Isthmus prohibet, ne duo æquora coeant.

105. *Latio*. Van Jever reponit *avido*, id est, avaro. Nil necesse est mutare: elegantiori regionum antithesi utitur Lucanus, neque hic Crassum crimine avaritiæ notare voluit. Supra, v. 9: « Gentibus invisis Latium præbere cruorem. » Crassus, dum viveret, Cæsaris et Pompeii arma separabat; sed ea mortuus commisit. Ed.—*Maculavit sanguine*. Silius, II, 6: « Patricio Cremeræ maculavit sanguine ripas. » Iterum XII, 17: « Mæonios Italo sceleravit sanguine fluctus. » Nec ferre possum hæc: « Funere miserando maculavit Carras sanguine. » Audacter Bentl. *medio discrimine Crassus*. Van Jever *miserando vulnere*, id est, miseranda reip. Rom. clade. *Vulnera* quidem et *funera* sæpe à librariis confusa. Vide Drakenb. ad Sil. Ital. I, 399. — *Carras*. Carrhas Plinius Arabiæ civitatem facit, lib. V, cap. 24. Stephanus autem, et Appianus, qui totam hanc Crassi historiam descripsit, Mesopotamiæ attribuunt. Ut et Moses, et Josephus. Has enim Carrhas esse volunt, ubi Abraham natus, et pater ejus Thara, mortuus et sepultus est, quam Hebræi suo nomine Charan vocant. Neque vero Parthiæ nomine tota Assyria, sed pars ejus duntaxat dicta fuit. Micyll. Celebris urbis locique nomen in Mesopotamia. Amnium enim mediam illam Syriam appellarunt inclusam Euphratis et Tigridis fluminibus. Camer. *Charras* Voss. 3. *Carrhas*. Ed. Rom.

106. *Parthica damna*. Quæ populo Romano fecerunt Parthi, quando occidentes Crassum tulerunt ab eo signa Romana. Romanos autem furores Pompeii et Cæsaris dicit. Schol. — *Solverunt*. Nihil est quod *moverunt* vel *foverunt* somnies. Supra Crassus erat *belli mora*; cujus mors belli gerendi liberam potestatem permisit. Infra, v. 120. Sic II, 145: « Tunc data libertas odiis, resolutaque legum Frenis ira ruit. » Ed.

107. *Acie*. Hoc prælio. Vid. Folard. t. I, p. lvj, *Traité de la Colonne*. *Actum est*. *Est* abest a cod. B.

108. *Arsacidæ*. Arsaces primus Parthorum regnum constituit, Macedonum præfectis inde pulsis, ut Justinus lib. XLI, tradit. Hinc et Parthi Arsacidæ dicti. Ed.

109. *Populique potentis*. Supra *li* et *tis* scriptum est *lum-tem* in cod. C. — B. habet *regnum ferro*.

110. *Totum possidet*. *Continet* pro var. L. Voss. pr.

Non cepit fortuna duos : nam pignora juncti
Sanguinis, et diro ferales omine tædas
Abstulit ad manes, Parcarum Julia sæva
Intercepta manu : quod si tibi fata dedissent
Majores in luce moras, tu sola furentem
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem;
Armatasque manus excusso jungere ferro;
Ut generos soceris mediæ junxere Sabinæ.

111. *Cepit.* Hoc est, felicitas et magnitudo Romani imperii, quæ tanta erat, duobus viris satis non fuit. Quare inquit Florus: « Sic de principatu laborant, tanquam duos tanti imperii fortuna non caperet ». Sic bene Sulpitius; quamvis alii aliter hæc exponant. Locus Flori est L. IV, c. 2, § 14, qui aperte ex nostro expressus est; vide ibi Freinshem. Totidem verbis hæc etiam narrat Minucius Felix, c. 18. « Ob pastorum et casæ regnum de geminis memoria notissima est. Generi et soceri bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit. » Idque jam notaverat Barthius Advers. L. XXVII, c. 13. Bentl. sine causa reponere tentat : « Mundique patentis Non cepit mensura duos. » Ed. — *Pignora juncti Sanguinis.* Hortensius et Bersmannus hæc exponunt per fœdus et jus affinitatis. Cui interpretationi favere videtur locus Vellei. Paterc. II, 47 : « Medium jam ex invidia potentiæ, male cohærentis inter Cn. Pompeium et C. Cæsarem concordiæ pignus, Julia, uxor Magni, decessit. » Sed Oudendorpius mavult intelligere partum ex Pompeio et Julia, quem enixa abortu mater secum ad manes abstulit : una enim cum matre paullo post periit filius : atque ita commentatores primi : millies *pignora* de filiis dici quis nescit? *Vincti*, H.

113. *Abstulit.* Quia sequitur *Quod si tibi*, mire laborant interpretes ut *abstulit* mutent. Vid. Disq. var. ad v. 113. Weber suadebat *abstrahis.*

114. *Si tibi.* In Voss. 4. inter hæc verba aliquid erasum est.

116. *Retinere.* M. *Revocare.*

118. *Soceris.* A. *Sociis.* — *Sabinæ.* Raptis Sabinis Tatius adversus Romanos bella commovit. Romani eas, quas rapuerunt, cum susceptis liberis in medium produxerunt, et sic pax reddita est. Schol. Scholia quoque veterrimi Cod. Voss. primi ab alia manu tradunt, has mulieres ex trecentis raptis fuisse triginta, quæ jam enixæ fuerant. Addit Servius, ab illis triginta curias nomina sua accepisse, ad Virgil. Æn. L. VIII, 638. Sed hoc si constaret, non potuit dubitare Livius Lib I, c. 13 : « ætate, an dignitatibus suis virorumve, an sorte lectæ sint, quæ nomina curiis darent. » Alii dixerunt, curias ab illis nomina accepisse, quæ hujus legationis munere functæ erant, teste Dion. Halicarn. Lib. II, p. m. 112, ubi idem observat, Varronem totam rem negare, eumque

Morte tua discussa fides, bellumque movere
Permissum est ducibus: stimulos dedit æmula virtus.
Tu, nova ne veteres obscurent acta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times: te jam series, ususque laborum
Erigit, impatiensque loci fortuna secundi:
Nec quemquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,

nomina derivare a ducibus vel regionibus: quod et facit Plutarch. in Romulo.

119. *Morte tua*. Annæus Florus multum hujus Annæi æmulator: « Crassi morte apud Parthos, et morte Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. » — *Discussa fides*. Hoc displicet, quum præcedat *excusso ferro*. Non male Bentl. *discissa*, et adducit notum illud Catonis ad Ciceronem: « Dissuendas magis esse amicitias, quam discindendas. » Ed.

120. *Permissum. Est*, primus intrusit Bersmanus. Rectius forsan eo carent reliquæ Edd. et 4 Codd. veterrimi, e quibus Voss. sec. Nec obstat, quod nunc *permissum est* legatur in Servio ad Virgil. Æn. Lib. VI, 831, qua fide enim illic a Maasvicio sic est editum, nescio. Tota certe hæc citatio Lucani in prioribus Edd. non reperitur.

121. *Acta*. Editi plerique ante Aldum, ut et Sulpit. Ascensius, Micyll. et Hortensius exhibent *facta* cum Cod. Witt. et sex vel septem aliis recentioribus et uno Anglicano, teste Wasse, Indice Sallust. V. *acta*. *fata* habent Venetæ et Brix. ac Mediol. Omnibonus tamen in notis citat *acta*, et recte intelligit res a Cæsare fortiter gestas. Sic Lib. VIII, 320. « Quas magis in terras nostrum felicibus actis Nomen abit. » Ovidius, Epist. Her. VIII, 43. « Ille licet patriis sine fine superbiat actis, Et tu, quæ referas acta parentis habes. » Lib. XI, Metam. 222. « . . . qui fortibus actis Acta patris vincat. » Quibus locis ex solemni harum vocum in MSS. commutatione ante Heinsium etiam *facta* legebatur, et passim.

122. *Piratica laurea*. Hinc Claudian. Eutrop. I, 502: « Piratica Magnum Erigit, illustrat servilis laurea Crassum. » Ed.

123. *Te jam series*. Feliciter conjicit Bentl. *hunc jam* sc. Cæsarem. Hæc constructio sæpe usurpatur. Cf. Claud. Proserp. 133: « *Tu* natus Amyclis, *Hunc* Helicon genuit. » Error nasci potuit ex compendiosa scriptura *he*: hanc conjecturam confirmat *jam*, quod otiosum sit, si de Pompeio agatur. Sed et si servetur *te*, intelligendum est de Cæsare, quamquam obstare videatur indoles sermonis latini, quum prius *tu* ad Pompeium referendum sit. Ed.

124. *Impatiensque loci fortuna secundi*. Sumpsit hinc illud Papinius: « . . . Jurisque secundi Ambitus impatiens. » Grot.

125. *Nec quemquam jam ferre*

Pompeiusve parem. Quis justius induit arma,
Scire nefas; magno se judice quisque tuetur:
Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.

potest, Cæsarve priorem, Pompeiusve parem. Sequitur Florus: « Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. » Æquior Pompeio Dion: Πομπήϊος μεν οὐδενὸς ἀνθρώπων δεύτερος, Καῖσαρ δὲ καὶ πρῶτος πάντων εἶναι ἐπεθύμει. GROT. Sallustius dixerat de Pompeio. « Nam particeps dominationis neque fuit quisquam: neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. » Plutarchus de hoc ipso Pompeio. οὐδὲ ἐβούλετο δοκεῖν ἀπιστεῖν, ἀλλ' ὑπεροράν μᾶλλον καὶ καταφρονεῖν. Alibi tamen is ipse Pompeio æquior, quum de Cæsare primum, deinde de Pompeio sic loquitur: ἀπελείπετο τῷ μεν ὑπὲρ τῷ γενέσθαι μέγιστον τὸν ὄντα καταλύειν, τῷ δὲ ἵνα μὴ πάθῃ τοῦτο προαναιρεῖν ὃν ἐδεδοίκει. Notandum vero Sallustium et Velleium fuisse Cæsarianos: credo et Lucanum, quum hæc scriberet: motavit enim inter scribendum, ut monuit Grotius. Nec tamen Pompeium ego culpa omni absolverim, non magis, quam M. Tullius, ubi libere ad amicos scribit, aut Cratippus, qui in Lesbo insula Pompeio de divina providentia ob casum Pharsalicum dubitanti, respondit interrogando, quem sponsorem haberent homines, Pompeium, si pro eo cecidisset alea belli, melius ea fuisse usurum? Et ille quidem cunctanter ut peripateticus. Absolutius et stoica firmitate Cato apud hunc ipsum Lucanum de Pompeio: « . . . nec, si fortuna favebit, Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi Non bene compertum est. » GROT. ex ed. tert. Hæc et quæ proxime de Cæsare sequuntur ex Velleio Paterculo desumpta esse notat Jac. Nicolaus Loensis Lib. IX. Epiphyll. Miscell. c. 20. quem vide, et Acidalium ad Velleium II, 33, 4. Ciceron. L. VIII, ad Attic. Ep. 9 et 11. Ita ad marginem libri sui BROUKHUSIUS.

126. *Quis justius*. H. *Justior*. Vid. Bentl. ad Horat. Carm. I, 11, 1, de locutione *scire nefas*. ED.

127. *Quisque*. Bentl. *uterque* contra Codd. van Jev. *tuentur* quod juvat Voss. 3. ubi τῇ *e* superscribitur *u* manu secunda, nempe *tuenetur*, unde sublata secunda *e*, fit *tuentur*. *Quisque* autem recte de duobus: Ovid. de Hero et Leandro, Heroid. XIX: « Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes. » ED.

128. *Victrix causa*. *Diis* Voss. pr. W. N. H. alii *Deis*. — *Placuit*. Cicero pro Ligario, c. 6: « melior ea causa judicanda est, quam etiam Dii adjuverunt. » Summis laudibus hæc effert *Chevreau, Œuvres Mél.* p. 380. Valde elevat *Bouhours Man. de Penser*, p. 5. Quidquid est, mihi Ciceronis effatum non paullo videtur sapientius. Philipp. XI, c. 13, extr. « In quo quid faciendum Dejotaro? quid omnino rectius fuerit dicere non est necesse: præsertim cum contra ac Dejotarus sensit, victoria belli judicarit: quo in bello si fuit error, communis ei fuit cum senatu: sin recta sententia, ne victa quidem causa vituperanda est. » *Catoni* hic est, quasi non inferiori ipsis Diis. Ita solebant stoici, atque etiam non stoici.

Nec coiere pares : alter vergentibus annis
In senium, longoque togæ tranquillior usu
Dedidicit jam pace ducem ; famæque petitor
Multa dare in vulgus ; totus popularibus auris
Impelli, plausuque sui gaudere theatri ;
Nec reparare novas vires ; multumque priori
Credere fortunæ : stat magni nominis umbra.
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi, sacrataque gestans

Cicero in L. Pison. c. 9. « Alia enim causa præstantissimi viri, Q. Metelli, fuit : quem ego civem, meo judicio, cum deorum immortalium laude conjungo. » Brouk. Meliorem causam attribuit noster Pompeio, ut passim, sic clarius Lib. VII, 349, X, 451. De hoc loco Vid. Observ. Lud. *Racine*, Tom. II, p. 87. ad Iphigeniæ vers. « Votre fille alarmée Voyait pour elle Achille, et contre elle l'armée : Mais, quoique seul pour elle, Achille furieux Epouvantait l'armée, et partageait les Dieux. » Ed.

129. *Coiere*. In B, *coire : e* manu sec. additum.

130. *Longoque*. B. 1. *Longeque*.

131. *Dedidicit*. Oblitus est se esse ducem propter longam pacem, ut in seqq. « longa dux pace solutus. » Schol. *Dediscit*, Voss. 1. — *Dedidicit ducem*. Rara locutio. Senec. Troad. v. 883. « Depone vultus squalidos, festos cape. Dedisce captam. » Ed. — *Petitor*. Favorem populi amans Pompeius impendebat munera plebi, ut magis laudaretur. Schol.

132. *Multa dare*. Voss. 1. *Dabat* — *Dare*. Est autem figura historica, ut sit infinitivus pro imperfecto positus, hoc est, *dare*, pro *dabat* : quemadmodum et paulo post : *Impelli*, pro *impellebatur*. Et infra : *Ferre manum*, pro *ferebat*. *Parcere*, *urgere*, etc. pro *parcebat*, *urgebat*.

133. *Plausuque sui*. Ipse enim theatrum Romæ fecerat, quod Pompeii dicebatur. Cf. not. 4 ad. Liv. XL, 51.

135. *Magni nominis umbra*. Umbra lego primo casu, ut in tragœdia Octaviæ, v. 71. « Magni resto nominis umbra. » De hoc versu et comparatione sequenti, vide Van Jever disserentem, Disq. var. ad v. 135.

136. *Frugifero*. Notandum a Lucano usurpari pro *fructifero* ; in quod verbum sæpe mutatum est. Vide Heinsium ad Eleg. de Nuce vs. 19. *Nos quoque frugiferæ*. Seneca Cons. ad Helviam, c. 9. *Frugiferarum arborum*. — *Quercus*. Pompeium *quercui* jam vetustæ, *agro* vero Romam comparat, *silvis* duces Romanorum vel diversas gentes, quæ Pompeio favebant ; Julium vero comparat *fulmini*. Schol. Pari ferme similitudine Cicero VI, ad Attic. Ep. 6. Adde illud : Pompeius eo robore vir, iis radicibus Q. Cassium sine sorte delegit, etc. Broukh.

137. *Veteres*. Forte melius : scilicet exuviarum populi defuncti ma-

Dona ducum; nec jam validis radicibus hærens,
Pondere fixa suo est; nudosque per aera ramos
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram:
At quamvis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum silvæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum
Nomen erat, nec fama ducis; sed nescia virtus
Stare loco; solusque pudor nou vincere bello.

jor veneratio. Stat. Theb. VI, 67: « Arma etiam exuvias veterum circumdat avorum. » Ed. *Veteris*, B. 1. Voss. 4, R. W. *populi veteres*, Voss. 1. Colbert. veterrimus, Bersmanni unus et regiorum alter.

138. *Radicibus hærens*. B. 1. Voss. 1. a m. 1. *Hæret*.

139. *Pondere*. H. pro. var. lect. *Fessa*. — *Fixa suo*. *Est* deest in edd. Sulp. Asc. Mic.

140. *Non frondibus*. Ed. Ven. *Frundibus* — *Efficit umbram*. B. 1. Voss. 1. *Umbras*.

141. *At quamvis*. MSS. duo. *Et quamvis*. In vulgatis *sed qu*. Bersm. Ita melius quam *Et*. Grot. *At* scribitur in Vos. sec. a m. pr. 5 MSS. *sed*. cum Edd. plurimis. Ed. Ven. aliæque *Et* cum 6 Codd. meis et 3 Palm. *Et* probat Bentl. quod certe cum præcedent. magis cohæret. Ed.

142. *Tot circum*. Voss. 1. *Firmo silvæ*. — *Tollant*. *Tollent* Codex unus male. Bersm.

143. *Sed non*. Sensus est. Non fama, aut nominis splendore tantum nitebatur Cæsar. *Tantum* ergo sumendum adverbialiter, ut etiam fecit Bersmannus. Nec admittenda illorum expositio, qui *tantum* capiunt adjective: ut dicat, tantam rerum gestarum gloriam et famam ducis non quidem esse Cæsari, quantam Pompeio; sed acriores spiritus, etc. *Stare loco* ex Virgilio Georg. III, 84: « Stare loco nescit. »

145. *Pudor non vincere bello*. Certe hic *bello* frigere videtur: nam etiam ignavos pudet vinci bello: ingeniosius autem quam verius exponebat Scholiastes: « I. erubesceret, si sine prælio, quod cupiebat, implesset: hoc est, vel deditione, vel fœdere. » Nec tamen erat cur eum tantopere reprehenderent: nam recurrit hæc sententia, infra XI, 440. Van Jev. distinguere vult: « solusque pudor non vincere: bello Acer »; quod fere probaverim. Bentleius refingebat: « solusque pudor non vincere lente » ubi solus *pudor* sit sola *cura*, sola cautio, studium. Quo sensu usurpatur in Senec. Hipp. v. 140: « Honesta primum est velle, nec labi via: Pudor secundus nosse peccandi modum. » Ut autem *lente* defendatur, adduci potest Noster, VII, 73: « Pompeium vincere lente Gentibus indignum est »; III, 51 de Cæsare: « Nec vincere tanti, Ut bellum differret, erat. » Hinc Silius, XIV, 127 de Marcello: « Instabat ductor, cui tarde vincere Graios Par erat ac vinci. »

Acer, et indomitus; quo spes, quoque ira vocasset,
Ferre manum; et nunquam temerando parcere ferro.
Successus urgere suos; instare favori
Numinis; impellens quidquid sibi summa petenti
Obstaret; gaudensque viam fecisse ruina.
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen,

146. *Quoque.* Quidam reponnut *quove.* — *Quoque ira.* M. *Vocaret.* — *Vocasset.* M. Sc. *Tulisset.* Bersm. Sic apud Ovidium Ep. XII, 209. « Quo feret ira, sequar. » Art. Am. II, 550. « Nec me quolibet ira ferat : » Nuster vs. 491. « Quo quemque fugæ tulit impetus. » Seneca Agam. 142. « Quocumque me ira, quo dolor, quo spes feret, Huc ire pergam. » Val. Flacc. IV, 46. « ... queriturque tumentibus undis Certa sequi quocumque ferant. » Sed vulgata lectio tamen non est sollicitanda : ut hic, ita apud Silium Italic. L. XII, 430. « Flectebat rabiem quo præda vel ira vocasset. » Et sic Ovidio fluctus *vocare* navem dicuntur, Rem. Am. 532. « Quoque vocant fluctus, hic tibi remus eat. » Adde Nostrum VII, 815. Virg. Georg. II, 51. Sen. Œdip. 296; jungit utramque vocem Sabinus Ep. I, 92. « Et quocumque vocat fluctus et aura, feror. » Priore hemistichio utitur etiam Juven. Sat. II, 77. « ... Acer et indomitus, libertatisque magister. »

147. *Ferre manum.* Legitur male apud quosdam *gradum* quod prætulit Van Jever. Vocabat enim spes vel ira Cæsarem. Ille sponte sequebatur. — *Temerando* in Ed. Med. et cod. Cantabr. editur *temerato*, quod Burm. et Van Jev. probant. — *Ferro.* Van Jev. *juri.* vid. Disq. ad h. v. ad calcem huj. Lib.

148. *Successus urgere suos.* Similiter Claudian. Stilich. v. 2 : « Successusque novos successibus urgent. » Non *augent*, ut monuit Heinsius. Ed. — *Urgere.* Alii *urguere*, Voss. sec. et Witt. uti in seqq. semper. recte. V. Drakenb. ad Silium Ital. L. VI, 265. Gifan. Ind. Lucret. Pier. ad Virgil. v. Æn. 502. Dausquej. in Orthogr. Cortium ad Sallust. Bell. Jug. c. 24 et alios. Vitiose in Marp. *vergere.*

149. *Impellens quidquid.* Hæc hausit auctor ex avunculi sui Lib. VI, de Benef. c. 31. « Divina atque humana impellentem, atque mutantem quidquid obstiterat ; » ut monuit jam Rutgersius, Lib. XI. Var. Lect. c. 13.

150. *Gaudensque viam fecisse ruina.* Senec. Herc. fur. 67 : « Nec in astra lenta veniet, ut Bacchus, via, Iter ruina quæret. »

151. *Qualiter expressum ventis per nubila fulmen.* Est in hac similitudine φυσιολογία fulminum. Nam in nubibus inclusos ignes fremere ac grassari perhibent, qui hæc μετέωρα exquirunt. Incitatum autem ignem, et impetu rumpentem nubes, quasi vibrari in terras, unde et hæc Jovis tela a Poetis vocantur. Translucens autem et veluti renidens in nubibus

Ætheris impulsi sonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua præstringens lumina flamma;

fulgetrum dicitur: sonitus vero *tonitru.* CAMERAR. Idem male putavit similitudioem esse ἄνευ ἀποδόσεως: præcedit euim iu « impellens... viam fecisse ruina ».—*Fulmen.* Tria sunt genera fulminis, sed minus afflatorium tantum; ut Virg. Æn. III. « Ex quo me divum pater, atque hominum rex Fulminis afflavit ventis. » Aliud, quod incendit. Tertium, quod transfigit. Item Virgil. Æn. I. *Transfixo pectore flammas.* SCHOL. De variis fulminum generibus late egit P. Burm in Dissert. de Jove Fulgerat. c. 4. Pro *expressum ventis fulmen*, dixit Silius, L. 1, 254, « *excussos ventorum flatibus ignes.* »

152. *Ætheris impulsi.* O. 1. A. *Impulsu.* — *Mundique fragore.* B. 1. *Pavore:* sed male; nam sequitur *paventes.* ED.

153. *Emicuit.* Bentleius deesse conjunctionem sentiens, refingebat *Ut micuit*, i. e. *quum primum micuit.* Conjunctionem Van Jev. inserit v. 152: « Impulsi ut sonitu, etc. Senec. Agam. 495: « Et nube dirum fulmen elisa micat. » Silius, XVII, 252: « Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare Fulmina. » Liv. XL, 58: « Cum ingenti fragore cæli, tonitribus et fulguribus præstringentibus aciem oculorum, sed fulmina etiam sic undique micabant, ut peti viderentur corpora. — *Rupitque diem.* Id est, perrupit, vel protulit lucem, cum hominum terrore, oculis offundens lumen, quod oblique constat intorqueri. CAM. Hic locus illustrari potest e Lucretio, L. VI, vs. 282. « Inde ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis Impetus incessit; maturum tum quasi fulmen Perscindit subito nubem, etc. » *Die*, Ed. Ven. caret hoc versu. Amsl.

154. *Terruit* Putant quidam hic a Lucano ita describi naturam fulminis, ut ea cum Cæsaris indole, et gestis quadret: Quare dicit, fulmen tantum populos terrere, et simul eorum oculos leviter præstringere suo lumine, sed furere in sua templa, et ibi stragem late dare. Quod fecit Cæsar, qui terrore afflavit quidem multas gentes, et levi damno belli affecit; sed præcipue illam fulmine suo percussit urbem, in quam destinaverat iram suam, Romam scilicet. Et prope ad Nostri mentem Seneca, Lib. I, de Clem. cap. 8. « Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent. » Quia vero simplicem populis fuisse terrorem a Cæsare dicere non poterat, addit optime, *obliqua præstringens lumina flamma:* quod minime debet mutari in *culmina plaga.* Esset enim plane contra Lucani mentem, nec quidquam variant Codd. *Obliquam flammam* dat fulmini, quia oblique cadit: hinc Seneca Cons. ad Marc. c. 18. « Miraberis obliqua fulmina et cæli fragorem. » Tragicus in Thyeste 358. « Quem non concutiet cadens Obliqui via fulminis. » V. etiam N. Heins. ad Ovid. Ep. VI, 89; hinc Noster vs. 527: « Cæloque volantes Obliquas per inane faces. » —

In sua templa furit, nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.

Præstringens. Sic A. *Præstinguens* V. h. e. obtenebrans: in Editis plerisque est *perstringens*. Msc. *præstingens*. Lucretius, III, 1058: « Et omnes Præstinxit stellas exortus uti ætherius Sol. » BERS. *Præstinguens* edidit quoque Grot. 8 Codd. *perstringens*, unus *præstingens*. Sed duo veterrimi Voss. ut et quart. cum Ed. Veneta *præstringens*. Quod unice verum est. Passim autem hæc vox in *perstringere*, *præstingere*, *præstinguere* est depravata. Vide Dempster. ad Rosinum, p. 767, aliosque, et præcipue Drakenburg. ad Silium, Lib. I, 358: *præstringit lumina crine*. Ad Vellej. Lib. II, c. 118; « Omnemque animi ejus aciem præstrinxerat », male quoque Acidalius vult *præstinxerat*. In Lucretii loco supra citato meliores Edd. *præstrinxit*. Eadem varietas apud Ciceronem de Senect. c. 12. « Mentis præstringit oculos » : recte apud Senec. Consol. ad Polyb. c. 31. « Fulgor ejus oculos præstringet » : item de Benef. L. VII, c. 9, unde patet ita etiam scribendum esse in Consol. ad Helviam, c. 8: « Stellas quasdam subito erumpentes, quasdam igne suo præstringentes aciem, etc. » Vulgo *perstring*. Vegetius de Re Mil. L. I, c. 9. « Adversarii perstringit oculos ». Sed Leid. Cod. quem contuli, et MSS. quibus usus est Scriverius, ut viderat Oudend. in ineditis ejus commentariis, exhibent *præstringens*. In Lutatii etiam Scholiis hæc verba citantis vulgo legitur *perstringens* ad Statii Theb. V, 666. « Ac juvenem multo perstringunt lumine. » Verum notant viri docti illic quoque in MSS. inveniri *præstringunt*. Eadem variatio in MSS. Senecæ Agam. vs. 534. Quod hic *præstringere oculos* dicit, effert, Lib. VII, 154, hoc modo: « Inque oculos hominum fregerunt fulmina nubes. »

155. ***In sua templa furit.*** Camer. interpretatur, cæli convexa. Hæc enim *templa cæli*, esse putat. Vid. Varr. L. VI, de Ling. Lat. BERSM. Dubitant alii, an templa Jovis, an aerem intelligat. Scholiastes vero exponit *in aerem, inter nubes; ita Cæsar in suam urbem furit.* Quod confirmari videtur ex Lucret. VI, 286: « Displosa repente Opprimere ut cæli videantur templa superne. » De *templis cæli* vide not. ad Lucret. L. I, 321, 1065: *in cæli templa volare.* Clarum id quoque ex illis, quæ sequuntur: Si enim intelligeret ædificia manu structa, non potuit dicere *nullaque exire vetante Materia Dat stragem late.* Debuisset *multaque*: magis enim in terra sævit fulmen, ubi occurrit materiæ, quæ illi resistere et vetare conatur, quo minus exeat. Igitur Oudendorp. intelligit de aere, ubi nulla ipsum impedit materia, quo minus decidat, et exiens et revertens stragem late det. Similem loquendi modum adhibet, Lib. IX, 321: « Densis fremuit niger imbribus Auster In sua regna furens. » Hæc autem deridet Van Jev. et rogat si nihil exire vetat, quomodo stragem dare potest fulmen? affirmat ergo recte fulmen esse telum irati Jovis, templa sua, sive Capitolium sæpe *rubente dextra jaculantis*, ut Horat. Carm. I,

Hæ ducibus causæ : suberant sed publica belli
Semina, quæ populos semper mersere potentes.
Namque ut opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, et rebus mores cessere secundis,
Prædaque et hostiles luxum suasere rapinæ;
Non auro, tectisve modus; mensasque priores

2, 3. Sic infr. v. 535 : « Tacitum sine nubibus ullis Fulmen... Percussit latiale caput. » Alii *dura* pro *nulla* legere volunt, sed nihil muto, et intelligo: nulla materia valente fulmen prohibere quin exeat. Ed. Præterea autem cave, lector, ne *terruit* mutes in *terret et*, quia aliter videtur deficere copulativa conjunctio. Passim ita sine copula solet noster. Vid. vs. 141, L. IV, 458; VII, 373; VIII, 665, IX, 25, 56, et sæpissime.

156. *Magnamque.* Bentleium offendebat geminatio copulæ, et reposuit *magnam vadens* : male. *Cadere* enim de fulmine proprium. Propert. II, 13, 52 : « Nec sic de nihilo fulminis ira cadit. » Nec est quod *veniens* pro *que cadens* reponamus. Plinius quidem H. N. II, 55 : « Nec tam adventus fulminum spectator, quam reditus. » Sed nulla adjuvat scriptura, nec geminatio copulæ omitti eleganter potest, denique satis plena est oppositio. Ed. — *Revertens.* Redire dicitur fulmen, unde descenderat, ignem quoque resumens; quia dum iterum nubes coeunt, quæ prius fulmine disruptæ erant, quasi fulmen redire videtur. Schol.

158. *Hæ ducibus causæ.* Post expositas causas aliquot singulares hujus belli, nempe dissidii inter duces, et quæ adjunxit, nunc generalem quamdam omnium malorum causam recenset, quæ est, quasi materiæ præparatæ ad illos tam vehementes motus, et quæ non solum idonea esset ad mutationem, sed hanc etiam arcesseret atque expeteret. Hæc est una omnibus temporibus, et ubique, morum corruptio, et dissolutio disciplinæ. Cam. *Suberant causæ* margo Bersm. *causæ : suberant sed.* ita distinguit Voss. pr.

159. *Semper mersere.* A. *Misere.*

161. *Intulit, et rebus mores.* M. *Mores rebus.*

162. *Prædaque.* Hic versus deest in Ed. Rom. et Parm. — *Luxum suasere.* A. *Suadere.*

163. *Auro tectisve.* Quidam hæc exponunt per ἓν διὰ δυοῖν pro *auratis tectis.* Sed rectius alii capiunt *auro* de auro facto, sive vasis aureis. Hor. Carm. IV, II : « Ridet argento domus », et Cicero in Catilin. II. In Digestis sæpe fit mentio de *auro, argento legato.* Clare infra, Lib. X, 18, 156. Orvisius conj. *Non hortis tectisve m.* Nemo nescit, quantopere Romani hoc tempore insaniverint in exstruendis villis et hortis. Vitium esset natum ex scribendi more. *Ortus* enim, non *hortus*, exaratur in membranis vetustissimis. *Tectisque*, V. 1. a m. 1. O. 1. M. Ed. Br. aliæque. Vid. infra II, 374. — *Mensas.* Phil. Beroaldus Syll. II, p. 215. T. I. Thes. Crit. putat a Lucano hic designari *mensas citreas*, de quibus Lucanus agit Lib. IX : non vero loqui eum de cibis.

Aspernata fames; cultus gestare decoros
Vix nuribus, rapuere mares; fecunda virorum
Paupertas fugitur; totoque arcessitur orbe,
Quo gens quæque perit. Tunc longos jungere fines

Qua in re me dissentientem habet; quo enim aliter pertineat verba *aspernata fames*, nisi ad cibos. Jam vero *mensa* pro cibis in mensa passim. Unde *prima* et *secunda mensa*, apud Ciceron. Nepot. et alios. Adumbratio hujus loci totius vid. apud Sil. XIII, 352 : « Egeritur præda et victus alimenta superbi, Queisque bonis periere, virum de corpore vestes Femineæ, mensæque alia tellure petitæ. » Ed.

164. *Gestare decoros.* Alii intelligunt decoros gestari; malim *rapuere gestare*, i. e. ad gestandum.

165. *Nuribus.* Bene *nuribus, quia istæ ambitiores vestes habent.* Notantur scilicet hac voce juvenes feminæ. Ovid. II, Metam. 366. « ... nuribus mittit gestanda Latinis. » Et sæpe. V. Servium de hoc loco ad Æn. II, 501. Seneca, Nat. Quæst. « muliebres munditias antecessimus : colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus.» Quin nuribus pretiosiores vestes dantur pro ætate. — *Fecunda virorum Paupertas.* Id est, ferax seu fertilis in hoc genere producendi viros fortes. Encomium paupertatis etiam extat in Pluto Aristoph. Camerar. Palladæ (est versiculus Brunck. Analect. T. II, p. 430: Μισοῦνται πενίην μητέρα σωφροσύνης) quem Grotius apponit, sed hunc huic loco alienum pronuntiat Web. sine causa. Non enim hic fecunda virorum dicitur paupertas, quod pauper populus numerosam sobolem creet, quod etsi verum non nunc respexit noster. Sed eo sensu quo Senec. Epist. LXXXVII : « Effecturi, ut populus Romanus paupertatem, fundamentum et causam imperii sui, requirat ac laudet? divitias autem suas timeat. » *Virorum* hunc sensum confirmat, qui illustrari maxime potest ex Horat. Carm. III, 6, 29 : « Rusticorum mascula militum Proles. » Ed.

166. *Arcessitur.* Sic MSS. duo et aliquot Editi. quod malum pronuntiat Bersm. quia hoc esset, abigitur. Melius ergo illi videtur *accersitur*, h. e. advocatur, importatis luxuriæ instrumentis. Bersm. Ubique vero jam viri docti monuerunt ex vocis analogia et Mstorum auctoritate semper scribendum esse *arcessere* pro advocare, non *accersere*. Quare hic nihil amplius addam, nisi quod hoc loco *arcessitur*, ut jam restituimus, legatur in omnibus Edd. Sulpitio prioribus. MSS. hic et in seqq. variant. C. habet *arcessitur* : in margine *acquiritur* signo quodam notatum.

167. *Quo gens quæque perit.* Divitiæ, quæ sunt fomenta cupiditatum non necessariarum. *Irritamenta malorum* opes Ovidius appellat. Phocyl. autem χρυσὸν βιοφθόρον. Et in Scholio Timocreon execratur τὸν πλοῦτον, et addit διὰ σὲ γὰρ παντ' ἐν ἀνθρώποις κακά. Eædem indicantur ferme causæ malorum a Sallustio Catilin. cap. 10, 11, seq. *Arcessitur*, id est, convocatur; nempe malum divitiarum ex toto orbe contrahitur, quo malo singulæ gentes ad interitum trahuntur, et significat aurum.» Conf. *Montesquieu, Esp. des lois* L. VII, ch.

Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli
Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.

4. — *Tunc*. Sic habent MSS. tria. in Editis est *tum longos*. *Cum* Ed. Ven. Br. Med. *tum* 2 ex nostris. OUDEND. — *Longos*. Quia infra recurrit *longa rura*, Weber reponit *latos* jungere fines. Et adducite Senec. de Ira, I, c. 16: « Sub singulis villicis latiores habent fundos, quam quos consules sortiebantur. » Inde *latifundia* dicta. Plin. VII, 7: « Verum confitentibus, latifundia perdidere Italiam. » — *Jungere fines*. B. 1. *Funes*. Male.

168. *Et quondam*. Ed. Rom. *Condam*. — *Duro*. Non est quod mutes in *duri*. *Durus* de vomere usitatus: Virg. Georg. III, 515: « Ecce .... duro sub vomere taurus. » ED. — *Duro sulcata*. B. margo. *Calcata*.

169. *Et antiquos*. H. *Antiquas*. — *Curiorum passa ligones*. Et virtute, et rebus gestis, et parcimonia in victu et cultu celeberrimi Furius Camillus et Manius Curius, quorum alter a Gallis patriam recepit, alter Samnites et Sabinos devicit. CAMERAR. *Curionum* Msc. tria quod et in sex suis vidit Oudend., et sic in Ed. Parm. Ald. et Hortens. *Curionum* vitiose.

170 *Longa sub ignotis extendere rura colonis*. Non jam paucis, ut septem, jugeribus contenti, sed extendentes eo usque agrorum terminos, ut ad ignotos sibi colonos pertingerent. Vel vere immensas cupiditates notans, hoc poeta dixit, vel ὑπερβολικῶς infamans. CAM. Sulpitius exponit *ignotos .... colonos*. « Dilatabant, *inquit*, usque ad distantes, et ignotos agricolas eos agellos, in quibus Camillus araverat, et Curius foderat, qui illis contenti fuerant, censentes perniciosum esse, cui septem jugera non satis essent. Badius: « Extendebant, *inquit*, sub colonis ignotis, quia barbaris dederant colendos, recipientes ab eis fructum, aut usque ad ignotos colonos. » Quibus verbis posterioribus, declinat ad Sulpitii expositionem. Quæ si vera esset, haud dubie poeta *sub ignotos colonos* in accusandi casu et ipse dixisset, latinitate et carmine salvis. Itaque Badii prior expositio est verbis poetæ aptior, Sulpitii autem sensui, quem poeta prioribus subjicere destinabat, magis accomoda. *Longos jungere fines*, agros agris, villas villis jungebant, ut vicinum non paterentur, ut vicinos colonos cogerent sua prædia ipsis opportuna divendere. Porro autem *longa rura* Camilli et Curii extendere, dixit, pro eo quod est, modica illa et tenuia septena jugera, quibus erant contenti, *longe* extendebant, ut nomen positum sit pro adverbio. Per Curios et Camillos intelligit, continentes, et frugales omnes veteres Romanos, duorum illorum similes. Crescentibus opibus ac luxu, totam fere Italiam suæ ditionis fecerant locupletes illi Crassi et Luculli. HORT. Frustra se torquere Hortensium putat Jever. Pro *longa* Cortius *laxa*, Burmannus *lata*. Van Jever putat *longa* e glossa in textum irrepsisse, quum in codice fuerit *sq.* et *usque* hic latere putat, i. e. longe, continuo, semper, jugiter, diu, et reponit *usque sibi ignotis*. Nempe

Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,
Quem sua libertas immotis pasceret armis.
Inde iræ faciles; et, quod suasisset egestas,
Vile nefas; magnumque decus, ferroque petendum,
Plus patria potuisse sua; mensuraque juris
Vis erat: hinc leges, et plebis scita coactæ;

novis agris coemptis, usque sua rura extendebant Romani, colonis sibi ignotis, sive quorum ne decima quidem pars dominum suum noverat, ut ait Petronius in Satir. cap. 39. De hac in novis agris coemendis licentia vid. Juvenal. Sat. XIV, 140. Ed. Per *ignotos colonos* intelligit ergastularios servos, alienigenas plerumque et a longinquo cælo, ut optime Lipsius Lib. II. Elect. c. 15. Quod vidit etiam quodam modo Scholiastes dicens, « præ multitudine colonorum ait ignotis colonis, vel ignotis et captivitate abductis. » Oudend.

172. *Armis.* Male Hortensius edidit *arvis*, explicuitque *neglectis agris.* Dicit Lucan. populum Romanum non potuisse libertate sua tranquillo cum otio et in pace frui sine armorum cupiditate. Hoc probo, etsi Bentleius reducere tentet *arvis.* Sed nihil ad rem facit quod supra v. 29 sit: « desuntque manus poscentibus agris. » Nec felicius adducit lib. IV, 12: « deserto agrorum cultu. » Melius vidit Van Jever, populum Romanum, quamdiu in libertate et sui juris erat, sine bello vivere potuisse. Ovid. Met. IV, 263, de Clytie: « Perque novem luces, expers undæque cibique, Rore mero lacrymisque suis jejunia pavit, » i. e. jejuna vixit rore et lacrymis. Ed.

173. *Egestas.* Illis videbatur vile nefas, si debuissent expectare, donec egestas cogeret, sed ante capiebant. Et hinc est illud, quod suadere deberet egestas, et non avaritia; id est, furtum, quod sæpe paupertate cogente admittitur: unde dixit *Vile*, quod non creditur periculosum, quia a vilibus committitur. Alii intelligunt: ea peccata, quæ a tenuioribus atque egenis designarentur, futilia et nihili esse censebant, et despiciebant; aggrediebantur autem memorabilia et ingentia, et quorum essent pretia grandia. Sed rectius Beroaldus; Ad evitandam pauperiem nullum scelus recensassent; sic *malesuada fames;* ita Horatius: *pauperies jubet quodvis facere et pati.* Dicit ergo Lucanus illis non habitum fuisse scelus, vel saltem vile neque puniendum, quod admittebant ex egestate vel inopia.

175. *Mensuraque juris.* Ut Sallustius in historia: « Et relatus inconditæ olim vitæ mos, ut omne jus in viribus esset. » Schol.

176. *Plebis scita.* Malit Web. separatim, nec *coactæ* ad *leges* referre. Quam sententiam confirmat Senec. Ep. XCV: « Ex senatus consultis plebisque scitis. » Liv. V, 367: « Scita plebis injuncta patribus. » Val. Max. IX, 7: « Sed quis ferat militem scita plebis exitio legati corrigentem. » Ed. Leges autem proprie erant, quæ a coss. et senatu ferebantur. Plebiscita, quæ a tribunis. Micyll. Duabus vocibus

Et cum consulibus turbantes jura tribuni :
Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris
Ipse sui populus; letalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina campo :
Hinc usura vorax, avidumque in tempora fœnus,

hæc exhibent Voss. et Reg. primi veterrimi *plebis scita*. Voss. sec. *plebi scita*. *Plebis scita* proponebat legi posse Salmasius, Exerc. Plin. pag. 892, et ab ea lectione non alienus fuisse videtur J. G. Vossius de Constr. c. 4, ut *coactæ* referatur, non ad *leges* et *scita*, sed ad *plebis*. Verum, præterquam quod Priscianus, l. XVII, c. 1100, vulgatum retineat et explicet, multiique exemplis hoc loquendi genus comprobaverint ipsi illi viri docti, aliique (vide ad J. Obsequent. c. 79: « Cælum ac terra ardere visum. ») Ipse Lucanus nos docere potest, se *coactæ* non junxisse τῷ *plebis*, sed cum *leges* et *scita*. Ita enim, vs. 277 : « bello leges silere coactæ. » *Plebis scita* distinctis vocibus scribere per me licet ; modo *coactæ* non ad *plebis*, sed ad *leges* et *scita* referas. *Coacta* edd. quædam, quod fere malim.

177. *Et cum*. B. 1. *Hinc cum*. — *Turbantes jura tribuni*. Usitata sunt turbare leges, turbare jura, turbare comitia, fora, conciones. Sic Titus Liv. VII, 6 : « Ne deinde turbato gentium jure comitia haberentur. » Sed quia, v. 175, est *juris*, Bentl. emendat *turbantes rostra*, ut IV, 799, de Curione tribuno pl. « Quid nunc rostra tibi prosunt turbata forumque ? » Totum versum ut spurium delere mavult Van Jever, ut a poetastro intrusum, qui quum hic legum et plebiscitorum mentionem fieri videret, consules et tribunos necessario requiri putavit. Et quærit Van Jever, an ex luxu et cupidine bellandi consules et tribuni jura et rostra turbantes orti fuerint. Mihi autem videtur versus Lucano vindicandus. Alludit ad Gracchorum cædem, et ad seditiones nunc a consulibus, nunc a tribunis factas. Ed.

178. *Pretio fasces*. Alii *fasces pretio* ; quam lectionem sequendam putat Weber, quo plenior et grandior incedat versus. Ed. — *Sectorque favoris*. Unde qui proscriptorum bona vendunt vel emunt, *sectores* appellantur. Populus auctionator ac venditor proprii favoris erat, quod tunc suffragia populi per ambitum et largitiones a potentibus redimebantur. Micyll.

179. *Ambitus urbi*. H. *Urbis*.

181. *Usura*. Sulpitius differentiam inter fœnus et usuram hanc dicit esse. Usura est, inquit iste, primum illud lucrum, ex pecunia credita : fœnus autem, si statuto die non reddatur, duplum aut quadruplum solvas; estque usura usuræ. Hæc ille : miror autem plane, sitne differentia hæc vera, tum quo auctore hæc illa scripserit. Calepinus hunc citat locum, in dictione *fœnus* : sed nulla commemorata differentia. Certe poeta ipse utrumque nomen in malam excipit partem, utcumque de eo distinguant juris periti. Glarean. — *In tempora fœnus*. Sic Voss. pr. sec. quart.

Et concussa fides, et multis utile bellum.
Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes;
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Ceperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,

et quint. a m. 1. Item unus Pulm. Multo rectius, quam volgatum *tempore*. Bene explicant scholia : Quo diutius fœnus manet, eo magis homines fœnori pecuniam habentes, exedontur « quia de die in diem augetur usura.» Sic Senec. Troad. 485 : « Io luctus suos rex non avarus ». Noster, V, 621 : « lassatum in secula fulmen.» Ovid. Art. am. I, 445 : « Spes tenet in tempus. Avidum fœnus, » dixit quoque Arnobius, Lib. II, p. 72. Hæc se non intelligere profitetur Van Jever, et reponit *auctumque in fœnora fœnus*. Scilicet de anatocismo hoc intelligit : sed hic non locum habet, et mutatio audacior videtor. Ed.

182. *Et multis utile bellum*. Intellige multos, quos obæratos inopiæ et luxuriæ vis urgebat, quibus plane civili bello opus esset; quod ipse Cæsar dicebat apud Suetonium, cap. 27. Male Heinsius conjic. *et inultis utile bellum*. Unde nullus aptus sensus elicitur. Acutius Burmann. *et nudis utile bellum*, id est, iis qui patrimonio vel dignitate sunt spoliati.

183. *Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes*. Hæc est poetica ac merito celeberrima προσωποποιΐα, qua dubitationem Cæsaris Rubiconem trajicientis expressit, sublevans factum Cæsaris, ut significet, ipsum hoc Cæsarem studuisse perficere, ut justa ad arma et necessitate ad bellum adactus videretur, quod demonstrare ipse in Commentariis ubique conatur.—*Cursu*. Cursum non nisi ἐμφατικῶς de Alpibus potuit dicere. Sic Virgilius de Hercule : « Acrii cursu petit ardua montis.» *Gelidas* usurpatum de montibus. Schol. Sequenti versui geminus plane locus est Ovidii, Lib. I, Metam. 166 : « Ingentes animo et dignas Jove concipit iras. » *Cursu Cæsar*. Margo Bersm.

184. *Ingentesque animo motus*. Quia sequitur mox : Ingens visa, etc. Weber tentat *surgentes*, id est, orientes, incipientes. Non feliciter. Motus enim animorum surgere hic dici non possunt. Ideo nihil facit VI, 322 : « Hesperiam potuit, motu surgente, tenere. » Ed.

185. *Ceperat*. Sunt tamen qui tradant bellum civile multo ipsum antea concepisse, ex quo quæstor in Hispania, visa ad Gades Magni Alexandri imagine, ingemuerat, quod ipse ea jam ætate, qua Alexander orbem terrarum subegisset, memorabile nihil egisset; et quum nocte proxima visus esset per quietem matri stuprum intulisse, conjectores arbitrium terrarum orbis sibi portendi responderant : quando mater sibi subjecta, nihil aliud esset quam parens omnium terra. Sulpit. Hoc somnium Plutarchus visum esse Cæsari dicit, proxima nocte, antequam Rubiconem transiret. Micyll.—*Rubiconis*. Rubico fluvius est limes Galliæ et Italiæ, sed Galliæ togatæ. Fluvius a lapidibus rubris dictus. Scholiast. V. Briosii Epist. p. 135. *Ad undas*. V. 1, *Undam*.

Ingens visa duci patriæ trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu mæstissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui : « Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa, viri? Si jure venitis,
Si cives, hucusque licet. » Tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comæ, gressumque coercens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait : « O magnæ qui mœnia prospicis urbis
Tarpeia de rupe Tonans, Phrygiique penates

186. *Ingens visa duci.* Æn. III, 150 : « Penates... visi ante oculos adstare jacentis In somnis, multo manifesti lumine. » Ubi vides quid *clara* apud Nostrum velit. Nihil est quod tentetur *ingens*. Vitiosa quidem repetitio *ingentes*, v. 184, et *ingens*, v. 186. Sed Lucano soli imputanda. Notissimum est imagines et in visis et somniis obversantes forma majori apparere fictas. Frustra igitur Heins. conjicit *lugens*, quod et contra ordinem est, et non constat cum sequentibus *vultu mæstissima*. Ed.

187. *Mæstissima.* VV. *Et mæst.*

188. *Canos.* Male Schol. exponit propter nobilitatem, ut Virg. *Cana fides.* Melius Serv. ad Virg. Æn. VIII, 33, explicat dictum *ad reverentiam*.

190. *Ultra.* Male edidit Hortensius *inquit*. Quod unde habeat, nescio : nam inutile post, *loqui*. Ed.

192. *Hucusque.* Præterea ne transiret Cæsar, cautum erat per senatusconsultum, columnæ inscriptum ad amnem Rubiconem ; « IMPERATOR, MILES, TIROVE ARMATE, QVISQVIS ES, HIC SISTITO, VEXILLVM SINITO, ARMA DEPONITO, NEC CITRA HVNC AMNEM RVBICONEM, SIGNA, ARMA EXERCITVMVE TRADVCITO, etc. » *Tunc.* Mss. 7, *Tum.* — *Perculit.* Ed. Ven. *Protulit.* H. *Pertulit.*

193. *Membra ducis.* Celeberrimus Burmannus mavult hic scribere *duci*, et Lib. VII, 318, « cædere quisquam Hosti terga velit, » non *hostis*. De hac autem constructione late ipsum disputantem consule ad Ovidium Lib. VI, Metam. 659 : « caput Philomela cruentum Misit in ora patri. » — *Gressumque.* V. 1. *Gressusque.*

194. *Languor.* MSS. 5 et Edd. VV. *Langor.* Male quidam Codd. *posuit.* *Tenuit* vestigia, i. e. continuit, pressit, nec ultra progressus est. Similis usus verbi *tenere* infr. v. 235 : et sic intelligo *tenere vestigia*, II, 248: « Inconcussa tenens dubio vestigia mundo. » Ed.

196. *Tarpeia de rupe Tonans.* Περίφρασις Jovis Capitolini. Similiter Cæsar apud Petr. de Bell. civ. v. 156: « Juppiter omnipotens, et te, Saturnia Tellus... Testor ad has acies invitum arcessere Martem, Invitas me ferre manus. » — *Phrygiique penates.* Ἀπεχδοχὴ Virgiliana; Æneid. III,

Gentis Iuleæ, et rapti secreta Quirini,
Et residens celsa latialis Juppiter Alba,
Vestalesque foci, summique o numinis instar,
Roma, fave cœptis : non te furialibus armis
Persequor : en! adsum victor terraque, marique
Cæsar, ubique tuus, liceat modo, nunc quoque miles.

148: «Effigies sacræ divum Phrygiique penates.» Apollinem et Neptunum quidam volunt.

197. *Iuleæ.* Quia Juliorum genus ab Ænea descendit, et Venere : « Julius a magno demissum nomen Iulo.» De Iulea gente Vid. Turneb. lib. X, cap. 7, p. 309, cujus observationes vide. Ed.— *Secreta rapti Quirini.* Romulum dicit qui raptus ad cælum in tempestate Deus factus est. Bene *Secreta* dixit, quia subito nusquam comparuit, neque hujus absentiæ ulla ratio probanda potuit referri. Vide Solini præfationem, in Collectaneis. — *Quirini.* Quirinum dicit Romulum, vel quod hasta utebatur, quæ Sabinorum lingua dicitur Curis; vel quod græce κοίρανος rex; Romani a Quirino Quirites appellati. Quotiescumque Romulus aliquid volebat meditari, in Capitolio se includebat. Hic autem quum extra urbem senatum haberet et exercitum recenseret ad Capreæ paludem, subita tempestate concioni ablatus fuit. Liv. I, 16; ibi perobscuram famam refert, quæ regem manibus Patrum discerptum fuisse arguebat. Quod factum quum ad aures populi pervenisset, Julius Proculus, qui ab Iulo originem traxit, juravit a se visum Romulum, et præcipientem sibi ne populus tumultuaretur, quum a morte (al. Marte) esset in cælum raptus. Inde est institutum ut, quoties imperator decesserit, unus senatorum in cælum raptum eum fateatur.

198. *Et residens celso latialis Juppiter Alba.* Latialis Jupiter, cui feriæ latinæ in monte Albano ab Ascanio institutæ. Cic. pro Milone, c. 31 : « Et tu, de monte tuo edito, latialis sancte Jupiter.» In hoc Ciceronis loco, Gruterus aliique ediderunt *latiori*, alii *latiaris*. Hic etiam a prima manu in Witt. Cod. et in veterrimo Codice Colbertino videtur fuisse *latiaris*. Sæpius scilicet hæc commutantur. Sic in Sidonio Apoll. Lib. IV, Ep. 3, Sirmondus edidit *latialiter*; Carm. XXIII, 235 vero *latioriter*. *Latiale caput* vs. 535, sed et illic Cod. Colbert. *latiare*. Hic Bentl. conjecit *latiari* : quia Plinio Jupiter est *Latiarius*.

199. *Summique o numinis instar, Roma.* Pro numine colebatur Roma. Hoc imitatus est Martialis, VII, 11 : « Perque tuas aures, magni mihi numinis instar », et Silius, XIII, 623 : « O magni mihi numinis instar, Cara parens.» E MSS. 8039. *Summique*. Edd. Br. Med. *Summi quoque*. *o* deest in A. et Ed. Ven. B. 1. *summi qui n.*

201. *Persequor.* M. *Prosequor.*

202. *Miles. Sulpitius* exponit : Miles, hoc est, si liceat, ex imperatore miles evadam, quasi non etiam militare Imperator dicatur. Badius intelligit *modo liceat*, per Pompeium:

Ille erit ille nocens, qui me tibi fecerit hostem. »
Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
Signa tulit propere. Sic quum squalentibus arvis
Æstiferæ Libyes viso leo comminus hoste,
Subsedit dubius, totam dum colligit iram;
Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,
Erexitque jubam, et vasto grave murmur hiatu

quum recte, per te, o Roma, exponi debeat. Depooeret enim potestatem, si illi triumphare liceret. Nec arma sumpsisse se testatur, nisi ut Romam ab imperio Pompeii eximat: ergo bene; *tuus nunc quoque miles*. Ed.

203. *Qui me tibi fecerit hostem.* Nihil est quod corrigas *qui te mihi*, ut vult Van Jever; decreto enim Cæsar hostis patriæ judicatus erat, ad quod respicit: sed *ille* repetito affectu in Pompeium cadit. Ed.

205. *Signa tulit.* Grotius edidit *movet;* at nihil monuit, quare id fecerit. Habent autem ita R. Steph. variantes LL. at omnes Vossiani, Regii, aliique cum Edd. *tulit*, quod majorem rei peractæ celeritatem notat. Utraque locutio frequens est apud Nostrum: vs. 191: « Quo *fertis* mea signa, viri »; vs. 395: *motis signis;* 422: *Signa movet.* Vide tamen Serv. ad Virg. Æn. XII, 6.

205. *Sic quum squalentibus arvis Æstiferæ Libyes viso leo, etc.* MSS. multi, cum Romana ac Veneta, *Sicut.* Exprimere voluit similitudinem Homericam: Ὦρτο λέων ὡς σίντης, etc. Vide Disquis. ad calcem hujus libri.

206. *Æstiferæ.* Quidam *Pestiferæ.* Nihil mutandum. *Æstiferæ* legit quoque Valer. Probus c. 1446, Ed. Potsch. Frequenter etiam hoc epithetou et naturaliter adhæsit huic regioni. Vide Drakenborg. ad Silium Ital. I, 194: « Æstifero Libye torretur subdita cancro »; ubi eadem est varietas, inf. lib. IX, « Ardens Africa. » Rutil. I, 60, « Flammigeris Libye tardavit arenis. » Claudian. de Cons. Stilic. III, 333: « Libyæ flagrantibus oris. »

208. *Mox ubi se sævæ.* Plinius Hist. VIII, 19: « In principio iræ, terra verberatur cauda; incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur. » Bentl. tamen in hac pulcherrima descriptione vocabulum *sævæ* reprehendit, nec caudam sævam dici posse affirmat, nisi de scorpio vel ejusmodi alio. Proprio sensu facile concesserim; sed sæva dicitur cauda leonis, qui, crescente ira, in se quasi stimulo sævit. Cur autem Bentl. præferat epitheton *longæ*, Homericum nempe (οὐρῇσι μακρῇσι), plane non video. Ed.

209. *Erexitque jubam, etc.* Ita ex duobus manuscr. Bersm.: in aliis erat, « Erexitque jobas, vasto et grave. » Virg. Æn., XII, 4: « Pœnorum qualis in arvis Saucius ille... leo, etc. » Edd. Ven. Br. Med. Ascens. Sulpit. et Mycilli, habentque octo ex nostris et 3 Pulm. Vitiose Ed. Rom. « E. jobas et v. grave m. h. » Voss. et Ill. Boherii Cod. habent: « Erexitque jobas, et vasto murmur hiatu. » Exhibetur in Voss. quart., cui tamen vox *grave*

Infremuit, tum torta levis si lancea Mauri
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.
  Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, quum fervida canduit æstas,
Perque imas serpit valles, et Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.

erat suprascripta, et in Marp. « E. jubam et vasto murmur hiatn, » neglecta forsan bene ellipsi, de qua infra dicemns.

210. *Levis*. Epitheton est Maurorum, qui leviter armati, veloces et celeres habentur. *Tum*. Voss. pr. Reg pr. H. *tunc*. Ed. Rom. Parm. *dum*, et Ald. *Torta*. H. *Tota*.

211. *Subeant venabula*. Si tela venatoria pectus penetrent. Martial. VIII 55, de Leone: « Grandia quam decuit latnm venabnla pectns. » *Hæreat*. M. *hæserit*.

212. *Securus vulneris exit*. Imitati sunt nostrum et Senecam Agam. 637, « Secura metus Troïa pubes »; Valerius Flacc. Lib. III, 479, « tautæ molis securus »; Lib. III, 329; IV, 201, « It tanti secura metus »; Statius Lib. VII, Theb. 268, « tantique maris secura juventus »; Silius X, 300, « securus cædis. » Tamen non eodem sensu *securus vulneris* dicitur: hic enim est negligens vulneris, nou curans plagam, quam accepit. Per ipsum enim venabulum, quo transfigitur, in venatorem ruit. *Exire per ferrum* Lucanus habet a Seneca L. III de Ira, c. 3: « Gaudent feriri, et instare ferro, et tela corpore urgere, et per suum vulnus exire », quod notavit etiam Drakenb. ad Silium L. X, 2: « Ceu fera, quæ telis circumcingentibus ultro Assilit in ferrum, et per vulnera colligit hostem. » Adducitque hunc locum Servius ad expositionem Virgil. L. XII Æn. 6; « Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros, fixumque latronis Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento. »

213. *Parvisque impellitur undis*. *Parvi Rubiconis* dixit v. 185. Vide Disquisitiones ad h. v. ad calcem hujus libri. *Parvisque*. A. *Parvis*.

214. *Puniceus*. MSC. *Pumiceus*. Bersm. *Pumiceus* etiam unus Voss. sed male. Alludit ad ἔτυμον *Rubicon*; quod a rubro ductum videtur colore, quem amnis contrahit a terra illius regionis. Id clarissime patet ex frequenti Lucani consuetudine in propriis describendis nominibus. Sic Lib. III, 281; « Hinc fortis Areus », si vera est lectio. Lib. VI, 370; « Nec teuues ventos suspirat Auauros. » Ib. vs. 674: « Non puppim retinens, . . . In mediis Echeneis aquis. » Sæpius Lib. IX; sic vs. 726: « In vacua regnat Basiliscus arena. » Adde S. Bochart. Phaleg. VI c. 33, Lib. I, Chan. c. 34. Cæterum pro *Rubicon* monet Cl. Drakenburg. legi *Rubico* ad Silium L. VIII, 453, ubi vide, quos super hac re laudat; sic *Laco* in 2 Voss. Cod. *Agamemno* apud Quinc-

Tunc vires præbebat hiems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.

tilianum, Inst. Or. Lib. III, c. 11 et passim.

216. *Limes.* Naturalis scilicet et vetus. Nam postea Cisalpina Gallia Italiæ adnexa est. Vibius Sequester: « Rubicon Galliæ juxta Ariminum olim dividens Galliam ab Italia », et passim auctores.

217. *Tunc.* Alii *tum.* BERSM. *Tunc* ediderunt jam Veneti et Taberius in Ed. Br. et Med. *Tunc,* mense januario. — *Auxerat.* Sic legendum, non *hauserat*, quod esset, ad se traxerat. Causas enim explicat, cur Rubico solito esset aquosior, longos imbres, et nives Alpinas. GROT. Recte vulgatam lectionem recepit Grotius, quam confirmant Codd. Contra pro *hauserunt* vitiose in quibusdam Codd. est *auxerunt* Lib. III, 577, et alibi. Male autem post *undas* distinguit Glareanus, existimans sequentes duos versus tantum esse descriptionem hyemis, et veras Alpes intelligi. Sed falsum est, Alpes hieme liquescere: quod non fit, nisi exacto vere; immo, ut multi tradunt, sub Canis ortu. Sub generali nomine *Alpium* intelligit *Alpes Apenninas*, sive Apenninum, qui ita continuus est Alpibus, ut sit quasi unus et perpetuus mons. Tolerabiliore utitur ἀκυρολογίᾳ, quam qua alii *Pyrenæos* montes vocarunt *Alpes* (Vide ad Obseq. c. 103.) Adeat lector Cluverium in Italia, et Geographos qui de Alpibus, Pado Fl. et Apennino scripserunt.

218. *Tertia jam gravido pluvialis.* Χρονογραφία, et descriptio trajectionis. Et confirmatæ audaciæ, ac consilii destinati de occupanda urbe indicatio. *Gravido cornu*, hoc est, pleno aquis. Valer. Flacc. II, 56: « Puraque nec gravido surgebat Cynthia cornu. » Tertia luna quæ sit quærunt interpretes. Sulpitius tertiam Cynthiam, pro tertio die ab interlunio exponit, quod, ut ipse ait, eo die majores plerumque imbres esse solent. Omnibonus tertiam Cynthiam, de tertio mense dictam accipit, quasi poeta tribus jam mensibus pluviam jugem fuisse significet. Sed melius intelligendum jam tribus diebus continuis pluisse; ut tertia non de ordine tantum, sed et de numero accipiatur. Cum Sulpitio faciunt Bersmann. et Hortensius, qui ita putat hunc locum accipiendum, tertia cum luna pluere incepisse, et aliquot diebus durasse, donec aquarum incremento Cæsar superveniret. Errant certe illi, qui tres menses durasse pluviam putant; nam mense Februario, ut constat ex Appiano et ipsius Cæsaris Commentariis, non serius trajecit flumen; ergo in tribus prioribus mensibus media hieme pluisse et Eurus spirasse debuit: quod non credibile. Immo ex Petronio, Sat. c. 123, patet tunc modo cœpisse terram et flumina dissolvi, ac nives liquefieri. Simplex Lucani sensus est, tres noctes *jam*, quæ particula hic bene notanda, pluisse, et Eurum madidis flatibus spirasse, unde Apenninus resolutus est, et nives cum multa pluvia auxisse Rubiconem. *Gravido cornu pluvialis Cynthia* est nihil aliud nisi luna aquis plenam

Primus in obliquum sonipes opponitur amnem
Excepturus aquas, molli dum cætera rumpit
Turba vado faciles fracti jam fluminis undas.
Cæsar, ut adversam superato gurgite ripam
Attigit, Hesperiæ vetitis et constitit arvis,
«Hic, ait, hic pacem, temerataque jura relinquo;
Te, Fortuna, sequor: procul hinc jam fœdera sunto.
Credidimus fatis; utendum est judice bello.»

se osteudens et gravidam. Sic *graves imbre Nuti* barba et alæ, Ovidio, lib. I, Metam. 266, IV, 728. *Tertia* ergo *Cynthia* est tertia nox: ut passim loquuntur auctores. Sic apud Virg. *Cynthia quarta.* Plinius quidem et rei rusticæ scriptores luna tertia, quarta, septima, etc. de singulis noctibus dicunt. Ed. — *Pluvialis.* B. 1. *pluviali.*

220. *Primus in obliquum sonipes.* Equites primo ingressi sunt amnem, ut fluminis impetum sisterent, quo tutius transirent pedites. Ed. — *Obliсum*, V. I.

221. *Molli dum*, vulgo *tum*. B. I, R. sec. *Tunc*. M. *Dum*.

222. Mss. 7900, *Turba vado faciles jam fracti.* Recte Scholiastes exponit *fracti*, id est, *illisi in equos.* Eo pacto enim vis fluminis erat fracta. De qua significatione vide Burmann. ad Petron. Sat. c. 123, *fracto gurgite Pontus.* Infr. 371: « Fregit et Arctoo spumantem vertice Rhenum. » Sen. Herc. Œt. 506: « Frangebat ipsas fluminis tumidi minas. » Adde Drakenburg. ad Silium III, 437: « Nunc validis gurges certatim frangitur ulnis. » Certe in his *molli vado* et *faciles undas* tautologia videtur inesse, cui ut medeatur ingeniose Bentl. reponit: « Jam fracti fluminis iras. » Jam *iras faciles* Noster, sed alio sensu, I, 173, et Horat. *facili sævitia* habet carm. II, 12. Ed.

224. *Hesperiæ.* B. 1. *Hesperies.*

225. *Hic, ait.* H. Ed. Ven. *Sic.* — *Hic pacem.* B. 1. *Hic pacem linquo temerataque jura.*

226. *Te, Fortuna, sequor.* Videtur huc loco poeta alludere ad dictum illud, quo Cæsar usus dicitur, quum Rubiconem trajecisset. Suet. c. 32, Eamus, inquiens, quo deorum ostenta, et inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea esto. Hoc ultimum verbum idem significat, ac illud, quod poeta planius dixit: *Te, Fortuna, sequor.* Micyll. Cæsar omnes suas victorias fortunæ deputabat, id est, felicitati suæ: unde milites contra eum in furorem versi, quia nil ipsis tribuebat, quodam die eum occidere voluerunt; sed ille moratus paullisper, quousque iram suam ipsi temperarent, postea egressus est nudus sine armis, dicens: Ecce ego præsto sum, me interficite. Tunc ipsi omnes pavore percussi arma sua ad terram demiserunt, et auctores seditionis ei occidendos tradiderunt. E MSS. 8039.

227. *Credidimus fatis.* Heins. « Credimus en fatis » Van Jever versum expungendum pronuntiat. Insulsa enim repetitio post: « Te, for-

Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger; it torto Balearis verbere fundæ

tnua, sequor»; et vitandum illnd insnave κακόφωνον in *fatis* et *fatus*. Hæc vera, sed ipsi Lneano, ut sentio, snnt impntanda. Nil est tamen quod offendat *Credidimus*, qnnm præcedant *relinquo, sequor*. Sic Horatius, Carmin. III, 5: Cælo tonantem *credidimus*, etc. Si lectio *Credimus en fatis* probatur, subintelligendnm est *nos*, nt apud Ciceronem, Tosc. V, 20 legitur: «Credebat eorum nemini,» et ita Noster, IX, 1009: «Dnbiis veritus se credere regnis.» Ut antem Heinsiana conjectnra probetnr, mnltum facit v. 134 supra: «Moltnmque priori Credere fortunæ», et v. 540: «Mnlta qnidem prohibent noetnrno credere Ponto.» VII, 705: «Longo fatorum crede favori.» Valer. Flacc. I, 332: «Nec de te credam nostris ingrata serenis.» Bersm. volnit *Cedimus en*, nt passim *tempori, fortunæ cedere*, de quibns vide Græv. ad Cicer. Catil. I, 9. Infr. VIII, 573: «Sed cedit fatis.» Qunm ergo frustra omnia tentasset Cæsar, pacis obtioendæ causa, se jam licet invitum et ab adversariis coactnm, fatis et necessitati parere profitetnr. *Judice ferro* ex MSS. profert Cortius, alii *Vindice*. Ed. — *Bello judice*. MS. *vindice*: atqne ita legit Omnibonus, quia hoc bellum iojurias nlcisceretur. Sed perperam: *judex bellum* est, qnia illnd discerneret, qnis justius induerit arma. Sic Petronius c. 122 in hac ipsa re: «Judice Fortuna cadat alea, sumite bellum.» Valer. Max. L. III, c. 7, § 6: *Marte judice*; ubi alii *Indice*; *famam judicem* dixit Seneca Cons. ad Marc. c. 4; *contum judicem* Joseph. Iscan. L. I, 170. Plnra, si cupias, vide in notis ad Silinm Ital. Lib. II, 456: «Quas, belli jndex, pœnas mihi curia pendes.» Non dissimilis Cæsaris verbis est responsio Alexandri apud Cnrtium Lib. IV, c. 11: «Præmia esse belli. Hoc regente ntriusqne terminos regni, id quemque habiturum, quod proximæ lneis adsignatura fortnna est.» Et verbo *regente* elegantissime Curtins allusit ad jus Romanum de finibns regnndis. De hoc versu, an spurius sit, disputantem adi Weber. in Var. Disquisition.

228. *Noctis tenebris*. B. 1. *Tenebris noctis*.

229. *Impiger; it*. Sic MSS. dno: alii *Impiger, et*. *Currere* de sagittis Statius Lib. V Theb. 37, et *ire* XI Theb. 38: «...qno plus eat hasta lacerto.» — *Balearis*. Baleares, insnlæ in mari Hispanico, aliis duæ Afrosiades, et *Gemnasidæ* s. *Gymnesiæ*, major et minor: unde et vulgus eas Majoricam et Minoricam nuncupant. In his primum insnlis inventa est funda, qna lapides emittuntnr. Unde quidam volnnt nomen illis factnm esse *Baleares*. Βάλλειν enim Græce *emittere* dicitur, unde et *balista*, quasi missa et *fundibulum*. Virgilins: «Balearis verbera fundæ.» In his nsus fundæ adeo celebratus, ut matres parvos filios alias aves esse non sinerent, nisi quas funda adepti fuissent. Florus, Lib. III, c. 8: «Cibum puer a matre non accipit, nisi quod ipsa monstrante percusserit.» Alias Gymnasiæ quoque eædem vocantnr. Steph. Byz. Γυμνησίαι, δύο νῆσοι περὶ τὴν Τυρσηνίδα, οὐχ' ὥς τινες μία. Ἐκλήθη δὲ τὸ

Ocior, et missa Parthi post terga sagitta:
Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto.
Jamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur : seu sponte deum, seu turbidus Auster

ἔθνος ὅτι τῷ θέρει γυμνοὶ μένουσιν. Vid. autem quæ notavi ad Avieo. descript. orbis terræ, v. 628; Poet. lat. min. tom. V, p. 220. Ed. Constanter autem Codd. omnes hic et Lib. III, 710, scribunt *Balearis*, non *Baliaris*, ut viri doctissimi quidam exarandam semper hanc vocem putant. Vide ad Sil. Lib. III, 365 : « Funda bella serens Baliaris et alite plumbo. »

230. *Post terga.* Parthi, dum se fugere simulant, sagittas ab inguine ductas a tergo mittunt. *Missa Parthi.* M. *Parthi missa.* De velocitate comparata sagittæ, Balearicæ glandi et aliis vid. ad Gratii Cyneg. v. 204; Homerus, Odyss. VII, 36 : ὠκεῖαι, ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα. De Cæsaris celeritate Cicer. ad Attie. VIII, 9 : « Hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est. » Ed.

231. *Ariminum.* Umbriæ urbem in Flaminia via. — *Ut ignes*, olim *et*. Grot. reponebat *ut*, quo rectius cohæreret sententia. Primo diluculo captum Ariminum, cætera gesta orto jam die. Appianus : Ἀρίμινόν τε αἱρεῖ περὶ ἕω. Deinde conjecit « invadit Ariminon : ignes Solis, etc. » Nam sic et II, 466, pro *Auximum* Græca terminatione *Auximon* posuit, quia versus aliter eam vocem non recipiebat. Interjecerunt copulam, quibus inusitata hæc desinentia displicebat. Oud. Stephani, Pulm. et Bersm. Codd. retinent *et*. Quod sequitur Oudend. paullo majorem distinctionem ponens cum aliis post *Ariminum*. Sed etiamsi retineatur *et*, posset idem permanere sensus; nam et hæc vocula potest ipsum temporis punctum denotare, quo Ariminum intravit. Quasi dicat, « invadit Ariminum, quum ecce crepusculum fiebat. » Sic Lib. VI, 246 : « Simul hæc effatur; et altus Cæsareas pulvis testator adesse cohortes. » Non dissimilis est locus Cæsaris, Lib. I. Belli Gallici, 37 : « Hæc eodem tempore Cæsari mandata referebantur : et legati ab Æduis veniebant ». Apud Græcos vero hoc sensu voculam καὶ usurpari docet Elsnerus Obs. Sacr. ad Lucam, p. 218. Neque elisio durior est illa, quam adhibet Virgil. L. III, Æn. 109, *Ilium, et arces.* — *Ignes.* Msc. *Ignem.* Bersm. *Ignem* etiam exhibet Ed. Romana; non male hoc loco : facit enim sensum paullo clariorem. Utrumque, ut et alii poetæ, usurpavit noster, L. VII, 228 : « Phœbi surgentis ab igne »; at lib. II, 415 : « Pares Phœbeis ignibus undas. »

232. *Lucifero ... relicto.* Eleganter dictum *relinqui* Luciferum ab astris; hic enim, diffugientibus stellis, agmina earum cogit, et, ut ait Ovid. Met. II, 114 : « Cæli statione novissimus exit ». Male omnino pro *fugiebant* Rottend. 2 *fulgebant*.

233. *Primos belli.* Reg. pr. *Belli primos.*

234. *Seu sponte deum.* Sive hoc signum belli Deis ipsis edentibus; seu forte commotis nubibus. *Turbidus.* S. Germ. a man. sec. *Turgidus*,

Impulerat, mæstam tenuerunt nubila lucem.
Constitit ut capto jussus deponere miles
Signa foro, stridor lituum clangorque tubarum
Non pia concinuit cum rauco classica cornu.
Rupta quies populi, stratisque excita juventus
Deripiunt sacris adfixa penatibus arma,
Quæ pax longa dabat : nuda jam crate fluentes

sed infra recte v. 498, *turbidus Auster* occurrit.

235. *Impulerat.* Alii *Impulerit.*

236. *Capto foro*, id est, postquam milites forum invaserunt, et ibi consistentes jussu Cæsaris signa deposuerunt.

237. *Stridor.* Bene distinguit tubæ et litui sonitum; nam sonitus litui acutus est, tubæ vero gravis. *Stridor lituum.* R. 1. A. *Lituum stridor.*

238. *Non pia.* Versus hic suspectus fuit Gujeto. *Non pia* offendebat Heinsium malentem *obvia* vel *concita*. Recte autem *non pia*, quia contra patriam bellum movebatur. Sic *impias pugnas* vocat bella civilia Flor. II, 19. — *Classica.* Est autem Enallage numeri, quum alias *classicum canere*, singulari numero, usitate dicatur. *Concinuit.* B. 1. *Concinunt.*

239. *Populi.* Mse. duo *populi*, in aliis est *populis*. BERSM. *Populis* Voss. duo recentiores et Marp. cum Aldo, Col. Steph. Gryph. Pulm. V. ad vs. 193. Sed de solis Ariminensibus agitur, et *s* adhæsit ex voce sequente. Servius autem ad Virg. Æn. I, 225, docet : Quum populos numero plurali dicimus, urbes (scilicet plures) significamus. Quum vero populum, unius multitudinem civitatis intelligimus. ED. — *Stratisque.* B. 1. *Stratis excita.* V. 1. *Exscita.*

240. *Deripiunt.* Plerique cum plurimis Edit. *diripuit.* Voss. pr. *deripuit.* Scribendum scilicet *Deripiunt*, ut hic in margine correxerat Broukhusius, et N. Heinsius ad Ovid. L. III Metam. 52 : « Tegimen derepta leoni Pellis erat. » Ubi docet sæpissime in hac præpositione peccatum esse. Adde G. Cuper. Observ. L. IV, c. 5, et quos laudat doctiss. Drakenburg. ad Sil. Italic. L. X, 318, 600 : «....Ite, ocius, arma Deripite, o pubes, templis, » ubi itidem vides pluralem cum *pubes* conjungi, ut hic *deripiunt*, quæ constructio et pueris nota est. Burm. tamen in similibus locis singularem præfert. *Deripiunt* et *deripit* pro *dir.* quod erat in vulgatis, recte edidit quoque J. F. Gronov. in Statii Theb. III, 412, 567. Imitatus videtur Horat. qui Carm. III, 5, *adfixa* et *derepta* in unum conjunxit : « Signa ego Punicis Adfisa delubris, et arma Militibus sine cæde, dixit, Derepta vidi. » — *Adfixa.* Ut Virg. *Armaque fixit Troia.* Et ut ostendat hoc fieri in pace, addidit : « Nunc placida compostus pace quiescit. » In templis enim suspendi solebant arma ab iis, qui vel vicissent, vel bello atque armis perfuncti essent. R. pr. *Defixa.*

241. *Nuda.* Corio vetustate con-

Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila,
Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.
Ut notæ fulsere aquilæ, Romanaque signa,
Et celsus medio conspectus in agmine Cæsar,
Diriguere metu; gelidos pavor adligat artus,

sumpto.—*Crate.* Contextura viminea, aut lignea. Virg. Æn. VII, 633: «...Flectuntque salignas Umbonum crates.» Solitos veteres pro clypeis, cratibus viminibusque salignis inter se contextis uti, Theocritus testatur, apud quem in Gratiis ita legitur: Ἤδη βαςάζουσι Συρακόσιοι μέσα δοῦρα, Ἀχθόμενοι σακέσσι βραχίονος ἰτείνουσι. Et Thucydides, ναύτας ἐξώπλισεν, inquiens, ἀσπίσι φαύλαις καὶ οἰσυίναις ταῖς πολλαῖς. Vid. N. Heins. ad Val. Flacc. III, 199. — *Fluentes.* Vos. sec. Reg. pr. Witt. *fluentis.* Quod semel monitum oportuit. Optimi enim Codd. passim per *is* exhibent in Lucano, non tamen constanter, accusat. pluralem nominum in genit. plur. habentium *ium. Fluentes.* Quum tabe aliqua absumuntur, et corium obductum ligno, sive crate, putrescit. Ea enim vis verbi *fluere* : II, 166 : « Quum jam tabe fluunt; » III, 507 : « Et crudæ putri fluxerunt pulvere cantes. »

244. *Ut notæ fulsere aquilæ,* poetice dictum accipias. Unam enim modo secum habebat legionem, adeoque unam aquilam. Vide Lipsium, lib. IV, de Mil. Rom. Dial. 5.

245. *Et celsus.* Hunc v. ignorabat Hamb. 3. sed male. Versus optimus est, licet salvo sensu abesse possit; quod effecit ut librarius errorem suum non sentiret. *Ut* pro *et* in Voss. 1 displicet, anaphora enim huic loco non apta est. *Celsus*, quid significet de homine, vide apud Liv. XXX, 32 : « Celsus hæc corpore, vultuque ita læto, ut vicisse jam crederes, dicebat.» Silius, IX, 234 : « Celsus media ipse coercet Agmina ». Cæterum et multis locis probatur ducibus medium locum in agmine concessum fuisse. Vide Barth. ad Grat. Cyneg. v. 297. Ed.

246. *Diriguere.* Oudend. reponit *Deriguere.* Heyn. ad Virg. Æn. III, 259: « At sociis subita gelidus formidine sanguis Deriguit.» Et L. VII, 446 : « At juveni oranti subitus tremor occupat artus; Deriguere oculi.» Sed infr. II, 78 : « in ictu Diriguit. » Mss. tamen quinque *deriguit.* In III, 613: « Dirigultque tenens strictis immortua nervis ». — *Gelidos pavor adligat artus.* Quidam libri et codices habent *gelidus pavor occupat artus* : sed plerique *gelidos*, quod retineo cum Bipont. Pauciores retinent *occupat*, ut apud Virgil. Georg. IV, 190 : « ...... fessosque sopor suus occupat artus.» Sed et Noster, lib. IV, 290 : « ..... Tum frigidus artus Adligat, atque animum subducto robore torpor.» Seneca, de Tranq. animi, c. 3: « Adligati metu torpebimus.» Sidon. Apoll. Car. V, 520 : « ......torpor inerti Membra rigore ligat.» Plura exempla adduxerunt laudati viri, et passim *contrahere*, *adstringere* membra dicitur metus, et cum frigore comparatur. Pro *gelidos* MS. 7900 exhibet *gelidus*. Sed Seneca quem Noster libentius imitatur, Œdip. 181 : « piger ignavos Adligat artus languor ; » et

Et tacito mutos volvunt sub pectore questus :
«O male vicinis hæc mœnia condita Gallis!
O tristi damnata loco! pax alta per omnes,
Et tranquilla quies populos; nos præda furentum,
Primaque castra sumus. Melius, Fortuna, dedisses
Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub Arcto,
Errantesque domos, Latii quam claustra tueri.

Herc. Fur. 1079 : « Sopor indomitos adligat artus. » Defendi tamen *gelidus* potest : Sic *gelida formido* Ov. Met. II, 200. *Gelidus horror* Ep. XVI, 67. *Gelidus tremor* Virgil. XI, Æn. 120. Senec. Hercul. Fur. 414, et alii sexcenties.

247. *Tacito mutos.* Sulpitius et Omnibonus καθ' ὑπαλλαγὴν dictum putant. Micyll. malit : « Et tacitos muto volvunt sub pectore questus », ut *tacitos questus* intelligas occultos : et *mutum pectus*, de silentibus, et vocem prementibus accipias. MS. *tacito multos.* BERSM. Bene Bersmannus, et nostri fere omnes habent *tacito mutos;* probat quoque ex suis membranis Modius Ep. 80. Novant. LL. Deinde pro *sub pectore*, MS. 7900 habet *in*. Sed Virgil. Æn. I, 40 : « Sub pectore ficta quieto Verba refert. » Stat. Theb. X, 411. Ovid. Met. XI, 225, et alibi. Nihil autem est cur substituatur *mœstos* pro *mutos*, nam hæc quoque conjunxit Seneca, Herc. Fur. 301 : « Tibi mota fide Longas Eleusin tacita jactabit faces.» Et 536 : «Et mutis tacitum litoribus mare. » ED.

248. *Condita mœnia.* Galli quidem intestina discordia et assiduis dissensionibus finibus suis remoti, sedes novas quærentes, Italiam profecti sunt, ibique Tuscis expulsis, Mediolanum, Ariminum atque alias urbes condiderunt; unde poeta : *O male vicinis.*

249. *Pax alta.* B. 1. *missa.*

251. *Melius, Fortuna, dedisses.* Bentl. conjicit *natura*, quia recurrit *fortuna* quinto abhinc versu. Sed Fortuna vere sedes distribuit. Virg. Æn. VIII, 533 : « Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem, Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum, His posuere locis. » *Natura* et *Fortuna* non raro a librariis permutantur; sed nullus hic variat codex. *Natura* tamen corrigebat Cod. Regius. prior. ED.

252. *Gelidaque sub Arcto.* Pro, *vel sub gelida Arcto.* Est autem peculiare huic poetæ, ut in commatibus ac membris disjunctive ponendis, copulativis conjunctionibus utatur. Sic at : *Errantesque domos*, pro *Errantesve* dixit. *Sedem.* Hamb. sec. *sedes.*

253. *Errantesque domos.* Tres habent *domus.* Errantes domos Numidas dicit, ut ait Sallustius, Bell. Jugurth. c. 21 : « quia sæpe tentantes alia et alia loca petierunt, semet Numidas, id est, vagantes appellaverunt.» SCHOL. *Errantes domos* dixit, pro vagas et incertas sedes, quales sunt vel Scytharum, quos ab eo Hamaxobitas vocant, quia pro sedibus plaustra habent, ut inquit Pompo-

Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
Vidimus, et martem Libyes, cursumque furoris

nius : vel Numidarum, quos eadem de causa Nomadas Græci dicunt, a pascuis videlicet, quæ illi sectantur. De quibus et Virg. Georg. III, 343, meminit : « Omnia secum, *inquiens*, Armentarius Afer agit, tectumque, laremque, Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram. » MIC. — *Latii claustra*, id est, fauces et limites Italiæ.

254. *Senonum motus.* Hi ulturi injuriam Fabii legati, qui contra jus gentium Gallorum ducem hasta trajecerat, exercitum a Clusio ad Urbem moverunt, Romanisque ad Alliam profligatis, Capitolium septem menses obsiderunt. Anno U. C. 365. — *Cimbrum.* De Cimbris Florus, lib. III, Livius, lib. LXVIII, meminerunt. Vicerunt, et castris exuerunt, primo quidem Syllanum, mox Manlium, tertio Cæpionem : ultimo tandem a Mario devicti, ex bello Jugurthino redeunte. Cæterum dubitari potest, quare hic divisim posuerit poeta, *Cimbrumque ruentem* et *furores Teutonicos*, quum tamen unum idemque bellum fuerit, quo Cimbri, Teutones et Tigurini Italiam invasere. Sciendum est ergo, quod poeta ad eventum belli, et prælia, quibus quæque gens victa fuit, respexit. Quanquam enim simul Italiam aggressi fuissent, diversis tamen pugnis, diversisque locis iidem populi superati fuere, Teutones ad Aquas Sextias, sub ipsis Alpium radicibus, Cimbri autem in Venetia, campo quem Caudium (Rhaudium) appellavere, Tigurinis in diversa fuga dilapsis. MICYLL. — *Ruentem.* Veterrimi pleri que Codd. et ipse, quem recognovimus, MS. 7900, habent *furentem.* Negligenter, nam præcessit *furentum*, et sequitur *furoris.* *Ruere* de bellatoribus passim Noster et alii. V, 308. Ovid. Met. XIII, 83: *Quaque ruit.* Fast. XI, 752 : *Ense ruit* ; ubi etiam in nonnullis *furit*, ut Statius, lib. IX, Theb. 303 : « Et nunc ense furit. » Liv. lib. III, c. 3 : « Ad urbem infesto agmine ruere ; » et sæpe. Sed Vossianus tertius, veterrimus item Codex, qui incipit cum verbis *O male vicinis*, et optimæ notæ, scribit *sonantem* : puto *tonantem* : quas voces crebro mutatas esse monuerunt viri docti, et latius videbimus ad vs. 578, et lib. V, 633. *Tonare* autem sæpe dicuntur bellatores. Vide N. Heinsium et Drakenburg. ad Silium Ital. lib. XI, 525, ut et Heins. ad Claudian. consul. Olybr. et Prob. vs. 208, et IV, Consul. Honor. 320 : « Si bella tonant, prius agmina duris Exerce studiis. » Neque offendere debet, quod *tonantem* non videtur convenire τῷ *vidimus.* Ita enim Cicero quoque pro Archia, c. 8 : « Vidi hunc dicere ». Sil. Ital. L. VI, 179 : « Aspicimus resonare solum. » Nec male apud Horatium, Carm. I, 14, 4 : « Vides, ut nudum remigio latus, Et malus celeri saucius Africo, Antennæque gemant. » Nec forte viderunt Ariminenses impetum barbarorum, qui per Alpes in Italiam irrumpere consueverunt ; sed audiverant in vicinia : nam per exaggerationem *videre* dicitur de omnibus, quæ quocumque sensu percipiuntur. Vide ad Ovid. Amor. II, 19.

255. *Martem Libyes.* Bellum Punicum : ex Libya venit Hannibal aper-

Teutonici. Quoties Romam fortuna lacessit,
Hac iter est bellis. » Gemitu sic quisque latenti,
Non ausus timuisse palam; vox nulla dolori
Credita : sed quantum, volucres quum bruma coercet,
Rura silent, mediusque jacet sine murmure pontus;
Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras :

ta via per Alpes. — Nun placet Burmanno *cursumque*, qnod melius de Hannibale dictum fuisset : nam diuturnitatem quamdam et per latas regiones bellum sparsum notat. Ideo corrigit *Martem Libyæ, incursumque*, etc. Incursiunes Gallorum dixit Florus I, 13; Val. Flaccus III, 110 : « Sic agmine cæco Incurrit strictis manus ensibus. » *Incursum belli* Noster dixit IV, 409 et VI, 268 : « incursum gemini Martis. » *Vidimus* autem potest æque de Hannibale, ac Hasdrubale ejus fratre intelligi, ex VII libru de secundu bello Punico apud Livium. Bentleius pntat *martem* non convenire cum *Cimbrum ruentem*, et *Teutonici furoris* : ideo conjicit *rabiem*. Florus II, 18 : « In ultimam rabiem furoremque cunversi. » Æneid. VIII, 327 : « Et belli rabies et amor successit habendi. » *Rabies Lybicæ*, ut II, 535 : « Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes. »

256. *Lacessit*. Sic scripti et editi constanter, et Priscian. L. XVII, c. 1055. Malit Oudend. *lacessis*, ut pergant Arimini cives alloqni Fortunam. Dixerat enim vs. 251 : « Melius, Fortuna, dedisses. »

257. *Bellis*. Alii *belli* non bene. Ed.

258. *Timuisse palam*. Id est, timoris indicia prodere. Iu Hamb. 1, erat *tenuisse*. Hæc variari solent. Burm. velit *mutisse*, ut in illo nuto Phædri IV, 25 : « Palam mutire plebeiu piaculum est » ; sed retineu vulgatam. — *Vox nulla dolori Credita*, id est, commissa ; indignabantur tacite.

260. *Jacet sine murmure*. Ita primus reponi curavit R. Stephauus. Multi Codd. *tacet*, quod exemplis confirmat Oudendorpius, sed tameu hic *jacet* præfert, cum utroque Cod. Regiu, uno Vossiano; nam silentium satis indicat per τὰ *sine murmure*, et qnietem notat verbo *jacet*. Præterea amat illud verbum Lucanus. Sic Lib. III, 524 : « Servatum bello jacuit mare » ; v. 434 ; Æquora lenta jacent alto turpore ligata ». Hic autem Van Jever reponit : « Mœstusque jacet sine murmure pontus », ut loquatur auctor de bruma, quæ gelu cunstringit mare, quud tum iners et mæstum *jacet sine* fluctu et murmure. Et adducit Lucanum, L. V, 436 : « Sic stat iners Scythicas adstringens Bosphorus nndas... Sæva quies pelagi, mœstuque ignava profundo Stagua jacentis aquæ, veluti deserta regente Æquora natura cessant ». *Medius* autem defendi potest : nam centies apud Nostrum occurrit *medium mare, æquor*; et in hac comparatione intelligere potuit nautas in medio æquore tempestate deprehensos, cui successit tranquillitas. Quare nihil mutandum puto. Ed.

261. *Noctis*. B. 1. *Populis*. — *Solverat*, id est, fugaverat. Ed.

Ecce, faces belli, dubiæque in prælia menti
Urgentes addunt stimulos, cunctasque pudoris
Rumpunt fata moras : justos Fortuna laborat
Esse ducis motus, et causas invenit armis.
Expulit ancipiti discordes urbe tribunos
Victo jure minax jactatis curia Gracchis.

262. *Ecce faces belli, etc.* De improviso quamdam causam belli allatam ad Cæsarem fuisse narrat. Qua quidem non permotus ad illud, sed jam suscepto bello fuit usus. *Dubiam* autem *mentem*, non belli, sed juris et causæ videtur appellare. *Faces belli.* Ordo est : Ecce fata addunt dubiæ menti faces belli, et addunt stimulos urgentes in prælia. SCHOL. Fuerunt autem M. Antonius, Q. Cassius, et Curio, qui quum a Coss. et Pompeio discedere Senatu jussi fuissent, propterea quod pro Cæsare intercederent, ad Cæsarem in castra profugerunt, et justam belli causam attulerunt. Appianus, L. II. MICYLL. Malit Bentleius *ecce faces bello*. Non male; et quidem usitatius *faces addere menti*. Tacit. Hist. I, 24 : « Flagrantibus militum animis veluti faces addiderat. »

263. *Urgentes.* Bentl. malit *Urentes*, et adducit Silium, XVI, 512 : « Unus erat super, et metæ propioribus ægros Urebat finis stimulis. »

264. *Justos laborat Esse.* Conatur efficere ut justi sint motus Cæsaris; quia tribunos vindicabat hoc bello. Vide Disquisitiones varias Bentl. ad calcem hujus libri.

266. *Expulit.* Lentulus enim et Marcellus, qui tunc Consules erant, expulerunt tribunos plebis discordes scilicet et superbos contra Senatum. SCHOLIAST. Cæsar. Bell. civil. I, 5.

267. *Victo jure minax jactatis curia Gracchis.* Tenue nimis hoc, *jactatis*, quum trucidati fuerint uterque, itaque Peiraredus levi mutatione scribit *mactatis*. *Jactatis Gracchis* servandum est et recte interpretandum. « Objectis et commemoratis eorum seditionibus et cæde. » Nec aliter vetus Scholiast. his verbis : Gracchi, quorum Cicero meminit in Invectivis et in Miloniana, quia seditiose in tribunatu agebant, occisi sunt. Hos ergo objicit Lentulus consul præsentibus tribunis dicens : Tale decretum de nece vestra laturus sum, qui Cæsari favetis, quale in Gracchos est latum; *jactatis* ergo in exemplum propositis.— Et hoc sensu *jactare* reperitur apud Silium II, 182 : « mersum pelago jactarat Ulyssem. » J. vero Fred. Gronovius, Observ. IV, 5, per *jactatos* intelligit in Tiberim projectos : ut sensus sit : Senatus per Gracchos in Tiberim tractos et jactos victis partibus plebis et jure tribunitio superior ac minax urbe tribunos expulit. Verum huic explicationi bene repugnat Oudendorp. Nam quid vox *minax* hic significaret? Quis unquam simpliciter posuit *jactari* pro in fluvium vel mare jaci, vel trahi ? Dixit quidem Seneca in Troad. vs. 655 : « Dum non meus post fata victoris manu Jactetur Hector. » Sed

Hos jam mota ducis, vicinaque signa petentes
Audax venali comitatur Curio lingua:
Vox quondam populi, libertatemque tueri
Ausus, et armatos plebi miscere potentes.

ibi de dispersione cinerum et ossium mortui Hectoris aperte agitur. Tum saltem præferrem (sed omnes vetant Codd.) Peiraredi conjecturam *mactatis*. Bentl. tamen defendit *jactatis*, ita ut per Gracchos intelligat non illos ipsos Gracchos, sed illorum similes factiosos tribunos qui plebem agitabant. Sic Catones, Nerones, Catilinæ vocitati sunt qui eos æmulabantur. *Jactatos* ergo accipit, ut passim, conviciis minisque jactatos, laceratos, exagitatos; sed prior conjectura multo potior.

268. *Mota*. B. 1. *Fata*.

269. *Curio*. Curio olim partium Pompeianarum fautor, quem Cæsar oblata pecunia ad se traduxit. Hunc respexisse dicitur Virg. « Vendidit hic auro patriam ». Curio iste promptus et popularis orator Romæ habebatur insignis, qui deinceps in Africa periit pudore amissi exercitus. Vellei. Paterc. Lib. II, c. 46: « Non alius majorem flagrantioremque, quam C. Curio trib. pl. subjecit facem: vir nobilis, eloquens, audax, et sqq.» Elogium ejus vide quoque apud Nostrum in fine Lib. IV quod clauditur his verbis: « emere omnes, hic vendidit urbem. » — *Venali lingua*. Suam enim operam Cæsari vendiderat. Ed.

270. *Vox populi*. Tribunus plebis enim fuit, qui Cæsari pugnanti contra Gallos per X annos prorogavit imperium: quum provinciæ consulares lege ipsius Cæsaris non plus quam biennio obtinerentur. Scholiast. *Libertatemque tueri Ausus*, nempe contra senatus tyrannidem. — *Quondam*. Edit. Roman. *Condam*.

271. *Armatos*. Vid. Bentl. Disq. ad h. v. — *Miscere*. Sulpit. intelligit reconciliare; sed Micyllus accipit pro commiscere, et inter se committere, præsertim propter participium *ausus*, a quo idem illud dependet. Non enim ut rem temerariam et insolentem audere dicuntur, qui reconciliationem instituunt et suadent. Micylli expositionem probant Hortensius et Bersm. Tacet hic Scholiastes, nihilque dicit Omnibonus. Neutra sententia Oudend. videtur proba. Rectius Farnab. exponit per *intra privatorum conditionem redigere*, id est, similes privatis civibus et plebi facere. Hac enim significatione verbum *miscere* adhibet auctor ipse, Lib. II, 545: «.... quum fata Camillis Te, Cæsar, magnisque velint miscere Metellis. » Hor. Carm. I, 1, 29: « Me doctarum hederæ præmia frontium Dis miscent superis. » Respexit autem ad orationem, quam habuit Curio, pertendens Pompeium æque debere dimittere exercitum, ac Cæsarem: de qua vide Dionem Cassium, L. XL, et J. Cæsarem de Bello Gall. VIII, c. 52: « Si quem timor armorum Cæsaris læderet, et quoniam Pompeii dominatio atque arma non minimum terrorem foro inferrent, discederet uterque ab armis, exercitusque dimitteret. » Quo alludit Vellei. Paterc. L. II, 48. « Mox simulatione contra Pompeium et Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit.»

Utque ducem varias volventem pectore curas,
Conspexit : « Dum voce tuæ potuere juvari,
Cæsar, ait, partes, quamvis nolente senatu,
Traximus imperium tunc, quum mihi rostra tenere
Jus erat, et dubios in te transferre Quirites.
Sed postquam leges bello siluere coactæ,
Pellimur e patriis laribus, patimurque volentes
Exsilium : tua nos faciet victoria cives.
Dum trepidant nullo firmatæ robore partes,
Tolle moras : semper nocuit differre paratis.

273. *Tuæ.* Sic recte Msc. duo : in aliis erat *tua* perperam. Dum eloquentia mea partes tuas apud senatum tueri potui. Bersm. Oudendorp. autem, licet plures triginta possideret editiones, in nulla vidit *tua*.

274. *Nolente.* Hamb. 4. *Volvente.*

275. *Traximus.* Id est, ut tibi in alterum quinquennium prorogaretur, contendimus, et etiam diu effecimus, ne dimittere exercitum cogereris. Burm. — *Rostra.* Rostra sedilia erant in foro, ubi tribuni pleb. concionari solebant ad populum. Inde dicta, quod devictis Antiatibus bello navali a Romanis A. U. C. 416, suggestum illud, id est, sedile, erat ornatum rostris captarum navium. Ferebantur etiam in *rostris* leges et causæ agebantur. Horum sæpe fit in scriptoribus Latinis mentio.

276. *Dubios.* Incertos cui faverent. — *Transferre.* In tuas partes traducere.

278. *Patimurque volentes.* Hæc male cohærere putat Van Jever. Quomodo enim tribuni qui e patria per vim odio et invidia optimatium pelluntur, se *volentes* exsulare dicant? Conjicit : « Patimurque pudendum exsilium. » Sacrosancti enim tribuni; quare turpiter in exsilium mittuntur. Scholiastes *volentes* explicat : Ne viderentur ad Cæsarem necessitate, non favore venisse. Quod ineptum pronuntiat Van Jev. Cur enim a victore Cæsare in patriam restitui petunt, si *volentes* exsulant? Sed non ita est ineptum, si intelligas Curionem spe reditus, quem Cæsaris arma certum sibi faciebant, non adeo invitum in castra Cæsaris exsulare. Sic enim sententia constat; et nihil mutandum.

279. *Faciet.* Vulgo *faciat.* Habent *faciet* Msc. tria, et reponit Oudend. ut ἐνεργικώτερον, et majore cum confidentia Curionis enunciatum. Hoc exhibent Romana et Ven. et probat Web.

280. *Nullo firmatæ robore partes.* Hortatur ut mature imparatos aggrediatur. Bentl. quia præcedit v. 274 *tuæ partes*, hic reponit : *firmati....patres.* Senatus quippe solus Cæsari hostis. Sic mox v. 365 : « Degenerem patiere togam, regnumque senatus. »

281. *Paratis. Paratas*, Thuan. et Oisel. *Parata*, Richel. Quod tolerari possit : sed malo *paratis.* Vult enim dicere iis qui parati sunt moram nocere. Ed.

Par labor atque metus pretio majore petuntur.
Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum! Facili si prælia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut sacras poscunt Capitolia laurus;

282. *Par labor, etc.* Hic est sensus: In hoc bello tantus impendendus est labor et metus, quantus in bellis Gallorum, sed post victoriam plus consequeris: ibi enim Gallias subegisti; hic tibi serviet Roma et totus orbis, quia orbis illius erit, qui eam subegerit. SCHOL.—*Pretio majore* est, majore mercede, scilicet Roma subacta cum toto orbe: et sic alibi loquitur Noster, cum multis auctoribus. Pro *petuntur*, Cl. Burmannus monet in quibusdam Mss. scribi *parantur* ad Calpurn. Flacci Declam. 25, ubi vide. Noster, I, 34: Magno æterna *parantur* regna. ED. Vide Disq. varias ad h. v.

283. *Lustris.* Non respicit poeta ad numerum annorum, quibus in Gallia Cæsar fuit (nam novem tantum in Gallia fuit, decimo bellum civile cœpit), sed ad tempus, quod illi decretum fuerat. Quum enim per quinque annos in Gallia bellum gessisset, factione Pompeii et Crassi in senatu obtentum est, ut et in alterum quinquennium imperium illi prorogaretur. Caius vero Marcellus ad Senatum retulit, ut Cæsari ante tempus succederetur. ED.

287. *Excipit.* With. male *erigit*, quasi *excipit* non esset latinum. *Excipere* aliquem metonymice res dicitur, quæ quocunque adventanti illi obvenit. Vide Liv. XXXII, 3, 18. Hinc restituendum Eutropio, IV, 8: « Magno honore excepti dona in Capitolio posuerunt. » ED. Vide disquisitiones varias. — *Laurus.* Quando aliquis cum triumpho veniret, Capitolium lauro coronabatur, et ille cum gloria intrans Jovi gratias pro victoria reddebat. Omnibonus explicat: Nam in Capitolium lauro coronati triumphantes vehebantur. *Laurus.* Deflectere hanc vocem in quarta declinatione amarunt poetæ, docente Brookhusio ad Tibull. L. II, 5, 63 « .... Sic usque sacras innoxia laurus Vescar. » Noster ipse, VI, 409: « Unde et Thessalicæ veniunt ad Pythia laurus. » Atque ita optimus Cod. Thuaneus in Ovid. Am. II, El. 12, vs. 1: « Ite triomphales circum mea tempora laurus. » Sen. Œd. 16, *Delphicæ laurus.* Eadem variatio apud Claudian. de Laud. Stil. III, 59, neque audiendus Servius ad Virgil. Ecl. II, 52, putans melius sonare in secunda declinatione. Idem enim injuste sic carpsit Lucanum, quod *fastus* dixerit pro *fasti*, de quo infra. Potuit tamen Servius id dixisse tantum de illo Virgilii loco. Verum hærent interpretes, quid intelligant per *poscunt Capitolia.* Oudendorpius conjicit: « Non triumphas jam, o Cæsar, sed Capitolia poscunt adhuc laurus et vota, quæ non soluta sunt. » Verum tum melius scriberetur *et* vel *at.* Tentat quoque Oudendorp. *ut sacras poscant:* id est, non jam triumphas, Cæsar, *ut,* id est, licet, quamvis (in

Livor edax tibi cuncta negat; gentesque subactas
Vix impune feres; socerum depellere regno
Decretum est genero. Partiri non potes orbem :
Solus habere potes. » Sic postquam fatus, et ipsi
In bellum prono tantum tamen addidit iræ,
Accenditque ducem, quantum clamore juvatur
Eleus sonipes, quamvis jam carcere clauso

qua significatione sexcenties reperitur), optime merearis, et Jupiter Capitolinus flagitet, et poscat sacras laurus sibi pro victoriis ex voto debitas, ut in gremio Jovis laurum deponeres; nam Livor edax, etc. *poscunt C. l.* ex more scilicet deponendi laurum in gremio Jovis Capilini. Seneca, Consol. ad Helv. c. 10: « Laureamque in Capitolini Jovis gremio reposuerat. » Plinius in Panegyr. c. 8. « Lauream imperator Nerva in gremio Jovis collocarat. » Vide Turneb. Advers., L. XXII, c. 11, XXVII, c. 2, et quos laudat Schefferus ad J. Obsequent. c. 123: « Quum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere », et Drakenb. ad Silium, L. XV, 119: « ...... laurumque superbam In gremio Jovis excisis deponere Pœnis. » Burmann. pro *poscunt* mallet *noscunt*. Non pompa in triumphis solita excipit te curru invectum in Urbem, nec Capitolia noscunt aut vident, ut olim laurus sibi debitas. *Noscere* et *poscere* passim confunduntur. Vide ad Valer. Flacc. V, 181.

288. *Livor edax*. Bene dicit *Livor edax*. Invidia enim proprium dominum consumit. Notat etiam Servius ad Æn. VI, 320, *edacem* dici livorem a Nostro, licet Ovidius dixerit *livor iners;* sed et de invidia bene ille Metam. II, 781: « ... carpitque et carpitur una. » Ovidius *edacem* quoque livorem dixit, Amor. I, 15, 1, et Remed. 389: et Mart. Epig. XI, 33. — *Subactas*. Vix tibi venia dabitur, quod subegeris tot gentes.

289. *Vix impune feres*. Id est, hostes tui pro triumpho ex tot gentibus subactis, te punire victorem, et hostibus dedere voluerunt, ut Sueton. c. 24, narrat. Ed.

290. *Partiri*. Quia Pompeius non sinet te partem habere: sed quasi rex non admittet Cæsarem socerum suum in partem dignitatis. Ed.

292. *In bellum prono*. Jam ad bellum parato. Bentl. reponit *prompto*, et adducit VII, 245: « Illa quoque in ferrum rabies promptissima, » et V, 320: « Promptumque ad vulnera pectus. » — *Tantum tamen addidit iræ*. Vid. Disq. var.

293. *Clamore juvatur*. Equi enim gloria moventur, et dolent, si victoria excidant. Vid. Serv. ad Virg. Georg. III, 102. Valerius Flaccus, VI, 751: « Solisque juvant clamoribus agmen. » Ed.

294. *Eleus*. Eleus derivatum est ab Elide, Achaiæ civitate, ubi antiquitus celebratus quinquennalis agon in honorem Olympici Jovis; quem ad lusum eligebantur celerrimi equi. — *Carcere*. Singularem numerum pro plurali posuit; nam *carceres* dicuntur, unde emittuntur au-

Immineat foribus, pronusque repagula laxet.
Convocat armatos extemplo ad signa maniplos;
Utque satis trepidum, turba coeunte, tumultum
Composuit, vultu dextraque silentia jussit :
« Bellorum o socii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, decimo jam vincitis anno,
Hoc cruor Arctois meruit diffusus in arvis,
Vulneraque, et mortes, hiemesque sub Alpibus actæ?

rigæ. Est autem h. loc. sensns : Quamvis Elens sonipes amore currendi vix queat retineri clausis carceribns, et immineat foribus, id est, currere cupiat, tamen multnm voce hortantis adjuvatnr. Nam *repagula* dicuntur proprie pessnli ostiorum. Dicuntnr etiam repagnla flnminnm oppositiones, ripæ. SCHOL. De *carcere* et *carceribus* sæpe Servins et alii grammatici. *Quamvis jam*. M. *jam quamvis*.

295. *Pronusque repagula*. Ex Ov. adumbratum de eqnis solis, Met. II, 155: « ... hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula pnlsant. »

296. *Extemplo*. Nescio quid Scholiastes hic vidit de more augurum : *extemplo* hic idem valet ac *subito*. — *Maniplos*. Maniplus dicitur qui signa fert. Ante nsum enim signorum, manipulnm fœni ante exercitnm præferebant. Nam tempore Romuli hoc factnm est, qunm respublica adhuc esset pauper. SCHOL.

298. *Composuit, vultu*. Vulgo male *composuit vultu*. Bene vidit Burmann. distingnendum post *composuit*, ut est in Mss. plerisque et edd. quibnsdam. Melius *vultu*, id est, nntu et manu jussit silentia. Male quidam *silentia suasit*, cui forte obversatus est Ovid. Met. IX, 691 : « .... digitoqne silentia suadet. » Nec tamen Oudend. distinctionem vult mutare, ne copnla desit. Non probo : qnis enim dixit *vultu tumultum componere?* ED.

299. *Bellorum o socii*. Hac oratione Cæsar milites cohortatur et ad bellum instigat, cujus præcipna capita hæc snnt : Deploratio injuriarum suarum et adversariorнm injnstitiæ ; insectatio Pompeii ; terror militum, qnibus præmia eriperentur tam longæ et præclaræ militiæ. His admiscetnr spes bona felicis successus, ad animos militum confirmandos. CAMER. Adloqnitur legionem decimam tertiam; reliquæ nondum convenerant.

301. *Cruor... vulnera.... mortes*. Nota has voces conjnnctas, et eo ordine dispositas. Sic Ovid. Trist. I, El. 11, 32 : « Quam cruor et cædes, bellaqne semper habent. » Fast. VI, 599 : « Hinc cruor, hinc cædes. » Petronius in Specim. Belli Civil. c. 215 : « Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella. » Unde patet male a Bronkhnsio *cruor* mutatum esse in *furor* apud Tibull. Lib. II, El. 3, 40 : « Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorqne venit. » — *Arctois*. Gallia, Germania, Britannia.

302. *Mortes*, nempe sociorum. — *Sub Alpibus*. Male Bentl. *hiemes sub pellibus*. Hunc et præcedentem vers. respuit Van Jev. et omnino alium amplectitur sensum, scilicet : « Jam vincimns commilitones: Romani enim non minus trepidant, quam si Hannibal esset ante portas. » Sed non

Non secus ingenti bellorum Roma tumultu
Concutitur, quam si Pœnus transcenderet Alpes
Hannibal. Implentur valido tirone cohortes;
In classem cadit omne nemus; terraque marique
Jussus Cæsar agi. Quid? si mihi signa jacerent
Marte sub adverso, ruerentque in terga feroces
Gallorum populi? Nunc, quum Fortuna secundis
Mecum rebus agat, Superique ad summa vocantes,
Tentamur. Veniat longa dux pace solutus

sequentia cum hoc consentiunt. Ed.

303. *Non secus.* Contra me omnia hostilia parantur, perinde ac contra infestissimum hostem. Ed.

304. *Transcenderet.* Magni laboris et audacis conatus significationem hoc verbum in se habet. Justinus, L. XXIV, c. 4 : « Gens aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem Alpium invicta juga et frigore intractabilia loca transcendit. » Cicero, Orat. IV in Catil. c. 3. « Manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes. » Auctor noster ipse, Lib. VI, 325 : « Extremum Scythici transcendam frigoris orbem. » Translate Seneca, Lib. II de Ira, c. 13 : « Pertinacia impedimentum omne transcendit. » Plura exempla dat Broukhus. ad Propert. Lib. I, El. 14, 19 : « Illa neque Arabium metuit transcendere limen, » ubi eodem modo variatur.

305. *Hannibal.* Optimorum Mstorum scripturam sequutus cum aspiratione nomina Punica imprimenda curavi, quæ etiam nunc placet plurimis viris doctis. Vide Drakenburg. ad Silium Ital. L. I, 39. Et ita hoc loco Vossiani quatuor, Wittian. aliique. — *Valido.* Aliam lectionem præferunt codices *validæ*, quam meliorem pronuntiat Oudendorpius. Sic autem Liv. XXI, 6, Front. II, 3, 5. Majorem adversariis conflat invidiam, quod *validæ* et satis plenæ *cohortes* novis tironum delectibus augeantur et pleniores fiant. Et ipse Cæsar de B. C. I, 6, dicit tota Italia delectus habitos. Bentl. male *vacuæ*, id est, non plenæ. Ed.

306. *In classem.* Ut classes scilicet fiant. Witt. pro *cadit* male *ruit.* Imitatus est Sidonius Apollinaris, c. VII, 325 : « Prorumpit Francus, cecidit cito secta bipenni Hercinia in lintres, et Rhenum texuit alno. » Et Claudian. IV Cons. Hon. 624 : « In lintres fregere nemus. »

307. *Quid?* V. 1, *quod.* Quod probat Bentl. sublata interrogationis nota. Quod si mihi, etc. ut sit aposiopesis et subaudiatur *impune an ferrent.* Nunc vero, etc. hoc dementium et furiosorum est. Ego autem nihil muto. *Quid? si.* Quid aliud facerent, si amissis signis victos nos insequerentur hostes? Jam vero, quum victores redeamus, Diis faventibus, sic utique excipimur. Ed. Ita fere apud Petron. B. C. 162 : « Vincendo certior exsul, Sanguine Germano sexagintaque triumphis Esse nocens cœpi. » Ed.

310. *Superique ad summa vocantes.* Hoc respexisse videtur Sueton. Jul. 32: « Eatur, inquit, quo Deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat. » Ed.

311. *Longa dux pace solutus.* Pom-

Milite cum subito, partesque in bella togatæ,
Marcellusque loquax, et nomina vana, Catones.

peius. Sic v. 131 : « Dedidicit jam pace ducem. »

312. *Milite cum subito.* Id est, evocato et tumultuarie conscripto. Alludit forte ad dictum Favonii Pompeium irridentis : « Age, tellurem pede concute, Pompei, ut exercitum inde educas. » Plutarch. in Pompeio, et App. de B. C. Lib. II. Ed. — *Partesque.* Senatus nempe, paci quam militiæ aptior. *Togatæ* ideo dixit, quia hæc vestimenta tantum pacis tempore apta erant, v. 130 : « Longoque togæ tranquillior usu. » Ed.

313. *Marcellusque loquax.* Consul lingua magis, quam manu strenuus. Is C. fuit, qui fratri suo patrueli Marco Marcell. et Ser. Sulpitio successerat, cum P. Æmilio consulatum gerebat nono belli Gallici anno, quum Cæs. in Italiam rediret. Sequenti anno, qui decimus futurus fuisset belli Gallici; quo anno bellum civile cœpit, consules designati fuerant, Claud. Marcellus et P. Lentulus. Atque ex his, quæ decernebantur, tum coactus fuisset Cæsar exercitum dimittere, privatusque provincia excedere. *Sulpitius* Caium Marcellum dicit poetam intellexisse, qui consul cum Lentulo erat. Is vero Caius fuit consul cum Paullo Æmilio, cui Cæsar mille et quingenta sestertia dono obtulerat, ex quibus is in foro (ut paulo ante dixi) nobilissimam basilicam exstruxit, ut inimicis summa ope resisteret. Proinde, ad hunc modum anni et consulatus digerendi sunt. Octavo belli Gallici anno coss. fuerant M. Marcellus et Servius Sulpitius. Nono, quum Galliis pacatis, omnia Romæ turbarentur, reditumque in Italiam maturaret Cæsar, quod in senatu a coss. et ejus ordinis principibus ipsius dignitas aperte oppugnaretur, consules erant C. Marcellus et Paullus Æmil. Sequens annus belli civilis coss. habuit Claud. Marcellum et P. Lentulum. *H. Glareanus* hunc locum diligenter expendens : Duo Claudii Marcelli hoc tempore consulares, inquit, fuere, alter Marcus Caius; alter Caius cum L. Æmilio Paullo coss. fuit, priori anno, quam inciperet bellum hoc civile, continuato etiam consulatu, sequente anno, quando cœpit idem bellum. At M. tertio ante anno cos. fuerat cum Servio Sulpitio Rufo. Is M. non tam infensus Cæsari erat, ut Caius, quippe qui post bellum civile gratiam invenit apud Cæsarem. Sulpitius noster de Marco videtur loqui, quum dicit eum non tam fuisse infensum. Sed non ipse tamen cum Paullo consul fuit. Deceptus est igitur Sulpitius in coss. catalogo. Hæc *Glareanus*, qui dicit continuatum consulatum fuisse C. Marcello, anno belli civilis, quod quidem perinde est, ac si biennium continuum consulatum gessisset, quum Suetonius tradat, C. Marcellum, M. Marcello fratri suo patrueli successisse, atque collegam etiam habuisse, ut dictum est, Æmilium Paullum. Marcum vero Claudium Marcellum Coss. designatum, retulisse ad senatum, ut Cæsari ante tempus succederetur, et cum hoc P. Lentulus consul creatus fuit. Non igitur Caio consulatus continuatus in annum sequentem fuit. Hort. Valde impediunt se ipsi interpretes. Paucis dicam, hoc anno fuisse consules

Scilicet extremi Pompeium, emptique clientes
Continuo per tot satiabunt tempora regno?
Ille reget currus nondum patientibus annis?

L. Lentulum et *C. Marcellum*, teste Cæsare, B. G. VIII, 50 : « Propterea quod adversarii gloriarentur, L. Lentulum et C. Marcellum coss. creatos, qui omnem honorem et dignitatem Cæsaris exspoliarent. » Hoc ergo non mutandum : superiore anno, consules habendos puto *L. Paullum* et *C. Marcellum*, non eumdem, sed M. Marcelli, qui consul cum Sulpitio fuerat, patruelem; hoc autem anno consulem fuisse fratrem Marci. — *Et nomina vana Catones*. Id est, Cato et ei similes. Sic Lib. X, 397 : « Superos tot vota Catonum Brutorumque tibi tribuent. » Cæteri *Catonum*, aut *Catonis*. *Catones* jam legit quoque Scholiastes, *Catones, qui sunt nomina vana*. Ovid. Am. III, El. 3, 23 : « Sine re nomen Deus est. » Art. Am. I, 740 : « Nomen inane fides. » Noster ipse, X, 151 : « Pone duces priscos et nomina pauperis ævi Fabricios. » Sil. Ital. VIII, 253 : « Hunc Fabios inter, sacrataque nomina Marti Scipiadas. » Vid. Heins. ad Vellei. L. II, c. 30 et infra ad II, 303. Ingeniose conjiciunt quidam alludi ad significationem vocis *catus*, quæ sapientem designat, et Cæsarem sic inimicum suum voluisse perstringere, quasi nominis vanitate fultum. Ed.

314. *Extremi*. Intelligere quidam volunt viles et ex infima plebe, alii externos et remotissimarum gentium. Passim illæ gentes vocantur *extremæ*, et vox ea cum *externis* confunditur tam aliis auctoribus, quam Nostro. Virg. Georg. II, 114 : « Aspice et extremis domitum cultoribus orbem. » Huic lectioni favet, quod Pompeius reges Orientis, ut Dejotarum, adjutores habuit. Sed non ideo legendum *externi*. Heinsius tamen e quibusdam codicib. qui habent *externi* conj. *hesterni*, id est, non veteres populi Romani socii et amici, sed recentes et a Pompeio in Asia empti; ubi illum innumeris jus civitatis et alia beneficia dedisse omnes scriptores testantur, et ideo ejus acta senatum confirmare noluisse. Ed. — *Emptique*. Id est, pretio conducti. Hæc cum stomacho legenda sunt. Sch. Sic Petronio, c. 99 : « *Empti* Quirites »; et de Bell. Civ. v. 165 : « Mercedibus *empta*, Ac viles operæ, quorum est mea Roma noverca. » Ed.

315. *Satiabunt*. Hoc restituimus ex MSS. duobus. Ac notatur hoc verbo inexplebilis regnandi cupiditas a morte Syllæ ad hæc usque tempora. Sic *satiatus decoris*. Silius, XVI, 605. *Sociabunt*, quod Ascensius exponit per continuabunt vel conjungent Pompeium continuæ dominationi, vix latinum esse puto. Ita tamen in Var. Steph. LL. exhibetur.

316. *Reget*. Puer enim Pompeius contra Sertorium dimicavit, eique adolescenti et adhuc equiti contra leges et instituta majorum triumphus decretus fuit. Annus triumphi legitimus erat ætatis tricesimus. Certum est *regere currus* hic respicere ad triumphum : et male Burmannus innuit hoc posse intelligi de administranda republica : namque hujus sensus nullum exemplum novi. *Currus* vero Ciceroni pro triumpho dicitur; et erat

Ille semel raptos nunquam dimittet honores?
Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,
Ac jussam servire famem? quis castra timenti
Nescit mixta foro? gladii quum triste minantes
Judicium insolita trepidum cinxere corona,

major triumphi species dicta *curulis*, qua victor curru magnifico vectus urbem intrabat. Ed.

317. *Ille semel raptos ... honores.* Voss. 1, et alii *captos*, quod probat Jev. non enim *rapuit* per vim. Non mihi sic videtur. Præturam Pompeius sibi adsumpserat nullis adjutus suffragiis et 23 annos natus. Consulatum solus obtinuerat, præfecturas plurimas, et jam prorogatas ad quadriennium provincias. De qua re Plutarchus meminit in Vita ejusdem; et illud a quibusdam traditur, Milonem in petitione consulatus fuisse a Pompeio ideo impeditum, ut ipse solus Romæ imperium ac summam rerum teneret; dictaturamque, ad quam re ipsa clanculum adspirabat, verbis autem abhorrere se fingebat, ex ea reipubl. confusione consequeretur. Vide Appian. de Bell. Civil L. II.

318. *Quid jam rura.* Quare autem rura suppressa fuerunt toto orbe, hoc est, ne quid frumenti exportaretur, sequenti versu redditur causa, si legas *ad* pro *ac*. Causa enim finalis est, cur omne frumentum, quod conquirendum esset, fuerit retentum. Hort. Hoc nemo probaverit. Durum forte videbitur *rura suppressa* pro omni frumento cultoribus omnem per orbem ablato, et vetito ne alio quam Romam veheretur. Frumentum erat, quod supprimebatur, non rura, ait ridicule Bentleius, et adducit Cic. ad Att. V, 21 : « Perfeci, ut qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur. » Ideo proponit : « Quid jam farra querar. » *Farra* quoque probat Oudend. et sic notarat Dorvillius, quia in Taurin. Cod. litura erat in *ru*. Vid. Burm. ad Calpurn. Ecl. IV, 33. Gnietus non male intelligit rura suppressa, id est, clausa, tamquam horrea, ne quid inde exportaretur. Tradit Cicero ad Att. lib. IX, legem consules scripsisse, qua Pompeio per quinquennium rei frumentariæ potestas omnis daretur.

319. *Ac jussam servire famem.* Hoc erat, quod dicebat Clodius, non propter famem scriptam esse legem, sed, ut lex scriberetur, factam famem. Vide Plutarch. in Pompeio. Grot. Explicat Oudendorp. *famem*, id est, famelicum vulgus jussum sibi servire. Sed malo referre ad ambitionem Pompeii, quasi ejus arte inducta fames, ut annonæ cum imperio posset providere : quo pertinet Clodii dictum supra. Huc refer III, 56 : « Adserit urbes Sola fames. » Conj. Burm. « Ac jussam sævire, minus bene. *Servire*, id est, subjectam esse Pompeio, ut famem faciat, quum id sibi prosit. » Ed. — *Quis castra timenti.* Nempe in quæstione de Clodii cæde, quum milites forum invaserunt.

321. *Insolita corona, etc.* Tullius pro Milone : « Non enim corona consessus vester cinctus est, ut sole-

Atque, auso medias perrumpere milite leges,
Pompeiana reum clauserunt signa Milonem?
Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus,
Bella nefanda parat, suetus civilibus armis,
Et docilis Sullam scelerum vicisse magistrum.
Utque feræ tigres nunquam posuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur,
Altus cæsorum pavit cruor armentorum;

bat. » Ordinem verborum non adsequutus est Schol. qui est: *quum gladii triste minantes cinxere judicium trepidum*. Vel si minus bene mavis jungere *triste judicium*, non referri debet *trepidum* ad aliquem incertum, sed ad ipsum *Milonem*. Mallet Bentl. absolute *minantes*. Sed quia conjungitur *triste*, reponit *micantes*. Quod juvat MS. 7900, ubi *mineantes*, alia manu eraso *e*. Stat. Theb. IV, 154: « .... Quibus haud amenta, nec enses Triste micant. » Sed bene dicitur *triste minari*, ut Ovid. Met. VIII, 467: « .... crudele minanti, et XV, 33: « .... graviora minari. » ED.

322. *Atque auso medias*. Judicia enim et leges absque armis et armatis vigere et florere debent. Eleganter quidem *perrumpere medias leges*, hoc est, medium forum, rostra, ubi leges ferebantur. Infr. v. 470: « Irrupitque animos populi; V. 127: cogitque fores irrumpere templi. » ED.

323. *Signa*. MSS. quidam, et Burm. ad Valer. Flacc. V, 606, *castra*.

324. *Ne lassum, etc.* Ne senectutem agat privatam et otiosam. Schol. habet: ne privetur in senectute a dignitate et militia. Jev. conj. *ne incassum*, id est, ne sine utilitate desidere et ignavus esse videatur. Non equidem probo. ED.

326. *Docilis Sullam, etc.* Scelere facile superaturus crudelitatis et scelerum omnium magistrum suum Sullam, sub quo meruerat Pompeius 23 annos natus, summo honore a Sulla habitus, et Magni nomine (ut ferunt nonnulli) a Sulla primo salutatus. Acute Burm. putat *magistrum* referri posse ad titulum dictatoris, qui olim magister populi dicebatur. Quo pertinet dictum Cæsaris apud Sueton. 77: « Sullam nescisse literas, qui dictaturam deposuerit. » ED. — *Scelerum vicisse magistrum*. A Sertorio sumtum hoc dictum, qui Pompeium appellabat Sullæ discipulum, docet Plutarchus.

327. *Utque feræ tigres*. Vid. Disq. var.

328. *Nemore Hyrcano*. Hyrcana sylva Scythiæ. *Lustra*. With. in Enc. p. 14, legens *jussa* tot fere errores edit quot voces. Lucanus non loquitur de tigribus, quæ prædatum exeunt, sed quæ a præda redeunt, quasque pavit cruor, et quæ hinc bene pastæ, matrum lustra suaque cubilia petunt, sive sequuntur, ut millies poetis usurpatur, sed tamen non ponunt furorem, dilaniaturæ quidquid illis occurrat.

Sic et Sullanum solito tibi lambere ferrum
Durat, Magne, sitis : nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.
Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?
Quis scelerum modus est? ex hoc jam te, improbe, regno
Ille tuus saltem doceat descendere Sulla.

329. *Altus*. Gujet. *Ater*, et adducit in exemplum Virg. Æn. III, 622 : « Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro. » Sed et *altus cruor* occurrit III, 572, et *altus sanguis*, II, 214. Ed.

330. *Sic et Sullanum, etc.* Per aversionem Pompeii applicat huic comparationi, bibendi sanguinis jugem sitim quam semel quondam ex Sulla hausit. Idque hanc ob causam Pompeio objicit, quod cædibus ac proscriptionibus civium sub Sulla aleretur, quando bona proscriptorum ab eo hastæ subjiciebantur. Hort. Hæc respexit Petronius, Bell. Civ. v. 98 : « Ex quo Sullanus bibit ensis. »

331. *Nullus semel*. Gronovius bene, ut opinor, interpretatur *nullus sanguis*, id est, nunquam sanguis; sed hoc displicebat Bentl. suadenti : *nullo semel ore* non feliciter. Jever non melius *nulli*, id est, *nemini* qui *semel fauces* polluit *sanguine*, feritas cessabit. Ed.

332. *Pollutas*. Imitatus hunc locum est Claudianus in Rufin. II, 7 : « .... neque enim patiuntur sæva quietem Crimina, pollutæque negant arescere fauces; » ubi etiam in duobus scriptis est *mansuescere*, teste N. Heinsio. Consule ibi quoque Barthium.

333. *Quem tamen*. Male *tandem* conjicit Hortensius. *Tamen* enim idem valet ac *tandem*. Ovid. Met. II, 337 : « Repperit ossa tamen peregrina condita ripa. » Propert. El. II, 2, 10 : « Unde tamen veniant tot mala : » Vid. Bosch. ad Petron. c. 31 ; Burmann. ad Valer. Flacc. VI, 385 : « Procubuit tamen. » Quare etiam Heumannus in Ænigm. 52 Symposii, *Vix tamen effugi*, mutare non debuerat in *vix tandem*, ubi vid. quæ notavi poet. Lat. min. tom. VII, p. 390. Ed.

334. *Quis scelerum modus est?* Bentl. ejicit *scelerum*, quia longa potentia, regnum continuum pro sceleribus haberi negat et reponit : « quid juris modus est » : frigide. Senec. Thyest. 1051 : « sceleris est aliquis modus?... » Ed. — *Regno*. Invidioso imperio, nec inferiore Sullæ magistri dictatura.

335. *Ille tuus*. Cui tu junctus fuisti, sive quem imitaris. Ille magister sceleris, qui te sibi adfinitate devinxit, tibi in matrimonium data Æmilia privigna. — *Doceat descendere Sulla*. Qui annos 60 natus, se dictatura abdicavit, et privatus Puteolis egit. — *Descendere*. Sic Statius, Theb. II, 396 : « Fortunam exsuere et lætum descendere regno. » vulgo *discedere*. Apud Livium quoque, L. XXXII, c. 32 : « Arcem tenebat præsidium, neque ut *descenderent*. »

Post Cilicasne vagos, et lassi Pontica regis
Prælia, barbarico vix consummata veneno,
Ultima Pompeio dabitur provincia, Cæsar;
Quod non, victrices aquilas deponere jussus,
Paruerim? Mihi si merces erepta laborum est,

Verum amplius videndum, an non scripserit hic Lucanus *decedere*, ut alludat ad morem præsidum Romanorum e provincia decedentium, quum successorem acciperent. Versus certe 338 mox videtur hoc innuere: « Ultima Pompeio dabitur provincia Cæsar. » *Decedere* autem in hac re solemne fuisse verbum constat, et hic Nostrum imitatus est Stat. Theb. I, 317: « .... Si quando humilem decedere regno Germanum, et semet Thebis opibusque potitum Cerneret. » De crebra autem confusione horum verborum latius agetur ad Lib. III et alibi: eodem modo variatum apud Silium, XVII, 1: « Hostis ut Ausoniis discederet advena terris. » Burm. ad Nemesian. Ecl. II, 89, defendit *descendere*. Et vide notam ad Calpurn. Ecl. IX, v. 89. Hoc quoque verbum juvat Senecam, de Clement. I, c. 12: « Descenderit licet dictatura (Sulla) et se togæ reddiderit. » Et melius hoc dicitur de cive, qui ad privatam conditionem redit. Ed.

336. *Cilicasne vagos.* Piratas maria infestantes a Pompeio devictos. Bene autem *vagos* posuit, ut ostenderet non magnum prælium, in quo victi sunt errantes. *Lassi Pontica, etc.* Mithridates rex Ponti per annos 40 cum Romanis bellum gessit, a Sulla et Lucullo attritus profligatusque, a Pompeio tandem victus est. In turri a Pharnace filio obsessus, male tentatum veneno (adversus quod amuletis et antidotis se munierat) spiritum ferro expulit; ideo subjicit: « Vix consummata veneno. » — *Lassi.* Ut ostendat nihil fecisse Pompeium: multi enim ante vicerant Mithridatem; ideo *lassi.* Lassi est longo bello fessi, ut Virg. Æn. II, 109, et alii passim. Florus, III, 5, de Mithridate agens, Romanis hoc dat epitheton: « In lassos simul atque districtos subitus turbo Pontici belli erupit. » Ed.

337. *Prælia barbarico.* Citatur hic versus ab Orosio, Lib. VI, c. 1. — *Vix consummata.* Veneno enim solo consummari non potuerunt. Alii tamen volunt τῷ vix significari bella non esse confecta morte Mithridatis, sed superfuisse bella etiam Pompeio consummanda, quæ narrat deinde Florus. Sed quid tunc vellet *barbarico veneno?* nam his verbis mors Mithridatis non potuit recte notari: non enim veneno periit. Vid. not. sup. Ed.

338. *Ultima Pompeio, etc.* Egone resto ultimus hostis debellandus? — *Provincia.* Aliquando officium vel negotium, ut hoc loco; aliquando partem terræ significat, ut *provincias* regna dicimus. Putarunt quidam a *procul vinco* sumptum, sed et Italia *provincia* dabatur; melius a *provideo.* Ed.

339. *Quod non, etc.* Quod jussu senatus non dimiserim exercitum victorem ante triumphum.

341. *His saltem.* Ne sibi prodesse videatur, hoc bellum militum causa

His saltem longi, non me duce, præmia belli
Reddantur : miles sub quolibet iste triumphet.
Conferet exsanguis quo se post bella senectus?
Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis?
An melius fient piratæ, Magne, coloni?
Tollite jampridem victricia, tollite signa :
Viribus utendum est, quas fecimus. Arma tenenti

se facere profitetur. His saltem militibus stipendia, honoresque reddantur, et agri assignentur in quibus jam emeriti quiescant. Nisi forte agris digniores censendi sint Cilices illi piratæ, quos a se devictos Pompeius in mediterranea submovit, et Solos colonias deduxit. Pari sententia Cæsar apud Petron. v. 171 : « Reddenda est gratia vobis. Non solus vici. » Ed. — *Non me duce.* Glareanus annotavit, Aldinam codicem legere, *Non cum duce* : sed utrumque intelligitur, inquit, quasi dicat Cæsar : De me non sum æque sollicitus, ac de meis militibus, quibus præmium eripitur, etiam bellorum, quæ non sub meo ductu gesserunt : vel melius hoc de futuro sibi successore intelligit, ut accipiat miles præmia, vel alio imperatore. Cui convenit quod sequitur, *sub quolibet*. Grot. Ex ed. pr. Oud. mutare non volens *cum duce*, explicat, mihi si non licet triumphare, illis militibus saltem reddantur belli præmia et non cum duce suo, i. e. excepto solo suo duce, triumphent sub quolibet alio homine.

344. *Quæ sedes erit emeritis? Emeriti* milites, qui justa stipendia fecerunt.

346. *Fient.* Burmannus suadet : *At melius fuerint.* Nihilo melius. Sed bene vidit intelligendum de urbe Solis, quæ deinde Pompeiopolis dicta, teste Mela, L. I, c. 13, et hinc moveri invidiam Pompeio, quod non civibus aut emeritis civibus, sed piratis assignaverit sedes. Ideo melius quadrat interrogatio ironiæ propria quam conjectura Burmanni *at melius fient*, quæ ne recte quidem habet, quum dicendum esset : At piratæ meliores erunt, vel sicut coloni. Recte denique futurum *fient*, quo Cæsar Pompeium, quasi nunc demum comparatis militibus Romanis cum piratis Cilicibus, interrogat, an magis deceat his latronibus, non illis civibus, sedes concedi. Ed.

347. *Victricia tollite signa.* Sic apud Petron. v. 168 : « Victores ite furentes, Ite mei comites, et causam dicite ferro. » Ed.

348. *Viribus utendum est, quas fecimus.* Vim et opes, quas tot victoriis quæsivimus, in usum nostrum convertamus. Hoc planum est : negat tamen se intelligere Jev. et reponit *Viribus utendum est, qua cœpimus*, et contra latinitatem et contra sensum, tunc enim demum Cæsar armis dignitatem adserere cœperat. *Est* in nonnullis deest. Ed.

Omnia dat, qui justa negat. Nec numina deerunt;
Nam neque præda meis, neque regnum quæritur armis;
Detrahimus dominos urbi servire paratæ. »

Dixerat : at dubium non claro murmure vulgus
Secum incerta fremit : pietas, patriique penates
Quamquam cæde feras mentes, animosque tumentes
Frangunt; sed diro ferri revocantur amore,
Ductorisque metu. Summi tum munera pili

349. *Omnia dat.* Nempe omnia, quæ armis parari possunt. — *Justa.* Id est, triumphnm post victoriam: in seqq. *nam neque, etc.* bonam reddit causam, cur nomina deesse non possiot, qnia armis neqne regnum, neque dominationem affectet ullam, nec lucrom sectetur; sed defensionem Romæ suscipiat, quam in servitutem prooam ab injnsta dominatione vindicet : qnod est honestum. — *Deerunt.* Sic octo MSS. et habet MS. Puteanorum, quod baud dubie rectins. Est enim sperantis. Mutaruat in *desunt* quibns insolita ista synalæphe. GROT. MS. 7900. *neque,* et in sequenti versu *nam nec prædam.* Alterutro certe loco *nec* est scribendom, et MSS. antiqniores sequi malim, vs. 53. « Sed neqne in Arctoo sedem tibi legeris orbe, Nec polus, etc. » Console sagacissimum R. Bentlej. ad Horat. Carm. III, 11, 43 : « Mollior nec te feriam neque intra Claustra tenebo. »

351. *Detrahimus, etc.* Asserimus urbem nostram in libertatem, ne prompta nimis dominos subeat. ED.

353. *Incerta.* Patriamne, an ducem sequatur. — *Pietas, patriique, etc.* Quamquam pietas in patriam, in uxores et liberos, nonnihil animos videbaotur debilitare, quo minus illis bellum facerent; cousuetudine tamen looga bellorum et veneratione imperatoris sui ad arma revocantur. ED.

354. *Animosque tumentes.* Scilicet victoriis. Κακόφωνον qnidem videtur *mentes, animosque tumentes,* sed boc videtur a Lucano exquisitum. Nec est quod *feroces* rescribas, quum præcedat *feras.* *Cæde* feras, id est, cædibus, qnas per longam militiam feceraot, aut viderant. — *Quamquam* antem eodem sensu quo *quamvis* in his Taciti, Ann. XIV, 4, de Nerone : « Seu perituræ matris supremus aspectus quamvis ferum animum retinebat. » ED.

355. *Frangunt.* Molliuut, inflectuot Sic apud Ovid. VIII, 508, de Althæa Meleagrum filium extinctura : « Nunc animum pietas maternaque nomina frangnnt. » ED.

356. *Summi tum, etc.* Quum in legione essent, præter velites et pilanos, tria militum genera, *hastati, principes, triarii;* atque bi singuli in decem partes dividerentur, quibus partibus præficerentnr centuriones; primæ quidem cohortis ceu ordinis triariorum (namque hi ætate, usu, fortitndine cæteris præstabant) centurio appellabatur *Primipilus,* cujus voluntati et imperio milites omnes parerent, eratque ille consilii parti-

Lælius, emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem præmia quercum,
« Si licet, exclamat, Romani maxime rector
Nominis, et fas est veras expromere voces;
Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires
Conquerimur. Deeratne tibi fiducia nostri?

ceps. *Summi* hic et pro *primi*. Lælius gereus munera primi pili. Erat hie centurio primæ cohortis ; et istius custodiæ vexillum et aquila legionis tradebantur. Hæc Lælii *munera*. Jo. Sarisberiensis dicit hunc ab aliis Lentulum appellari. Ed.

357. *Emeriti. Emeritum donum* capio pro *merito*, quod virtute sua meruerat. Sie III, 622, *Emerita mors*, et Grat. Cyneg. 282 : *Emeritam laudem* dixit, alio sensu. Vide ad Nemes. Cyneg. v. 195. Poet. min. nost. Ed. tom. I, p. 118. Ed.

358. *Servati civis*. His quidem, qui civem servavissent, corona de querceis ramis dabatur. Hoc Tullius in Pisone tetigit, dieens e. 3 : « Mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet L. Gellius, his audientibus, civicam coronam deberi a republica dixit. » *Quercum*, totum pro parte, coronam quernam. Ed.

359. *Si licet, exclamat*. Hortatoria oratio est Lælii ad Cæsarem, ut eo pergat, quo ire constituerit. Reprehendit vereeunde, quod non suo jure militum opera utatur. Movet affectus ab indigno ; commemorat sua præclara facinora et virtutem militum pro imperatore suo navatam : promittit insuper suam operam ; et ultro sacramento se obligat ad obeunda jussa imperatoris, etiam impia, si sit opus. Hort. — MS. 7900. *Scilicet*.

360. *Fas est*. Sie infra, IX, 244 : « Fas mihi nec liceat. » Statius, Theb. VIII, 90 : « Si licet, et sanctis hic ora resolvere fas est Manibus. » Nota est formula *si fas est*. At vero *jus* in 2 veterrimis Voss. additur glossa *et si jam fas*. *Jus* non temere damnandum putat Oudend. Gellius, Lib. I, c. 3 : « Contra jus et contra quam licet. » Noster V, 288, : « Nec fas nec vincula juris Hoc audere vetant. » Sil. Ital. Lib. VIII, 40 : « Haud, inquit, tua jus nobis præcepta morari. Sit fas, sit tantum, etc. » *Et fas*, MS. 7900 ; *est jus* supra *fas* eadem manu. — *Voces*. Ediderunt alii *causas*. Pro *expromere* Vos. pr. *depromere*. Sed jam Virgil. Æneid. II, 280 : « ... mœstas expromere voces. » Statius, Theb. II, 101 : « Has visus fatorum expromere voces. » *Expromere arcana* Noster, VIII, 280. Pro *veras* alii *magnus*, quod recte improbat Oudend. Miles enim, si decorum servaverit, non debet profiteri se *magna*, sed *vera* dicturum. Laudatur hic locus a Bentl. ad Horat. Art. poet. v. 318.

361. *Lenta tuas*. Verecunde reprehendit patientiam, qua senatus abutitur. — *Tenuit*, id est, continuit.

363. *Dum movet hæc calidus spirantia corpora sanguis*. Ex Empedoclis sententia, quam et Virgilius sequitur: « ... et vitam multo cum san-

Dum movet hæc calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togam, regnumque Senatus?
Usque adeo miserum est civili vincere bello?
Duc age per Scythiæ populos, per inhospita Syrtis
Littora, per calidas Libyæ sitientis arenas.
Hæc manus, ut victum post terga relinqueret orbem,

guine fudit. » Et alibi : « Uoa eademque via saoguisqne animusque sequuntur. » Grot. Quidam *hic calidus* male. *Hæc calidus* Pulm. et Vossiani omnes; verissime, quare ita reposui; nec aliter jam ediderant Veneti, Taberius, Sulpit. Ascens. Versell. Mic. Stephan. et Hortens. δεικτικῶς ad reliquos milites, quorum nomine loquebatur, vel ad seipsum; vide 369 : Sic II, 557 : « Fervidus hæc iterum circa præcordia sanguis Incaluit; » ubi itidem in aliis, *hic*. Virg. Æn. IV, 336 : « Dum spiritus hos reget artus. » Et Æn. II, 292; Ovid. Met. XII, 120; Noster, III, 720, IV, 649, VII, 305, et alii millies. Vide Passerat. ad Tibull. II, 6, 7. Joh. Sarisberiensis non ineleganter *his* pro *horum*, ut supra 193 : « Membra duci. » Pro *movet* Heins. *fovet*, sed nihil est novandum. Ed.

364. *Fortes*. Marp. *validi* pessime post *valent*. Hic autem versus sine detrimento abesse potest. In Hamb. 3 alia manu in margine legitur.

365. *Degenerem patiere togam*. Regnare feres togatos inertes et imbelles. — *Regnumque Senatus*. Atrociter et invidiose senatus auctoritatem *regnum* nominat. Sup. v. 334.

367. *Duc age, etc.* Amplificatione locorum promptos militum animos ac benevolos erga ducem arguit. Hort. — *Per Scythiæ populos*. B. reponit *campos*, ut melius conjungantur campi, littora, arenæ. Notæ apud scriptores αἱ Σκυθῶν ἐρημίαι. Ed. — *Syrtis*. Syrtes duæ sunt, major et minor, sinus in mari Libyco, propter fluctus arenasque affluentes ac refluentes, importuosi atque navigantibus infesti; vide Sall. Bell. Jug. Orationem 5 Dionis Prusæi; Procopium 6 Ædif.

368. *Per calidas Libyæ*. Per deserta Libyæ aquarum expertia. Cortius *squalidas* turpi menda reposuit, forte quia præcessit v. 363 *calidus*. Ed. — *Libyæ*. Alii *Libyes*, atque ita passim græca terminatione inflectere hanc vocem patet ex vs. 206, 255, IV, 606, IX, 370, 624, etc. aliisque locis, ubi nunc vulgo latina declinatione circumfertur. Hic tamen malit Oudend. *Libyæ*, ob nimiam repetitionem litteræ *s*. *Harenas* autem scripsit passim pro *arenas*, motus auctoritate Mstorum. — *Sitientis*. Egentis aqua; unde Libya dicitur, quasi Lipsia, id est, egens pluviæ. Sch.

369. *Hæc manus*. Δεικτικῶς, suam ostendens. — *Ut victum*. Reponit Bentl. *tutum*, quod juvari putat IV, 353: « Securumque orbis patimur post terga relicti. » Sed hic *victum* magis convenit gloriosi militis orationi : *tutum* autem prudentiæ ducis aptius videtur. Ed.

Oceani tumidas remo compescuit undas;
Fregit et Arctoo spumantem vertice Rhenum.
Jussa sequi tam posse mihi, quam velle necesse est.

370. *Oceani.* Quum Britanniam aggressus est.

371. *Vertice Arctoo.* In septemtrione. Virgil. Georg. I, 242 : « Hic vertex nobis semper sublimis. » Alii *vortice*, ob impetuosum, violentumque ejus cursum, qui ubi maxime verticosus est, circa originem suam, nullis navigiis navigabilis est. Germaniam præliis vicit, at non bellis, adeo ut Romanis illa quietem sueverit divendere, id quod heroico carmine erudite testatur Claudianus, Panegyri prima in laudes Stilichonis, v. 210 : « Illi terribiles, quibus otia vendere semper Mos erat, et fœda requiem mercede pacisci, Natis obsidibus pacem tam supplice vultu Captivoque rogant, etc.» Bersm. *verticem* Rheni intelligit, i. e. contortam aquam. Ego vero vix putem, verticem, seu contorsionem aquæ, recte posse dici Arctoum; quia fluvius, in quo illi vertices sunt, est septemtrionalis. Quare malim cum Scholiaste, qui exponit : «septemtrionali climate, sub quo Gallia est constituta, » intelligere plagam septemtrionalem, unde oritur et cum impetu spumosus labitur Rhenus. Nam quæ hic Hortens. dicit Rhenum parum spumare, quum suis ostiis oceanum intrat, nihili sunt. Passim autem, ut de omni summitate, sic de superiore juxta veterum opinionem mundi plaga sumitur *vertex*, ut in loco Virg. citato. Adde Georg. II, 310; Æn. I, 225; Valer. Flacc. III, 487; Stat. Theb. III, 218 et sæpe. Si Lucanus aquarum contorsionem intellexisset, scripsisset clarius et elegantius : « Fregit et Arctoum spumanti vertice Rhenum. » Sed vel ne sic quidem *vertice* in *vortice* mutari contra Mstos tantum non omnes et Edd. veteres necesse esset. Nam sive summitatem, seu volubilitatem aquæ, flammæ, vel fumi, etc. describant auctores, utrumque per *verticem* tamquam a *vertendo* declinatum expresserunt. *Vorticis* prisca orthographia a recentioribus ubique est intrusa. Vide Pierium Valerian. ad Virgil. Georg. III, 241, et quos laudat Drakenburg. ad Silium Ital. III, 475, loco valde apposito : «Corpora multa virum spumanti vertice torquens Immersit, etc.» Atque ita in Mss. et Edd. antiquis apud nostrum ubique scriptum est, quod in quibusdam locis, non in omnibus, etiam mutatum a correctoribus. Sic I, 546; III, 631; IV, 102, 460; VIII, 374, et alibi.

372. *Jussa sequi tam posse, etc.* In hoc obscuriore versu exponendo variorum explicationes prius dandæ videntur. Antonius Sabellicus (Syll. II, Annotation. in Plinium, T. 1 Fac. Crit. p. 182.) hunc locum ita legit : « Jussa sequi, tam velle mihi, quam posse necesse est. » Nam volunt, inquit, homines, quæ obire non possunt. Sed multo plura sunt, quæ quia homines possint, velle debent, præsertim si honesta sint. Badius, τὸ *tam* connectit, tum cum *necesse*, tum cum *posse*; et sequenti loco pro *tantum* exponit; sed nullus sensus dicitur. Unde lubens Sabellico subscribam, donec melius quid inve-

Nec civis meus est, in quem tua classica, Cæsar,
Audiero. Per signa decem felicia castris,

nero. Glar. Necesse est, inquit, mihi sequi velle, pro virili parte mea, quu duxeris. Vel: necesse est, me posse, quod jusseris, quum velim. Vel: tam est, ut possim, hoc est, ita potestas adest sequi te, quam necessitas imponitur, ut velim. Necessitatem autem dicit vel ducis reverentiam et sacramenti, vel etiam addictam voluntatem Cæsari, etc. Camer. « Tam velle mihi, qnam posse necesse. » Ita in plerisque libris legitur; nos secuti sumus fidem duorum Msc. et aliquot editorum exempl. Necesse, inquit, mihi est tibi parere, quia utile esset, si tantum possem, quantum vellem, sequi tua jussa. Bersm. Mire vexatus hic locus est. Sabellici vero lectionem soli confirmant nnus Pulmann. et duo Bersm. In Marp. scribitur: « Jussa mihi tam posse sequi, q. v. n. e. » qnod eodem redit. Ejus tamen conjecturam præter Glareanum receperunt quoque in textum Colinæus, Stephanus, Gryphius, et nuper Anglus editor Maittaire, secutus scilicet in omnibus editionem hæredum Gryphii. Non itaque sic legitur in plerisque libris, ut putat Bersmaonus, sed tantum in illis quos dixi. Oudendorpio placet sola Camerarii expositio secunda. « Necesse est, me posse, quod jusseris, quum velim. » Ut jactet Lælius, nihil esse, quod sibi cæterisque Cæsaris militibus obstare, et resistere possit; et quod illi, quidquid modo velint, etiam efficiant, quod probat subjugatione Oceani et Rheni. *Sequi* igitur est exsequi, simpl. pro composito. Necesse est mihi posse tam exsequi tua jussa, quam velle, quum nihil me vincere, aut deterrere, sed omnia mihi succumbere debent. Quare ne desit tibi, o Cæsar, fiducia nostri, ut dixit vs. 362. Hic multum se torquent interpretes, neque transpositio quidquam lucis affert. Si ad verba spectes, dicit sibi potestatem parendi esse tam necessariam, quam voluntatem. Sed nulla necessitas fingi potest, quæ efficere valeat, ut aliquis possit. Immo ne velle quidem cogimur. Noster enim IV, 484: « Nec cogitur ullus Velle mori. » Burm. explicare tentat: Est mihi tam facultas, sunt vires ad exsequendum quæ jubes, qnam necesse est, me velle. Non feliciter, neque melius Bentl. Potestatem meam voluntas exæquat. Ego sensum τοῦ *posse* existimo esse *licere*, hoc est, ut oportet me velle sequi tua jussa, ita oportet hoc mihi licere, æqnum esse. Et sic bene cohærent quæ sequuntur: « Nec civis meus est, etc. » Rectior quoque elicitur sensus si cum Withofio legas *juvat* pro *mihi*, quam conjecturam firmat VI, 494: « Parere necesse est, An juvat? » Gallice verterem: « *Ordonne; j'obéirai: je dois pouvoir autant que vouloir exécuter tes ordres.* » Ed.

373. *Nec civis, etc.* Neque erit mihi pro cive, contra quem tubæ tuæ canent signa belli.

374. *Signa decem felicia castris.* Jurat per signa, quæ in exercitu deorum instar erant. Sulp. Ascens. Hort. aliique jungunt *decem signa* i. e. per 10 aquilas, quas totidem sequebantur legiones; et *felicia castris* exponunt pro *in castris*, in exercitu. Verum quis ita loqueretur, et quid refert, per quot signa juret? Rectius multo Omnibonus exposuit *castris de-*

Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos;
Pectore si fratris gladium, juguloque parentis
Condere me jubeas, plenæque in viscera partu
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.
Si spoliare deos, ignemque immittere templis,
Numina miscebit castrensis flamma Monetæ;
Castra super Tusci si ponere Tibridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu quoscumque voles in planum effundere muros,

cem, et Scholiastes: « Quia per decem annos pugnatum est contra Gallos. » Jurat enim Lælins per signa, quæ per decem expeditiones annnas semper felicia fuerant. Nesciverunt scilicet interpretes, *castra* aliquando sumi pro ipsis expeditionibns, ut apud nos, *campagnes*. Vide Broukhusium ad Propertii Eleg. II, 7, 15: « Quod mea si teneræ comitarent castra puellæ. » Adde Cicer. Catil. II, c. 10, in fine. Voss. tert. pro var. lect. *dextris*.

377. *Plenæque*, etc. Gravidæ uxoris.

378. *Invita peragam*, etc. Utnt horreat refngiatque manus. Bene dixit *invita*, nt non timore Cæsaris hoc faciat, sed affectu. Sch.

380. *Numina*, etc. Ignis e castris nostris incendet statuam Junonis dictæ Monetæ, quod ab æde Junonis audita est vox quæ docebat, qua ratione plena fieret procuratio propter terræ motum; ædem autem hanc dedicavit L. Fu. Camillus: a *monendo* nomen *Monetæ* indictnm. Cortins *Monetæ* cum litera *m* minoris formæ, qnem sequutus Bentleius exponit: Si jubeas templa spoliare, Deorum statnæ, aureæ, argenteæ, rapientur et in castrensi moneta (id est, officina ubi cuduntur nummi), miscebuntur nt inde pecunia fiat. Sed servandum *Monetæ* demonstravit VVernsdorfius, excursu primo ad Snlpiciæ satiram, v. 53; optimamqne hujus loci explanationem dedit, quam vide Poet. Min. Edit. nost. tom. II, pag. 150. Ed.

381. *Castra super.* Si patriam obsidere, juxta Tibrim castra metatum. — *Tusci*. In Tuscia orti. — *Castra*. Alii *signa* eadem variatione membranarum, qua v. 323; sed *castra* convenit melius τῷ *metator*, quam *signa*. Frequenter has voces esse commutatas, plus semel deinceps videbimns. Quid autem notius hac phrasi *castra ponere?* Sed qnis castra *super undas ponere* dixit. An intelligendum de regione circa Tibrim. Sic mox, v. 396; et Lemannum pro Gallia ponit. Malim *super* pro *ultra* capere, nt explicat Freher, ad Ausonii Mosell. I, 423. Non ergo se modo Rubiconem transiturum, sed ipsam Romam oppngnatnrum, si Cæsar jubeat, jactat et promittit. Ed.

382. *Veniam metator in agros.* Castra metabor. — *Metator*. Snnt vero in re militari *metatores*, qui præcedentes locum castris eligunt.

383. *Effundere muros.* Heins. minus bene *extendere*. Poetæ illo

His aries actus disperget saxa lacertis:
Illa licet, penitus tolli quam jusseris urbem,
Roma sit. » His cunctæ simul assensere cohortes,
Elatasque alte, quæcumque ad bella vocaret,
Promisere manus. It tantus in æthera clamor,
Quantus, piniferæ Boreas quum Thracius Ossæ
Rupibus incubuit, curvato robore pressæ
Fit sonus, aut rursus redeuntis in æthera silvæ.
Cæsar ut acceptum tam prono milite bellum,
Fataque ferre videt, ne quo languore moretur

verbo sæpius de viris in terram prostratis solent 'nti. Virg. Æn. XII, 276: « Fulvaque effundit arena. » Ed.

384. *Aries actus*. De hac machina bellica ad subrueodos moros, vide Veget. lib. IV, cap. 14, et Am. Marc. — *Actus disperget*. B. 1. *disperdet*.

386. *His cunctæ*. p. 1. *junctæ*. p. 1. — *Assensere cohortes*. Assensum testantur clamore, quantus non cedit fragori silvæ pineæ in Ossa Thessaliæ monte depressæ aut sublatæ, Boreæ e Thracia flaotis impolsu.

387. *Elatasque alte, quæcumque ad bella vocaret, Promisere manus*. Χειροτονία militaris. Grot. J. G. Grævius putat legendum *Elataque... manu*, neglecta Synalæpha. Vid. ejus nota ad Ciceronis Orat. de lege Agrar. contra Servil. Rullum c. 36; et *promittere manus* hic esse locutionem nihili existimat. Sed præter quam quod omnes Cod. habeant *Elatas... manus*, eodem modo etiam locum laudat Servius ad Virgil. Æneid. XII, 258: « Tum vero augurium Rutuli clamore salutant, Expediuntque manus. » Immo Statius aperte hunc locum imitatus canit, Theb. IV, 352: « ... dejecti trepidas sine mente, sine ira, Promisere manus. » Idem ergo est ac promittere operam suam, polliceri, se manus præbituros, qua locutione utitur noster, V, 558. Vide et Claudian. in Rufin. I, 117.

389. *Piniferæ*. Editiones Bersmanni et Grotii habent *Piniferi Ossæ*, et ita Puteanens. Quoniam poetæ solent adjectivum masculini generis jungere nominibus montium femininis, substantivum *mons* scilicet subintelligentes. De qua re latius ad III, 178: *Herculeum Œten*. Verum omnes ad unum codices habent *piniferæ*, vel *nubiferæ*, ut est in novem scriptis: melius est *piniferæ* quum nubes hic nihil ad rem faciant, sed pinus. Quomodo passim a Poetis describuntur montes; inf. II, 431. Virgil Æn. X, 708. Seneca Agam. 337. Statius Theb. VII, 272.

390. *Robore*. Arbores Boreæ impolso curvatas innuit συνεκδοχικῶς. Bersm.

391. *Redeuntis*. Id est, quum iterum arbores, quæ pressæ, et vi ventorum curvatæ fuerunt, revertantur in aera, remittente flato venti.

393. *Fataque ferre*. Burm. coojicit *Fata referre*, hoc sensu: Cæsar ut

Fortunam, sparsas per Gallica rura cohortes
Evocat, et Romam motis petit undique signis.
Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno,
Castraque, quæ Vogesi curvam super ardua rupem,
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

vidit fata (invitus enim accingebatur ad bellum civile) referre bellum civile. Fateor sæpe *que* in *re* in compositis transire et contra : at *referre* posse explicari iterum ferre, repetere omissum, ut supra 180 : « Annua venali referens certamina campo. » Sed magis placet vulgata, et expono, ut videt bellum et fata ferre; i. e. poscere; ut in his: *fert ætas, animus*; et VI, 26: « Si fortuna ferat. » Guietus explicabat *ferre se*, pro *favere sibi*, non quidem male. Ed.

394. *Sparsas per*, etc. Hanc orationem Ravennæ habitam scribit Cæsar, Bell. Civ. lib. I: «Conclamant, inquit, legionis decimæ tertiæ, quæ aderat, milites (hanc enim initio tumultus evocaverat, reliquæ nondum convenerant) ... reliquas legiones ex hibernis evocat, et subsequi jubet. »

395. *Evocat, et Romam motis pet.* sequitur catalogus avocatarum copiarum a præsidiis Gallicis. Qui locus est mentione diversorum locorum atque populorum distinctus et exornatus.

396. *Deseruere cavo*, etc. Evocati discessere, qui tentoria fixerant juxta lacum Lemannum. — *Lemanno*. Lemannus lacus Allobrogum est, Genevam et Lausannam urbes alluens, Rhodanumque impermistis aquis transmittens. Plinius inter miracula fluminum recenset, quod Rhodani dulces aquæ in Lemanno lacu supernatent. Hort. Servius, male hunc lacum fluvium dicens, *Alemannos* hinc denominatos censet ad Virg. Georg. IV, 278. *Cavo*... *Lemanno*. Cavi quidem dicuntur fluvii, Ovid. Ib. 228; Noster II, 422, *Rutubam cavum* dicit. Bene Omnibonus interp. alto et profundo. Sed Burmannus negat *tentoria* in lacu *figi* posse, ut supra v. 381, negavit castra poni in Tybridis undis. Hæc satis inepta esse pronuntiat Oudend. et bene monet *super undas* fluvii idem esse ac juxta, ut apud Liv. XLIII, 21. Ed. Hic vers. a man. sec. in Thuan. I, abest, sed necessarium esse vidit Oudend. propter vocem *deseruere*. Burm. non de lacu, sed de regione ad lacum, intellexit minus bene : nam ita non quadret epitheton *cavus*. Neque alterum argumentum Burmanni melius rem decidit.

397. *Castraque, quæ Vogesi*, etc. Vide de hoc versu et sequentibus Disquisitiones varias. Evocati deseruere castra, quæ ardua, id est, sublime posita super incurvam rupem montis Vogesi, Lingonas pictis armis pugnaces cohibebant, seu ab excursionibus prohibebant. Oudend. Malim *Vosegi* legere, quia eum nomine *Vosges* melius convenit, *s* enim ante *g* ad nostra tempora servatur. Ed.

398. *Pictis armis pugnaces Lingonas*. Vid. Cluv. Germ. Ant. I, 44. Cohibebantur a castris Romanorum præsidiariis, quæ posita erant super rupem seu montem Vogesum. Curva rupes dici potuit, ut curva antra, theatra, pro excavatis vel intro recedentibus. *Pictis armis* omnes de Lingonibus capiunt : sed mavult Burm. ad

Hi vada liquerunt Isaræ, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famæ majoris in amnem
Lapsus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.
Solvuntur flavi longa statione Ruteni;
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,

Romanos referre, ut picta arma sint insignibus decorata. Hoc enim veteranis militibus proprium. Tirones vero pura scuta habuisse patet ex Virgil. Æneid. IX, 548. « Parma inglorius alba. » Sic et legio fulminatrix dicta, quæ fulmen in clypeis habebat. Conjiciunt alii *strictis.* — *Lingonas.* Celtarum pop. *Le pays de Langres.*

399. *Isaræ.* Galliæ Narbonensis fluv. *Isere*, qui in Rhodanum majorem fluvium influens, amittit nomen.

400. *Per tam multa.* Scilicet *spatia, loca*, ut recte supplet Scholiastes: pro eo Noster VII, 423: *Multum terræ spatium* dixit. *Multa* posuit, ut Græci τὴν πολλὴν, et τὴν πολλὴν τῆς γῆς, et L. V, 467: *minimum terræ.* *Tam multa* hoc sensu videtur durum Burm. Nec enim insignis Isara, quod tam multa spatia percurrat, qui ne in æquor quidem exit; et ingeniose satis conjicit *culta.* Infra quidem II, 425: « Radensque Salerni Culta Siler. » — *Famæ majoris.* Oisel. *Melioris.* Sed certe exscripsit Lucanum Ausonius, Mosell. v. 93: « Quum defluxisti famæ majoris in amnem. » Et firmat vulgatam, quia non de bona, sed de magna fama et celebritate agitur.

402. *Solvuntur flavi*, etc. Præsidio Romano solvuntur Ruteni pop. Narbonensis Galliæ, *Le Rouergue*: *flavi* crinibus, vel epith. a ratione nominis. — *Ruteni.* Alii *Suevi* propter epith. *flavi.* Ut L. II, 51: « Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos Albis. » Claudian. in Eutrop. I, 380: « Flavis signabat jura Suevis. » *Flavas* vero *comas* non tantum Germanis, sed et omnibus fere septemtrionalibus populis dant poetæ: sic de Getis Claudian. IV. Consul. Honorii, 54. Sed lectionem *Suevi* falsam bene pronuntiat Oudend. quum *Suevi* sint Germaniæ populi, Noster vero hic Galliæ gentes adhuc describat. *Ruteni* a flavis crinibus dicti, in omnibus scriptis et Edd. antiquis est *Ruteni.* Græcis Ῥουτανοὶ, Ῥουτηνοὶ et Ῥουθηνοί; *Ruteni* Plinio L. III, 9; IV, 19. V. Cæs. B. G. VII, c. 7: « Præsidia in Rutenis provincialibus constituit. » *Ruteni* cujusdam mentio est etiam apud Sueton. in Tiber. c. 19; sed Oudend. malit quoque, quum ibi de Germanis agatur, *Ruterum* vel *Bructerum* scribere cum Torrentio et Vossio ad Vellei. L. II, c. 105. Male.

403. *Mitis Atax.* Est Atax Narbonensis provinciæ fluvius e Pyrenæo monte digressus, cujus accolæ sunt Ruteni. BERS. Hodie dicitur *Aude.* Ad vocem *mitis* adnotat Scholiastes hæc: « Ideo mitis, quia nunquam per illum navigavit classis Romana, sed suorum, nisi dimicante Cæsare; aut mitis, quia lenis et mitis incedit, vel ideo mitis, quia per illum Romana classis navigavit tuta. » Ex quibus rationibus mecum quisque facile videt, secundam esse solum veram; *quia lenis incedit*, et placidus nempe æstate. Quod docet Mela, L. II. 5, 46: « Atax ex Pyrenæo

Finis et Hesperiæ promoto limite Varus ;
Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus,
Urget rupe cava pelagus : non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus : solus sua littora turbat

monte digressus, qua sui fontis aquis venit, exiguus, vadusque est, et ingentis alioquin alvei tenens, nisi ubi Narbonem attingit, nusquam navigabilis; sed quum hibernis intumuit imbribus, usque eo solitus insurgere, ut se ipse non capiat. » Ita *mitescere freta* Ovid. Ep. VII, 179. *Mitior unda* Senecæ Herc. Œt. 651, et de fluvio Ticino Silius, L. IV, 85: « Vix credas labi : ripis tam mitis opacis, etc.» XVII, 641 « nec mitis Iliberus.» Claudian. III. Cons. Honor. 123 : « Eridanus blandosque jubet mitescere fluctus. »

404. *Limite.* Promoto limite, est, prolatis Italiæ finibus; quæ olim angustior. Omnes interpretes ante Grotium *promoto milite* sumebant pro *procul amoto.* Sed verissima est Grotii lectio, et juvat Vibius Sequester, qui sæpe Lucanum ante oculos habuit ; « Varus nunc Galliam dividit, ante Rubicon.» Vide hic versum 216; sæpe hæ voces sunt commutatæ; sic L. IV, 740, in Mss. et Edd. quibusdam *abrupto milite* pro *limite.* Adde Meursium de Funere, p. 190. Drakenburg, ad Silium Ital. L. V, 1. *Varus,* hodie *le Var.*

405. *Sub Herculeo ... nomine. Numine* Msc. et Pulm. Indicatur Herculis Monœci portus et arx in ora Liguriæ, Virg. Æn. VI, 831: « Aggeribus socer Alpinis, atque arce Monœci Descendens. » Bersm. *Numine* et *nomine* commutari solent; quod videri potest ex Drakenb. ad Silium Ital. XVI, 655 : « ... sub nomine quorum Gens Trojana sumus; » ubi videtur doctissimus vir præferre *numine.* Sed dimidia Mstorum pars *nomine* retinet, nec tantum portus ille sacratus Herculi, sed etiam *portus Herculis Monœci* nominatus, ut clare docet Servius ad citatum a viris doctis Virgilii locum, vs. 831 : « Est portus Monœci Herculis. Dictus autem μονοῖκος, vel quod pulsis omnibus ibi solus habitavit, vel quod in ejus templo nunquam aliquis deorum illic simul colitur, ὡς μόνος οἰκῶν » ; et hic Scholiastes : « portus Monœci Herculis sacrari sub nomine », eo sensu dicitur, quo apud Ciceronem, de Nat. Deor. II, c. 26 : « Aer.... interjectus inter mare et cælum Junonis nomine consecratur.» Ovid. Met. IV, 522, « Bacchi sub nomine. » Met. IX, 557. Infra, V, 344, « Nostro sub nomine. » Multa de vario usu τῶν *sub nomine* eruditissime disputat Cl. Burmann. ad Ovidii Trist. L. II, 551 : « Idque tuo nuper scriptum sub nomine Cæsar, Et tibi sacratum sors mea rupit opus;» ubi eadem varietas.

406. *Urget.* Facit enim angustias, ut venientis in arctum maris æstuet magnitudo. Schol. — *Pelagus.* Mare Ligusticum, quod a proxima Liguria nomen habet. Ligures enim inter Macram et Varum flumina sedes habuere, circa ima Alpium latera, quæ sita sunt in Ligusticum pelagus obversa. Hort. — *Corus in illum, etc.* Ventus, qui adversus Aquilonem flat ab ocrasu solstitiali : ἀργέστης.

407. *Jus habet.* Similiter apud

Circius, et tuta prohibet statione Monœci.
Quaque jacet litus dubium, quod terra fretumque
Vindicat alternis vicibus, quum funditur ingens
Oceanus, vel quum refugis se fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,

Petron. c. 94, Italici litoris *possessor* Aquilo dicitur, et Auster possidere dicitur infra, II, 454; IX, 118: *Eurus tenens pelagus;* et hinc Noster *sua litora* Circio assignat. Ita vidimus Boream habitare sub Arcto, apud Ovid. Trist. III, 10, 11. Ed. — *Zephyrus*. Qui adversus Eurum flat, Favonius. — *Solus sua*, *etc*. Circius, ventus Narbonensi provinciæ tantum notus. Vide Gell. L. II, c. 22.

408. *Circius*. Sic dictus, quod omnia turbet et circumvertat; quo minus portus naves in statione adversus Circium tueatur. De hoc A. Gell. « Galli ventum ex sua terra flantem, quem sævissimum patiuntur *Circium* appellant; a turbine opinor ejus ac vertigine. — *Monœci*. Vide Disquis. var. ad v. 408.

409. *Quaque jacet*, *etc*. Evocavit cohortes e Belgarum, sive alius populi Celtici ad Oceanum accolentis, oris, quas fluxus ac refluxus maris senis quibusque horis aut circiter faciunt, ut nunc maria sint, nunc terræ. Cujus æstus et reciprocationis causam, mira cum arte, nec sine eloquentia explicuit *Laplace*, *Exposition du système du monde :* sed hic exquirere se velle negat Lucanus, et sibi latere fatetur. Quod ad Belgas attinet, non affirmaverim certissime de his nunc agi, sed nunquam Bentleio adsentiam pronuntianti de *Sabatis* vel *vadis Sabatorum* (hodie *Savona*) intelligi. Hæc enim in Ligustico mari sita sunt, et nunc ad Oceanum respici nimium patet. Ed. *Quaque jacet*. Cortins *patet*. Minus bene. Nam *jacere* proprium de litore humili et inundationibus per æstum maris obnoxio. — *Litus dubium*. Sic *dubiam Syrtim*, infr. v. 686, et Grat. Cyn. 174, Poet. Lat. Min. nost. Ed. t. I, p. 49. Ed.

410. *Vindicat*. Attribuit sibi. Alii præferunt *Vendicat*. Vid. V, 248. Ed.

411. *Refugis*. Thuan. 204 *refluis*, solenni varietate. *Refugum mare* apud Stat. XII, 634. — *Aufert*. Retrahit se.

412. *Ventus ab*, etc. Notabilis hic Scholiastæ locus est : De æstibus Oceani scire volentibus aliquid dicamus secundum Macrobium (Somn. Scip. L. II, c. 9.) Nam dicit, verum Oceanum esse ab exortu æquinoctiali usque ad occasum ejusdem. Supra autem Zodiacus. Unde sol et septem planetæ semper super id currunt, quod quatuor ex se effusiones facit. Duas quidem in Oriente, quarum altera tendit in Septemtrionem, altera in Austrum, et duas in Occidente : quum ultra non potest procedere; quæ similiter in Septemtrionem et Austrum reflectuntur. Quum ergo hæ quatuor reflexiones hinc in Austrum, hinc in Septemtrionem simul conveniunt, ex sua collisione æstus illos faciunt; unde et nunquam in Oriente vel Occidente fiunt. — *Volutet*. Volvat. Pro *sic* Burm. malit *sive* et pro *ferens, fretum*, ut sic explicet : « Sive ventus mare in litus volutet, sive fretum recedens destituat. » Pariter Manilius II, 89:

Destituatque ferens, an sidere mota secundo
Tethyos unda vagæ lunaribus æstuet horis:
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,
Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat,
Quærite, quos agitat mundi labor: at mihi semper
Tu, quæcumque moves tam crebros causa meatus,
Ut superi voluere, late. Tunc rura Nemetis
Qui tenet, et ripas Aturi, qua littore curvo
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor,

« Si pontum movet et terris immittit et aufert. » *Extremo*. V. sext. a. m. 1. *Externo*.

413. *Destituatque ferens*. An eo cessante fiat refluxus. — *An sidere mota secundo*. Luna, quæ post solem secunda est; Sulpitius minus bene explicat, favente et prospero.

415. *Hauriat undas*. Attrahat, ebibat quo alatur. Stellas enim igneæ esse naturæ et τρέφεσθαι ἐκ τῆς ἐπιγείου ἀναθυμιάσεως opinabantur Heraclitus et Stoici. Plutarchus ; de placitis philos. et Cic. de Nat. Deorum, L. II. Sic apud Virg. Æn. I: « convexa polus dum sidera pascet. » et Noster, IX, 313: « Titan ponto sua lumina pascens. »

417. *Quos agitat mundi labor*. Hoc est, o philosophi, qui naturam mundi studio et labore investigatis. Sulp.—*Mihi*. Me; *vel*, quantum ad me.

418. *Moves*. B. 1. *Mones*.

419. *Late*. Imperandi modo, et superius eodem modo usus est, quum dixit: « Quærite, quos agitat mundi labor, etc. » Alii *lates*: et sic A. Gron. mavult legere ad Justin. L. XIII, c. 8: *Sed res Eumeni non latuit*. Sed male. Non enim auctor tantum dicit, sibi eam causam latere; sed se non curare, an lateat illa, necne, et vult, ut alii hoc inquirant, quos agitat mundi labor. i. philosophi, ut addit Schol. —*Nemetis*. Vide Disquisitiones nostras ad v. 419. In Gallia est *Augusto Nemetum*, in Hispania *Nemetobriga* oppidum et populi Nemesani. Nemetes, populi Belgarum Ptolemæo memorantur, sed secunda brevi. Burmann. locum se ignorare fatetur. Ed.

420. *Aturi*. Sic reposuimus, quum plerique omnes haberent *Satyri*. Est autem Atur, vel Atyrus, fluvius ex montibus Pyreneis fluens in Tarbellis, supra aquas Tarbellicas Oceano Tarbellico exceptus. Scalig. Castig. in Tibul. Vide et Turneb. L. XVII. Adversar. c. 9. Emendavit quoque Vinetus ad Florum, L. I, c. 7. Ausonius tamen, Mosell. vs. 467: « Numine adorato Tarbellicus ibit Aturrus. » Nugæ sunt reliquorum commentatorum hariolationes, et præcipue Beroaldi, qui hic, nescio quid, de Satyro Marsya somniat. *Aturi*, hodie l'*Adour*. Vid. Poet. Lat. Min. T. I, p. 274. Ed. Omnibonus male Satyri nomen de Germaniæ fluvio interpretatur, eo, ut puto, deceptus, quod Nemetum nomen proxime antecedit.

421. *Claudit*. Voss. sec. pro varia lect. *recipit*. — *Tarbellicus*. Vide Disquisitiones varias ad hunc vers.

Signa movet; gaudetque amoto Santonus hoste,
Et Biturix, longisque leves Suessones in armis :
Optimus excusso Leucus Rhemusque lacerto,
Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis;
Et docilis rector monstrati Belga covini;
Arvernique ausi Latio se fingere fratres,

422. *Signa movet.* B. 1. *movent.* Discedit. — *Gaudet... Santonus.* Vide Disquisitiones varias ad hunc vers.

423. *Biturix.* MS. 7900 *Bituri.* Galliæ Aq. urbs, *Bourges.* Sunt et Bituriges Vibisci, nempe Burdigalenses. — *Suessones armis :* nam hi inter Germanos Suevos proximi Menapiis sunt, usque ad Sequanæ amnis exitum, ut Strabo tradit. Plin. Suessones in Belgica ponit. SULP. Vide Disq. var. ad calcem hujus lib. *In armis esse*, pro bellum gerere, est apud Livium, L. I, c. 19; Ovid. Art. Am. II, 147; Suet. Cæs. c. 69; ἐν ὅπλοις εἶναι Herodot. L. I, c. 13, et sæpe. Per *longa* arma Valesius intelligit *scuta*, quibus, propter corporum proceritatem eximiam, longioribus utebantur, ut de Senonibus Gallis Virg. Æn. VIII, 662 : « Scutis protecti corpora longis. » Sed melius Burmannus de contis capit, quibus habiliter usos populos barbaros satis exploratum est. Hoc confirmat Noster, VI, 259 : « Cantaber exiguis aut longis Teutones armis. » ED. — *Suessones.* 8040 et 7900. *Sessones.*

424. *Leucus.* 7900 *Leucus Remisque.* Leucorum oppidum est, Tullium, hodie in Lotharingia, ut et apud Ptolemæum proditum, *Toul (Meurthe).* Vide Harduin. ad Plin. L. IV, c. 17. Sed in Voss. sec. ridicula hæc addit glossa, « quia remiges sunt »; quum jaculandi peritos Noster intelligat. Notus est Galliæ populus *Rhemi*, uti in Edd. Cæsaris scribitur, vel *Remi*, ut in Plinio, græce Ῥῆμοι, (hodie *Reims*). — *Excusso... lacerto.* Hoc poetæ adscribere solent jaculanti, vel hastam aut aliud telum magna vi lacerti emittenti. Vide infra, II, 502 et III, 567 : « Jam non excussis torquentur tela lacertis. » Ovid. Epist. IV, 43 : « Aut tremulum excusso jaculum vibrare lacerto. » Ex Ponto, II, 9, 57 : « Atque ut es excusso jaculum torquere lacerto. » ED.

425. *Optima gens, etc.* Sequanæ fluv. *Seine*, accolæ. *Bourguignons*, equitandi periti. — Sequana. M. H. *Secana.* V. 1. *Sequena.* — *Flexis in gyrum.* Vide ad Stat. Silv. V, 2, 129; tom. I, p. 600.

426. *Et docilis rector.* Et Belgæ pop. Oceano, Rheno, Matrona et Sequana inclusi, e vehiculis falcatis præliantes. — *Monstrati.* A Britannis et Germanis, qui plurimum illis utuntur et valent : sic Sulpit. et Ascens. Dicitur autem nominativo casu covinus. Genus est vehiculi falcati. Martialis, Lib. XII, ep. 24 : « O jucunda Covine solitudo, Carruca magis, essedoque gratum Facundi mihi munus Æliani, etc. » Ex his vehiculis autem etiam pugnare solebant, ut Pomponius de Britannis tradit, Lib. III, Geograph. Et Diodorus, Lib. VI, Hinc Covinarii dicti apud Tacitum, in vita Agricolæ. MIC. Vide Disq.

427. *Arverni.* Quod hic Arvernis

Sanguine ab Iliaco populi; nimiumque rebellis
Nervius, et cæsi pollutus sanguine Cottæ;
Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis

Lucanus, hoc alii Heduis adscribunt. Ut Cic. ad Trebatium, L. VII Epistol. et ad Atticum L. I, ubi inquit: « Nam Hedui fratres nostri pugnant; Sequani male pugnarunt. » Et Tacit. Ann. XI, 25, qui, « Primi (inquit) Hedui senatorum in Urbe jus adepti sunt, datum id fœderi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.» Eumenii Panegyricus ad Constantinum: « Quænam gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Æduis se postulet anteponi, qui primi omnium plurimis senatusconsultis fratres populi Romani appellati sunt? » Sunt tamen Arverni et Hedui vicini inter se, eoque factum videtur, ut poeta alterum nomen pro altero posuerit. MICYLL. *Alvernique* MSS. tria; minus bene. Indicantur enim Arverni Heduis (sive Æduis) finitimi, quos Cicero quoque fratres appellat P. R. et Tacitus. BERSM. — *Latio se f. fratres.* MS. *Latiis*, alii *Latios*. Primus Pulm. *Latio* recte; ut jam olim monuerat Vinetus ad Flor. L. I, c. 7. *Latiis* etiam non damnandum videtur Oudend. *Latio* in solo Wittiano est a manu prima. Cæterum ii facile refelluntur qui putant Lucanum hic Arvernos pro Æduis posuisse. Nam Ædui non possunt dici « fingere se esse fratres; » quum ab ipsis Romanis passim ita vocentur; immo a senatu sæpenumero fratres consanguineique appellati sint, teste Cæsare, L. I, B. G. 33. Præterea illi non potuissent « gaudere amoto hoste Romano, » eujus erant socii et amici. Recte igitur Arvernos ipsos intelligit, quos nominat, qui ab Iliaco sanguine oriundi, et ab Antenore conditi, etiam fingunt se esse fratres Romanorum; eam proculdubio ob rem, ut eodem modo ac Ædui, sui vicini, a Romanis haberentur, et eodem fœdere gauderent. Distinguit eos etiam ab Æduis Lipsius ad Tacitum, Ann. XI, c. 25. Reservavit autem Scholiastes nobis hoc loco fragmentum Ciceronis ex Oratione pro Scauro. Ait enim ad v. *Arverni:* De his Cicero in Scauriana: « Inventi sunt qui etiam fratres populi Romani nominarentur. »

428. *Iliaco populi, etc.* Trojano; proditur enim Antenorem exstruxisse Clarum montem.

429. *Nervius.* Unum dicit pro populo. Nunc *Hainaut* et *Cambrésis*, apud Eburones. Titurius Sabinus et Aurunculeius Cotta, eum quinque cohortibus, in hibernis cæsi sunt fraude Ambiorigis, et apud Carnutes C. Fusius Cotta rei frumentariæ præfectus. Cæterum valde me offendit hic ingratissima repetitio τοῦ *sanguine* in duobus versibus, licet non negem Lucanum sæpe eamdem vocem pauceis interjectis versibus adhibere, ut dein pluribus videbimus. Quid ergo? pro *sanguine* quidam Codd. *fœdere*. Quod rectum opinatur Oudend. Legati enim hi per insidias cæsi sunt, et in colloquio de pace. Vide J. Cæs. B. G. L. V, 36, 37; Suetou. Cæs. c. 25; Livii Epit. CVI. An potius scribendum *funere*, vel *vulnere*. Passim enim *funus* et *fœdus*, *funus* et *vulnus* commutari scimus.

430. *Te laxis.* MS. 7900 *te longis.*—

Vangiones; Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ : qua Cinga pererrat

Braccis. Quod hic de Sarmatis meminit Lucanus, idem Ovidius Trist. III : « Pellibus et sutis arcent mala frigora braccis, Oraque de toto corpore sola patent. » Et Mela, Lib. II Geograph. de Sarmatis loquens : «Totum braccati corpus (inquit) sunt, et nisi qua vident, etiam ora vestiti.» Videtur autem *Bracca* id vestimenti genus fuisse, quod vulgo *caligas* nostri vocant, præsertim thoraci continuatas atque connexas. Id enim et græcum vocabulum arguit, quod ab attrahendo factum est, ut Eustathius docet, qui de Thersite exponens versum hunc Iliad. L. II : Χλαῖνάν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει. Τὸ δὲ, ἃ αἰδῶ ἀμφικαλύπτει, inquit, περιφραστικῶς εἶπε. Οὐ γὰρ ἔκειτο ἴσως μία λέξις δηλωτικὴ τοῦ καλύμματος τῆς αἰδοῦς, ὅπερ οἱ Ῥωμαῖοι μὲν Βράκαν φασὶν, ἕτεροι δὲ ἀναξυρίδα, ἐκ τοῦ ἀνασύρεσθαι. Quamquam idem per *braccam* et ἀναξυρίδα non totas caligas, sed eam solum partem, qua femina teguntur, accepisse videatur, quod *subligaculum* alii, et περίζωμα græce appellare malunt. Cæterum de caligis, quas vulgo dicimus, etiam Tacitus intellexisse videtur, H. II, 20, ubi de Cæcina loquens, « Ornatum ipsius (inquit) municipia et coloniæ in superbiam trahebant : quod versicolore sagulo, braccas, tegmen barbarum, indutus, togatos alloqueretur. » Idem enim et Plutarchus in Othon. ait, his verbis : Ἐκεῖνον δὲ Κεκίνας ὄντα σχῆμα δημοτικός, ἀλλ' ἐπαχθὴς, καὶ ἀλλοκότου σώματος μεγάλου γαλατικῶς ἀναξυρίδι, καὶ χειρίσιν ἐνεσκευασμένος, etc. ἀναξυρίδα s. vocans, quas nos caligas. Sed alii Lucani locum etiam de vestibus exterioribus exponunt, propterea quod *laxas braccas* dixit poeta, non, ut Ovidius, *sutas*, aut simile aliquid : Diodoro fortassis freti, qui libro sexto Antiquit. de Galatis loquens (quo nomine veteres Græci Germanos fere appellarunt) ἐσθῆσι δὲ χρῶνται καταπληκτικῶς χιτῶνας μὲν βαπτοὺς χρώμασι παντοδαπῶς διηνθισμένους, καὶ ἃς ἀναξυρίδας, ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι. Vide Baysium de re vestiaria. Meminit autem et Martialis bracarum, ubi inquit : « Quod veteres bracæ Britonis pauperis, etc. » Et rursum : « Mittentur bracæ, cultelli, frena, flagellum, etc. » Ab his et *Bracata Gallia* olim dicta fuit, quæ eadem, et *Transalpina*, et postea *Narbonensis*, quod bracis, brevioribus tamen illis, ut puto, uterentur. MIC. De Sarmatis etiam Valer. Flaccus, L. V Argon. 425 : « Et jam Sarmaticis permutant carbasa braceis. » Pluribus de usu bracæ, præter alios, disserit Passerat. ad Propert. Late de ea egerunt quoque Cluverius in Ant. Germ. L. II, c. 16; Casaubonus, et Salmas. ad Histor. Aug. Scriptores, et ad Suetonii August. ut et Scaliger ad Propert. IV, 10, 43. Rescripsit Oudend. cum Micyllo *bracis :* vulgo *braccis*, vel *brachis*, et *bracchis*. Unico c scribitur in sex vetustissimis codicibus : Græci enim βράκαι, non βράκκαι, dicunt. Vide Dausquei Orthogr. P. II, p. 61.

431. *Vangiones.* Wormacenses. *Wormes.* — *Batavique.* Batavi vero sunt Fresones. SCH.

432. *Acuere.* Incitavere in bella. — *Cinga pererrat, etc.* Fl. e Pyrenæis, non procul a Narbonensi provincia.

Gurgite; qua Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim; qua montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas :
*(Pictones immunes subigunt sua rura; nec ultra
Instabiles Turonas circumsita castra coercent.*

Cæs. B. C. Pro *Cinga*, Bentl. mavult *Sulga*, h. e. *la Sorgue*, quod nomen Straboni debemus. Is autem in Rhodanum incidit supra Avenionem. Quod firmare videntur sequentia ubi Rhodani et Araris mentio fit. Oudend. mavult *Linga* in Batavis.

433. *Rhodanus*, etc. *Le Rhône*, in quem influit Arar (*la Saône.*) — *Raptum velocibus undis Ararim.* Alias Arar per se segnis, et lenis est. Cæs. B. G. I, c. 12 : « Arar, quod in Rhodanum influit, incredibili lenitate, etc. » Hinc infra, L. VI, 475, conversa per veneficam rerum natura.... « Rhodanumque morantem Præcipitavit Arar. » Ex nostro Silius de Rhodano et Arare, L. III, 453 : « Cunctantem immergit pelago, raptumque per arva Ferre vetat patrium vicina ad litora nomen. » Claud. II, in Eutr. 269 : « Quam Rhodano stimulatus Arar. » Passim hæc flumina jungunt; sic Tibul. L. I, El. 7, 11 : « Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna, Carnuti et flavi cærula lympha Liger. » Etiam accolas; hinc *Rhodanici* et *Ararici* apud Gruterum inscript. T. I, p. CDXVIII, 3. — *Raptum*, V. I, et 8040. *Raptim.*

435. *Cana pendentes.* MS. 8040 *Conas pendenti.* Reg. 1. *Pendentes.* — *Gebennas.* Montes nivales, qui Arvernos ab Helviis discludunt. Hic offendit Bentl. repetitio in *montibus* et *rupe* : ideo malit *nubibus ardua summis*; quod falsum demonstrat *summis*, quod de nubibus dici nequit. Ed. Nomina mire confusa fuerunt, ut *Gebenna* mons pro urbe *Geneva* ; item pro oppido *Genabo* usurpatum sit nomen, et *Genuam* multi *Januam* nominarent. Gebenna Cæsari dicitur, et Ausonio *Cebenna* est, prima similiter brevi; sed et *Cœbennarum* prima syllaba producta videbis. Vide Poet. lat. min. T. IV, p. 524, nost. Edit.

436. *Pictones.* Quinque hos versus MSS. antiqui omnes non habent. Itaque H. Grotius hos quinque versus adjectitios credit; neque latinos, nec poeticos esse pronuntiat. Primus eos in textum recepit, quod sciam, Pulmannus, quam secutus est Bersman. et alii. Desunt in MS. 7900; unde conjicitur eorum auctorem fuisse Marbodum, episcop. Rhedonensem. Immo Turnebus, p. 789, spurios illos esse recte censet, addo, nec dignos qui emendentur, aut explicentur. — *Pictones immunes.* MS. 8040 *Pictonus immunis subigit.* Ciacconius jungit « Gens habitat cana pendentes rupe Gebenna Pictones » : verum neutrum potest esse verum. Nunquam enim hæc gens *Pictoni*, sed *Pictones* vocantur; neque Pictones, gens Aquitaniæ, possunt habitare in monte Gebenna, inter Arvernos et Helvios. Præterea non credibile est Lucanum hic iterum mentionem injecisse de Aquitanis, quos jam ante multis descripserat. *Pictones.* Aquitaniæ populorum regio *Poitou.* *Immunes*, etc. Amotis præsidiis Romanis.

437. *Turonas.* Ita reposuimus ex

In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus
Andus, jam placida Ligeris recreatur ab unda.
Inclyta Cæsareis Genabos dissolvitur alis.)
Tu quoque, lætatus converti prælia, Trevir;
Et nunc, tonse Ligur, quondam per colla decore

MS. quo usus Canterus, in quo *Turonos;* et sic habet 8040 quem vidimus. Ejusdem libri fide hunc versum illi *In nebulis* præposuimus, aliquo nunc sensu, qui nullus alias. *Turonas*. Quorum territorium *Touraine*, urbs *Tours*.

438. *In nebulis. In ripis* Accursius et Turnebus ediderunt. Ausonius in Cupidine crucifixo : « Quorum per ripas nebuloso lumine marcent.» Fluvii enim et paludes passim nebulosæ describuntur. Pro *Meduana* Canterus et Ciacconius *Meditana :* sed Turnebus monet se audivisse fluvium illum illis in locis suo tempore nomen *Meduanæ* retinere. Veterum, quod sciam, nullus facit hujus fluminis mentionem ; recentiorum est inventum. Ex alio loco Theodulti Aurelianensis constat in Gallia Lugdunensi fuisse. Andegavenses a fontibus fluvii Meduanæ, *le Maine*, movent Ligerim versus, *la Loire*.

439. *Andus*. Malit Grotius *Andis;* nam plurale est *Andes* apud Cæsarem. Omnes alii retinent *Andus*, contra Cæsarem non modo, sed et Plinium, quibus ubique *Andes* vocantur. Sed hic, ut cæteri, spurius quoque versus.

440. Hic versus in MS. 8040 deest. *Genabos*. Eadem urbs quæ Genabum aliis, ut facile genera mutantur in peregrinis vocibus. Ita autem rescripsimus pro *Menabos*. GROT. *Genabos*. Oppidum ad Ligerim situm in Carnutibus, nunc *Orléans*, seu potius *Gien*.—*Dissolvitur*. Nempe liberatur *alis*, seu turmis vel præsidiis Cæsareis. Sed *dissolvi alis* non alias dictum est.

441. *Converti prælia*. E Gallia in Italiam transferri bella. *Trevir*. Pop. Belgiæ, quorum metropolis *Trèves*.

442. *Tonse Ligur*. Liguria a Ligisco, Phaetontis filio, dicta, inter Galliam, et Hetruriam, et Macram, et Varum flumen ab imis Alpium jugis extenditur: ejus caput est Genua. Sulpitius censet legendum esse *Liger*. Oritur Liger, qui et Ligeris, e Cemenis montibus in finibus Arvernorum, Hednos a Biturigibus intersecans, non procul a Pictonibus in Oceanum Britannicum exit. Cæsar, lib. VII de B. Gallico c. 55 : « *Liger* ex nivibus creverat. » Et paulo post c. 56: « Magnis itineribus ad Ligerim pervenit. » Gallice *Loire*. — *Tonse Ligur, etc*. Gallia olim omnis fuit Comata. Cisalpina, in qua Ligures primum posuerunt capillos, sumpseruntque togas, ideo fuit togata dicta. Transalpina omnis Comata, præter Narbonensem provinciam, quæ Braccata dicta fuerat. Plin. lib. I, c. 17, et lib. III, c. 44. Sunt qui *Liger* legunt, et Ligeris fluv. accolas intelligunt, sed nihil mutandum. Tonso nunc Liguri opponit Galliam Comatam. — *Decore*. Sic MSS. 3 et 8040, quod vocandi casu vult esse Bersmannus. *Decore* etiam habent Vossiani quinque. Sed adverbium est, ut constructio sit : « crinibus per colla

Crinibus effusis toti prælate Comatæ;
Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus;
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.
Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,

decore effusis.» V. Claudian. Cons. pr. Stilich. II, 241. Burm. *decora.*

443. *Prælate.* Dicit Ligures virtute, Comatis prælatos. — *Comatæ.* Voss. 1. et 7900 *Cometæ.* Manifestum est Galliam Comatam intelligi, quanquam id sine exemplo dicat Gujetus.

444. *Et quibus immitis.* Hic et duo seqq. versus Gujeto spurii videntur.

445. *Teutates, Hesus; et Taranis Scythicæ, etc.* Mercurius, Gallis Theutates, Ægyptiis ΘΕΥ̓Θ. Plato in Phæd. et Philebo. Cic. de Nat. Deor. III, c. 22. Livius, L. XXXVI; Hesus, sive Heus; Mars, cujus victimæ fuere mortes captorum. Jorn. L. de Reb. Goth. His omnibus litatum humanis hostiis, uti Dianæ Tauricæ. Vide Cæs. lib. VI de Bello Gall. Solin. c. 34; Melam, lib. III, c. 2; Pithœi adversaria, L. I, c. 3; Cluverium, L. I de Ant. Ger. c. 22, 26 et 28. —*Hesus. Esus* habent manuscripti, quomodo hoc nomen et apud Lactantium legitur, de Falsa Rel. L. I, cap. 21. *Æsus.* «Mars sic dictus a Gallis hominum cruore placabatur.» Quidam hoc sumunt ab *edendo.* Plura de Heso vide apud Bochartum, L. I Canaan. c. 42. *Esus* habet 7900. Vide ad hunc versum Disquisitiones varias ad calcem huj. lib.

446. *Et Taranis, etc.* Expono quibus placatur deus tonitruum, deus *Thor*, qui Latinis Jupiter, sævior Diana Scythica. Sensus perspicuus, sed verba intricata. Nam si sic struuntur: «Quibus placatur ara Taranis non mitior (*ara*) Scythicæ Dianæ», dura ellipsis est. Si vero ara Taranis non mitior Dianæ, hellenismus est vix admittendus. Heins. non immerito volebat Scythica... Diana. Ed.— *Taranis.* Quasi βρονταῖος, *Tonans*, a Tatau, quod Wallis Britannis, qui veteris Gallicæ linguæ vestigia et reliquias retinent, *tonitru* sonat, ut videtur Phil. Cluverio, L. I de Antiquitate Germaniæ, c. 9. Jupiter sic dictus a Gallis, qui sanguine humano placabatur, cujus ara non mitior ara Scythicæ Dianæ dicitur, quia ad similitudinem Dianæ, quæ in Taurica Scythiæ regione colebatur, cui sacerdos Iphigenia erat, humano cruore lætabatur. Schol. *Tanarus* ille deus vocatus est, non *Taranis. Ara Taranis,* id est, Tonantis. Inscriptio est vetus I. O. M. TANARO apud Sponium, Sect. III, p. 73.

447. *Vos quoque, etc.* Transitio ad Gallos, quorum sacerdotes, Gallia pacata, ad intermissa studia et sacra se convertebant; et pro concione laudabant eos qui fortiter in præliis occubuissent. Hort.

448. *Dimittitis.* Hoc est, extenditis, dispergitis, divulgatis. Seneca, Ep. 31: «In populos nominis dimissa

Plurima securi fudistis carmina, Bardi.
Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum, Druidæ, positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos et cæli numina vobis,

notitia ». Statius, Thebaid. I, 185 : « Fraternasque acies fetæ telluris hiatu Augurium seros dimisit ad usque nepotes. » Eadem significatione Noster, VIII, 608, dixit : « in secula mittere », et sic sæpe alii. Male alii tentant *demittitis*. Vide Markl. ad Stat. Silv. III, 3, 77 : « Dimissus in axem. » Ed.

449. *Securi fudistis carmina*. Bellico tumultu et trepidatione soluti : inter arma enim silent musæ. — *Bardi*. Ὑμνηταὶ καὶ ποιηταὶ, inquit Strabo, L. IV, qui, præter hos et Dryidas, tertium genus τῶν τιμωμένων recenset, οὐάτεις, ἱεροποιοὺς καὶ φυσιολόγους. Pompon. Mela, L. III, c. 2. Plurima de Bardis memoravit *de Marchangy*, *Gaule poétique*, 1re *époque*, 1er *récit*, p. 32 et seqq. ubi vide, et quos citat auctores, scilicet Amm. Marcell. L. XV; Diod. Sicol. L. IV vel V; le P. Mabillon, T. III *Ann. Bened. Dom Martin*, *Hist. des Gaules*; *préf. D. Rivet*, *Hist. litt. de la France*, T. I; Possid. apud Athen. VI, p. 84; Ælian. Var. Hist. L. XII, c. 23; Strab. L. IV; Amm. Marcell. L. V, c. 9. Vide *M. Delarue Recherches sur les ouvrages des Bardes Armoricains*, p. 30 et seqq. Beda, de Anglo-Sax. IV, 24. Si Beroso Viterbiensi eredendum est, Bardus apud Celtas regnavit, qui inventione carminum et musices apud illos inclytus fuit. A Bardis facta vox *barditus*, quam apud Tacitum pro canto multi accipiunt. Lib. de Mor. Germ. — Male Briosius interpretatur *securi*, quia mortem non timerent, nec timendam esse iocinerent auribus populorum. Certe illos sic sensisse memorant multi, et ipse Lucanus, infra, vers. 454. Sed hic securi dicuntur ob discessum Cæsaris in Italiam ; non quia vulgaribus affectibus liberi. Ed.

450. *Et vos, etc.* Vos, druidæ, post Cæsaris discessum restituistis diræ immanitatis religionem, et sacra plusquam Scythica, humanis hostiis aræ admotis et a tergo cæsis.

451. *Druidæ*. Πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. Strabo, L. IV. Horum erat sacrificia curare, jura religioois interpretari, etc. Cæs. de Bello Gall. L. VI. Magi et sacerdotes Gallorum. Marcell. L. XV. Vide et Cluverium, de Antiq. German. L. I, c. 24; Mel. L. II, cap. 3.

452. *Solis nosse Deos*. Propter paradoxa et diversas a cæteris sapientibus opiniones, de Deo, anima, mundo, etc. expono : Soli potuistis ex Diis eligere qui colendi sint, et qui ignorandi sint. Luditur in discrimine verborum *nosse* et *nescire*. Terent. Heautont. v. 4 : « Nescio Deos. » *Sancice* pro *nescire* voluit Gujet. nec probat. Pro numina Oudend. ex regio codice profert *lumina*, ut sidera intelligantur. Druidæ enim et astrorum periti fuerunt, ut ex Strabone patet. Sed hæc secretior disciplina : unde infr. 639, de Figulo : « Cui cura deos secretaque cæli Nosse fuit. » Servari autem potest *numina*, et de sideribus intelligi. Singulas enim stellas Deos numerari ait Cicero, de

Aut solis nescire datum; nemora alta remotis
Incolitis lucis. Vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt : regit idem spiritus artus
Orbe alio : longæ, canitis si cognita, vitæ
Mors media est. Certe populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille, timorum

Nat. Deor. L. III, cap. 16. Sic Calisto in sidus evecta *facta Dea est* apud Ovid. Met. II, 520. Apud Calpurn. Ecl. III, 21, sidera cæli sunt ipsa *numina*. Ex his refellitur conjectura Bentleii reponentis, *et cæli munera*, quod de animæ immortalitate intelligit.

453. *Nemora alta, etc.* Unde et iis nomen, a δρῦς. Plin. L. XVI, c. 44. —*Remotis... lucis.* Corrigit Oud. ex regio cod. *remoti luci*. Scilicet displicebat Oudendorpio *nemus incolitis in lucis*. Sed non idem est *nemus* quod *lucus*. Nemora alta arant late patentia, in quorum loco secreto et consecrato, qui *lucus* dicitur, sacra peragebant. Druidæ argo in lucis remotis, id ast, in ea parte quæ interior et sacratior erat, incolebant nemora alta. Præterea inconciuna est lectio *remoti... luci*, nam nemora alta plurali numero *lucos* quoque requirere videntur. Nec arat cur Oudend. offenderet ingratus sonus quatuor verborum in *is* exeuntium; nam hæc ὁμοιοτέλευτα raro vitavit Lucanus. Cæsar, Bel. Gall. VI, 13 : « Druides... consulunt in luco consecrato. »

454. *Vobis auctoribus, etc.* Vos adseritis animas e corporibus migrantes non descendere ad inferos, sed ad orbem alium in alia corpora migrare, atque hinc felices prædicat Septemtrionales, qui, disciplina horum instituti, τὸ πάντων φοβερώτατον, mortem contemnunt, immo appetunt, ut quæ viam ad immortalitatem sternat. Pomp. Mela, L. III, c. 2.

455. *Erebi sedes.* Locutionem hausit ex Virg. Georg. IV, 471 : « At cantu commotæ Erebi de sedibus imis Umbræ ibant tenues. »

456. *Regit idem spiritus artus Orbe alio.* Citat Servius ad Georgicon I, 243, aitqua congruere eum philosophis, qui recedentes hinc animas illic alia corpora aiunt sortiri. Uti et Æn. L. VI, 532. Pythagoræ doctrinam a Druidibus quoque doceri putaront veteras. Vide Ammian. Marc. L. XV, c. 9, et ibi Lindenbr.

458. *Mors media est.* Id est, media morte pervenitur ad æternam illam vitam. SULP. Scilicet illorum opinio, quæ et a Christianis adserta est, docebat mortuos iterum excitatum iri; et ad aliam, sed beatiorem vitam in orbe alio agendam transituros : ideo inter hanc in terra at illam æternam seu longam vitam, *mortem esse mediam*. Similis usus vocis *medius* VI, 99 : « Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque, » ubi agitur de subita morte, inter quam at vitam nullus est morbus medius. ED.

459. *Felices.* Hæc ast illorum felicitas, mortem non timere. Vide

Maximus, haud urget leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis; et ignavum rediturae parcere vitæ.
Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces
Deseritis ripas, et apertum gentibus orbem.
Cæsar, ut immensæ collecto robore vires

Epitom. Iliad. Hom. v. 937, Poet. lat. min. T. III, p. 596; nost. Edit.

460. *Inde ruendi, etc.* Insolita sane constructio mens *prona ruendi*, sed ridiculum est reponere *inde profecto*, ut suadet Bentleius. Ed.

461. *Animæque capaces Mortis.* C. Barthius et N. Heinsius legunt *rapaces*, i. e. cupientes mortem, quasi ad immortalitatem ituri. Seneca, Cons. ad Helviam, c. 16: «Beneficio rapacis ingenii plus quam pro tempore hausisti.» Statius, Theb. XII, 680: «Ambæ hilares, et mortis amore superbæ.» Et Noster, VIII, 364: «Indomitus bellis et mortis amator.»

463. *Et vos crinigeros bellis, etc.* Et vos in præsidiis positi ad cohibendos Chaucos (quos Claudianus ad Stilich. appellat *Chaycos*: sunt autem *Frisii*, Groningenses, Bremenses et Luneburgenses) evocati a Cæsare, deseritis Rheni ripas et Germaniam. — *Crinigeros.* Cur hoc epitheton det Chaucis non videt Oudend. omnes enim homines sunt *crinigeri*. Sed de crinibus nostrorum proavorum vide Tacit. de Mor. German. c. 38. Cortius profert *belligeros* et *armigeros*. Sed potest assignari certæ genti κατ᾽ ἐξοχήν, ut v. 442 supra, *tonsus Liger* opponitur *comatæ Galliæ*. Sic et in epulo Didonis, Æn. I, 740, *crinitus Iopas*, non quia cæteri erant calvi, sed quia ille intonsis erat capillis. Nil est ergo cur admittas *cirrigeros*. — *Bellis arcere...* oppositi arcere, id est, ad arcendum, reprimendum. Sed Bentl. rogat unde vel quibus *arcere*. Ut Æn. I, 31: «Arcebat longe Latio.» Igitur conjicit *Belgis arcere*: sed simpliciter *arcere* poni potuit.» — *Rhenique feroces.* Cod. Thuan. 4 *Rhenique feraces*, sed errore; nam supra, v. 431, Batavos *truces* vocavit.

465. *Orbem apertum.* Orbem Germanicum dicit. Hort. sed Burmann. intelligit Britanniam, quasi orbem a Cæsare patefactum; et hoc confirmeri putat ex II, 570, ubi Rhenus et Britannia, ut hic, etiam conjunguntur, et a Cæsare fugiente deserta exprobrantur ipsi a Pompeio. Sed minime hoc admitto. Manifeste dicit Lucanus *orbem*, id est, possessiones Romanas patere nunc barbaris, discessu militum qui illos arcebant. *Gentibus* enim idem valet ac barbaris et exteris nationibus, v. g. Caycis. Immo tum in Britannia nulli erant Romani milites. Ed.

466. *Cæsar ut immensæ.* Ab enumeratione populorum, quos vicerat Cæsar, quique eum sequuti ad bellum fuere; ad intermissam rerum gestarum seriem redit poeta, et primum narrat, quanta trepidatione, tumultu ac pavore Urbem, totamque Italiam

Audendi majora fidem fecere, per omnem
Spargitur Italiam, vicinaque mœnia complet.
Vana quoque ad veros accessit fama timores,
Irrupitque animos populi, clademque futuram
Intulit, et velox properantis nuntia belli,
Innumeras solvit falsa in præconia linguas.
Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Adferat, et, qua Nar Tiberino illabitur amni,

fama ejus adventus compleverit. — *Cæsar, etc.* Cæsar, evocatis legionibus et subsequi jussis, Pisaurum, Fanum, Anconam, cæterasque Italiæ urbes præsidiis firmat. Cæs. C. B. I, 14.

467. *Fidem fecere.* Nempe Cæsari fiduciam auxerunt; nec hoc de Pompeio capiendum, ut male Burm. Ed.

468. *Cæsar... spargitur,* id est, vires, vel copias spargit; nec erat cur Cæsarem in frusta sparsum esse somniaret Bentl. ac reponeret: *Terror, ut immensæ.* — *Spargitur* optime celeritatem miram depingit, qua Cæsar in diversa loca discurrit, et bene congruit cum sequenti *complet.*

469. *Vana quoque, etc.* Fugæ igitur et conversiones omnibus in locis summa trepidatione fieri cœptæ, etc., quum Cæsarem cum universis copiis adesse crederent. Appian. II; Petronius Bel. Civ. v. 215: « Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella Ante oculos volitant, etc. »

470. *Clademq. fut. Intulit.* Notandus hujus verbi usus, hoc sensu, portendit, prænuntiavit. Male Jever corrigit *impulit,* quod explicat, *promovit,* vel accelerat. Qui si probetur sensus, clarius sane ex lectione *intulit* emergit. Ed.

471. *Velox properantis, etc.* Virg. Æn. IV, 174: « Fama malum, quo non aliud velocius ullum. » Petron. loc. cit. v. 210: « Interea volucer motis conterrita pennis Fama volat, summique petit juga celsa palati. »

472. *Præconia.* Denuntiationes. De *innumeris linguis famæ* vide mirabilem Virgilii locum, Æneid. IV, 180 et seqq. Adi quoque Stat. T. II, ed. nost. p. 407. Ed.

473. *Est qui, etc.* Sunt qui falso divulgant, turmas Cæsaris vastare Umbriam, cujus oppidum est Mevania, *Bevagna,* quam alluit Clitumnus, armentis gratus. Hæc fuit patria Propertii. Vide quoque doctorum comm. ad Silii VI, 647; VIII, 456. — *Tauriferis.* Eo indicat, inde eximios tauros Romam mitti solere, qui pro victimis cædebantur. De Clitumno Virg. G. II, 146: Plin. Hist. nat. II, c. 103: Silius, VI, 647; « Et sedet ingentem pascens Mevania taurum. »

474. *Explicat.* Recte hoc verbum de lato campo et planitie, quem tamen Propertius, IV, 1, 123, *cavum campum* vocavit. Ed.

475. *Adferat.* Quidam *Adserat,* et conjicit Oudend. *differat,* sed nihil muto. Passim adferre de nuntio dici-

Barbaricas sævi discurrere Cæsaris alas;
Ipsum omnes aquilas, collataque signa ferentem,
Agmine non uno, densisque incedere castris.
Nec, qualem meminere, vident: majorque, ferusque
Mentibus occurrit, victoque immanior hoste.
Hunc inter Rhenum populos Alpemque jacentes,

tur. Apposite Silius, I, 456: « Sed postquam a trepidis allatum. » — *Et qua Nar, etc.* Et qua Nar, Umbriæ fluv. prope montes Spoletanos in Tiberim effunditur.

476. *Barbaricas.* Cæsaris copias ex Numidis, Gallis, Germanis aliisque barbaris nationibus conflatas, per has regiones discurrere ac vagari.

477. *Ipsum omnes aquilas, etc.* Nempe, et nuntiatur ipsum cum omnibus legionibus incedere. Una in singulis legionibus aquila, cætera ibi vexilla signa dicebantur. Inde passim *aquilæ* et *signa* conjunguntur. Silius, X, 391: « Non aquilæ, non signa viris. » *Collata*, non *collecta*, ut quidam variant. Nam si colligerentur signa, tunc *uno agmine* incederet. Nec melior lectio *cognata*, quam tamen probat Bentl. Ed.

478. *Densisque castris.* Præ copiarum multitudine. Hic tamen titubant interpretes; nam *castra* pro *agmina* dici negant. Hinc Bentleius tentat *carris*, nempe vehiculis Gallicis ad impedimenta portanda. Van Jever autem hunc et præcedentem versum pro spuriis habet. Hic autem sensum hujus loci plane nescivit. Planum est *densis castris* hic ἀκυρολόγως dictum pro densis militibus ex exercitu. Sic supra, versu 319: « Castra timenti Mixta foro. » Verisimile est Lucanum dixisse: « Cæsarem incessisse non sparso et longo agmine, sed licet non uno agmine, omnibus tamen paratis ad aciem et prælium. » Ed.

479. *Nec qualem, etc.* Tam mitem et placabilem, nempe quam viderant, ante subactos Gallos. — *Ferusque.* Alii *ferox*, minus bene. Cæsar in armis semper quidem *ferox*, nunc vero apparebat immanis et ferus.

480. *Victoque immanior hoste.* Emendabat Barthius *victorque*, quasi Lucanus ipsum victorem opposuerit hosti. Sed tunc aptius dixisset, civisque immanior hoste. Sed *victo* magnam habet vim, ut Cæsar non tantum quibusvis aut imbellibus hostibus, sed ferocissimis Gallis ac Germanis, quos modo devicerat, immanior intelligatur. Alii exponunt *victo hoste*, quasi Cæsar dicatur ferocior et elatior ob victos hostes: quod nemo admiserit. Vide autem de vocabulo *immanis* longam notam ad Senec. nost. ed. T. I, p. 264, Thyest. v. 470. Ed.

481. *Hunc.* Multi quidem habent *tunc*; scil. est qui *tunc*, insuper afferat, populos jacentes inter Rhenum et Alpem... pone sequi. Malo *hunc*, id est, Cæsarem. Melius constructio fit cum *vident.*—*Populos.* Int. Helvetios. Ed. *Alpemque* concinnius quam *Alpes*, quod multi habent. Certe ambiguum tollit τοῦ *Alpesque jacentes*. Immo sic hunc versum recitat Priscianus, L. VII, c. 757: « Alpis, ait, singulariter invenitur a poe-

Finibus Arctois, patriaque ab sede revulsos,
Pone sequi, jussamque feris a gentibus Urbem,
Romano spectante, rapi. Sic quisque pavendo
Dat vires famæ; nulloque auctore malorum,
Quæ finxere timent. Nec solum vulgus inani
Percussum terrore pavet; sed curia, et ipsi
Sedibus exsiluere patres, invisaque belli
Consulibus fugiens mandat decreta senatus.

tis prolatum et in *em* terminans accusativum Alpem. Sic infra III, 299: « Nubiferam Alpem »; et I, 688: « Alpis nubiferæ colles. » Juvenalis, X, 152: « Opposuit natura Alpemque nivemque. » Ed.

482. *Patriaque ab sede.* Hic Jever: Interpretes sicco hæc pede transeunt, veluti sana et integra. Sed *patria* illa *sedes* mihi neutiquam placet. Omnes quippe populi, qui Cæsarem sequebantur, « a patria sede revulsi » dici possunt, *Galli, Germani*, etc. Credo vocem illam *patria* originem suam glossæ debere, et non sine veri specie affirmare posse mihi videor, dedisse auctorem: « Finibus Arctois *Boreæque* ab sede revulsos Pone sequi »; ad illa *Finibus Arctois*, glossator in margine adscripserat: « *Arctos* enim *Boreæ* patria. » Unde *patria* in textum postea irrepsit. Sic Lucanus, L. II, v. 51: « Fundat ab extremo flavos *Aquilone* Suevos *Albis* et indomitum *Rheni* caput »; ex quo loco etiam patet, hic pro *Alpemque* legendum esse *Albimque*, id est, Gallos et Germanos inter duos fluvios Albim et Rhenum habitantes. — *Revulsos.* Quasi vi extractos, compulsosque ad bellum.

483. *Urbem.* Supple ex v. 479 *vident.* Scil. videntque urbem jussam rapi, seu deripi.

484. *Spectante.* Neque prohibente: *Pathetice:* vel, spectante, nec se patriæ direptione contaminante. *Sic quisque pavendo, etc.* Intellige: Quum sibi quisque metueret, famam, terribilia referendo, angebant.

485. *Nulloque auctore malorum.* Neque famæ ullus erat certus auctor, sed, quæ sibi quisque fingebat, mala timebant. Confer Poet. Lat. min. T. III. p. 312; not. *. nost. edit.

487. *Percussum.* Alii *perculsum.* Hæc sæpe confunduntur. Sed juvat Phars. infra, VI, 596: « Mens dubiis percussa pavet. »

488. *Exsiluere.* Sic MS. 7900. Multi alii *exsiliere.* Confer Silium, II, 373: « Tum vero attoniti, ceu templo irrumperet hostis, Exsiluere patres. » — *Invisaque belli, etc.* Senatus mandat consulibus, « Videant ne quid detrimenti Resp. capiat, Cæsarem persequantur, delectum habeant, exercitum conscribant. » Hi urbe continuo excedunt, Capuamque ad Pompeium profecti, summam imperii ei deferunt. *Invisa* Sulp. explicat, constitutiones odio plenas; quod vix cuiquam placebit. Malo interpretari, dira, funesta: unde ingeniose

Tum quæ tuta petant, et quæ metuenda relinquant
Incerti, quo quemque fugæ tulit impetus, urgent
Præcipitem populum; serieque hærentia longa
Agmina prorumpunt: credas aut tecta nefandas
Corripuisse faces, aut jam quatiente ruina
Nutantes pendere domos. Sic turba per urbem
Præcipiti lymphata gradu, velut unica rebus
Spes foret adflictis patrios excedere muros,
Inconsulta ruit. Qualis quum turbidus Auster
Reppulit a Libycis immensum Syrtibus æquor,
Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali,

Jever emendabat *invita*, scilicet a Pompeianis per vim extorta.

490. *Tum quæ, etc.* Foit ea foga omnino turbarum ac tomultuum plena. Qui enim urbe exibant (ordinis senatorii equestrisque fere primarii homines) etsi videbantur ad bellum proficisci, tamen revera ea patiebantur, quæ captis usu veniunt. Dio. L. XLI, et conf. Petron. loc. cit. v. 217: « Huic fuga per terras, illi magis unda probatur, Et patria est pontus jam tutior, etc.... Quantum quisque timet, tantum fogit.» Petron. Vide quæ notat Jever in Disq. var. ad h. v.

491. *Tulit impetus, urgent.* MS. 7900 *urget.*

492. *Serieque hærentia.* Hoc est, per agmina popoli, ob longam seriem vel multitudinem, eorum fugam morantia, patres ex urbe erumpunt. Sed Sulpitius *agmina* capit casu nominandi; rectius, et quod confirmare videntur sequentia: « Sic torba ... inconsulta ruit. » Ed.

493. *Credas aut tecta, etc.* Uti fieri solet grassante incendio, aut terræ motu tectis ruinam minante.

495. *Nutantes.* Minantes casum e motu terræ.

496. *Præcipiti.* Quia verso abhinc quarto legitur *Præcipitem*, Bentleios reponebat *ancipiti.—Lymphata gradu, etc.* Mente alienata; furore autem correptos credebant veteres conspexisse in fontibus Nympham aliquam, cujus iratæ spiritu agitarentor. Vide quæ ad Senecæ Medeam, vers. 386. Cane rabido morsi horrent conspectam lympham, quos Græci νυμφολήπτους, Latini *lymphaticos* dicunt.

498. *Qualis quum turbidus Auster.* Sopple talis; scilicet talis erat illa turba, qualis vel qualiter tempestate dira deprehensi gubernator, nautæ, vectoresque se in mare præcipitant, deserta navi necdum soluta: sic, etc. De Syrtibus supra, v. 367. Et hunc locum explicat Petronius v. 218: « Ac velut ex alto quum magnus inhorruit Auster.... Hic dat vela fogæ, fortunæque omnia credit. »

499. *Immensum æquor.* Intellige Africum; non præ aliis *immensum*; sed *æquor* hoc epithetum fere semper obtinet.

Desilit in fluctus, deserta puppe, magister,
Navitaque, et, nondum sparsa compage carinæ,
Naufragium sibi quisque facit: sic, urbe relicta,
In bellum fugitur. Nullum jam languidus ævo
Evaluit revocare parens, conjuxve maritum
Fletibus, aut patrii, dubiæ dum vota saluti
Conciperent, tenuere Lares; nec limine quisquam
Hæsit, et extremo tunc forsitan urbis amatæ
Plenus abit visu; ruit irrevocabile vulgus.

501. *Magister.* Quem fugienti Pompeio et senatui comparat; nautas vero populo.

502. *Nondum sparsa compage carinæ.* Navi adhuc integra, et nondum dissoluta ejus compage, seu contextura. SULPIT.

503. *Naufragium sibi quisque facit.* Sponte sibi naufragium faciunt, quum in fluctus desiliant, ut vitam natando tueantur. ED.

504. *In bellum fugitur.* Fugientes obviam bello eunt.—*Nullum* proscribit Schraderus. Oudend. pro *natum* errore scriptum putabat. Neutiquam recte. ED.

506. *Dubiæ... saluti.* Ut salus tanquam dea hic consideretur, cui vota conciperentur, ut apud Virg. II, 438: « Junoni cane vota lubens. » Ordo est: Patrii Lares nullum tenuere, dum conciperent vota dubiæ saluti. Pro *dubiæ* Burm. probavit *dubii*, scilicet Romani; sed durius *patrii dubii*. Dubia salus intelligo, quæ dubitaret vota audire, necne.—*Dubiæ dum vota, etc.* Coss. nec conceptis votis, nec peractis de more sacrificiis, fugam corripuere. Plutar. Cæs.

507. *Conciperent.* MS. 7900 *conciperet.*—*Lares.* Domestici dii, custodes domus, Laræ nymphæ et Mercurii filii. Petron. 135: « Ille manu trepida natos tenet: ille penates Occultat gremio, deploratumque relinquit Limen. » — *Nec limine, etc.* Nec quisquam in discessu subinde respexit, et potuit expleri aspectu ultimo urbis, quam tunc forsitan amat; vel melius intelligendum est, aspectu forsitan *extremo*, scil. urbis, quam nunquam forte revisurus est. Solet enim ita plerumque fieri, ut in discessu subinde respiciamus ea, quæ fuerunt nobis jucundissima, tanquam nunquam rursum visuri. Male hic vidit Burmannus, putans sensum esse: Contentus et quasi saturatus ultimo aspectu urbis olim amatæ, nec respiciens et hærens in limine, ut solent, qui inviti discedunt.

508. *Et extremo.* Idem est ac *neque extremo*, quum præcedat *nec.* Aliter frigidum esset dicere homines fugientes iram Cæsaris adspectu Romæ saturari: non fastidium, sed mortem vitant. Vellent tamen, nec possunt, abire pleni visu urbis amatæ.

509. *Plenus,* hoc est, satur, contentus, ut apud Senecam, Epist. XV: « Quam magnificum plenum esse, nec ex fortuna pendere! »

O faciles dare summa Deos, eademque tueri
Difficiles! urbem populis, victisque frequentem
Gentibus, et generis, coeat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæsare prædam
Ignavæ liquere manus. Quum pressus ab hoste
Clauditur externis miles Romanus in oris,
Effugit exiguo nocturna pericula vallo,
Et subitus rapti munimine cespitis agger
Præbet securos intra tentoria somnos.
Tu, tantum audito bellorum nomine, Roma,
Desereris; nox una tuis non credita muris.
Danda tamen venia est tantorum, danda, pavorum:
Pompeio fugiente timent. Tum ne qua futuri

510. *O faciles dare summa.* Indignatio in Deos nimis faeiles in magnis rebus largiendis, sed qni gravate eas tneantur; non vero quod nequeant, sed qnod nolint. HORTENS.

511. *Urbem populis, etc.* Indigne fert Romam tam vastam et frequentissimam, per ignaviam et metum deseri. Et hoc amplifieat exemplo virtutis Romanæ in cæteris bellis. ED.

512. *Generis. Hyperbole*, quæ omnes gentes humanas reciperet, si eo confluerent.

514. *Quum pressus, etc.* Romani in agro hostili ab hoste pressi, fossa, vallo et aggere e cespitibus subito opere congestis se tnentur: jam vero urbem bene munitam et snam, sub primum adventantis Cæsaris rumorem deserunt. Similiter Petron. de B. C. v. 223: « Gandet Roma fnga, debellatique Quirites Rnmoris sonitn mærentia tecta relinquunt. »

516. *Vallo.* Mos erat Romanis ut, qnum nocte tentoria figerent, vallo tantum castra circumdarent, et vigiles, qui sibi alternis vicibus succederent, noctis constituerent. Inde Sallustius in Jugurtha: « Juxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias ponere, et eas ipse cum legatis circuire. » Ipse autem noster V, 507: « Tertia jam vigiles commoverat hora secundos. » Conqueritur autem poeta ἀποςροφὴν ad urbem faciendo, cur isti de munitissimis mœnibus fugerint, qunm majores eorum etiam inter hostes tuti essent exiguo vallo.

517. *Et subitus rapti.* His verbis celeritatem ostendit. Sensus est: Agger, subito confectus ex cespite raptim in munimen suggesto, illis ad securitatem noctis et somni sufficiebat.

519. *Nomine.* Sie restituo ex 7900; Grotius reposuit *murmure*, et enm multi sequuti sunt. Etiamsi accipiatur *murmur* pro fama, tamen falsum sit. *Nomen* enim tantum belli audiverant Romani. Pariter II, 465: « Cæsaris audito conversus nomine Sulla. »

522. *Pompeio fugiente timent.* *Emphatice*, Magno illo Pompeio,

Spes saltem trepidas mentes levet, addita fati
Pejoris manifesta fides; Superique minaces
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum.
Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, et terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,
Et varias ignis denso dedit aere formas.

gentium victore, civitatis suæ principe. Conf. Petr. l. c. 237 : « Quid tam parva queror? gemino cum consule Magnus, Ille tremor Ponti, etc. Pro pudor! imperii deserto nomine fugit: Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.»—*Tum ne qua, etc.* Poeta, ne videatur historicis cedere, portenta etiam et prodigia refert. Quod idem facit Appianus, de Civil. Bell. L. II. Vide quoque descriptiones similium prodigiorum apud Virgilium, Georg. I, 466; et Ovid. Metam. XV, 782; adi quoque Plutarchum; et Suetonium in Julio, c. 81. Ed.

524. *Superique minaces.* Vide Tibull. L. II, Eleg. 5, nostr. ed. p. 171.

526. *Ignota obscuræ, etc.* Apparebant noctu stellæ non alias visæ, aut observatæ.

527. *Ardentemque polum flammis.* Cælum ardere visum, quod fit sublatis in altiora ventis.—*Cæloque, etc.* Huc confer Manil. I, 851 : « Præcipitant stellæ, passimque volare videntur, Quum vaga per nitidum scintillant lumina mundum; Et tenues longis jaculantur crinibus ignes, etc. »

528. *Obliquas per inane faces.* De variis fulminum generibus adi Robertum Stephan. et not. ad nost. Senec. Thyest. v. 1081. Ed.—*Crinemque, etc.* Crinitam stellam, κομήτην, diri ominis, tristia portendentem. Claudian. « Nunquam spectatum impune cometam. » Οὐδεὶς κομήτης ὅςις οὐ κακὸν φέρει. De cometis vide Serv. ad Virg. Æn. X, 272; G. I, 487. Cometa autem passim *regna mutare* dicitur apud poetas. Statius, Theb. I, 708 : « Mutent quæ sceptra cometæ » ; et Silius, VIII, 637 : « Regnorum eversor rubuit letale cometes. » Ed.

530. *Fulgura fallaci, etc.* E nube elisa, naturale est; in sereno non sine prodigio. Et ideo serenum dicitur fallax; idem est, quod *purum* apud Horat. Carm. I, 34, 5 : « Diespiter Igni corusco nubila dividens Plerumque per purum tonantes Egit equos, volucremque currum.» Vulgatum est poetis fulmina puro cælo facta hominibus tristia portendere. *Sereno;* Virg. G. I, 487. *Crebra* de fulguribus solenne. Tacit. Annal. XV, 47 : « Vis fulgurum non alias acrior. » Ed.

531. *Et varias ignis.* Hæc intellige, non de variis fulminum fulgurumque generibus, sed de his quæ sequuntur, *jaculo*, *lampade*, etc. Ipse sui interpres est Lucanus, VII, 154. *Denso;* Sen. Nat. Q. VII, 21. Ed.

Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit cælo; tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, et Arctois rapiens de partibus ignem,
Percussit Latiale caput; stellæque minores
Per vacuum solitæ noctis decurrere tempus,
In medium venere diem; cornuque coacto,
Jam Phœbe toto fratrem quum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.
Ipse caput medio Titan quum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit

532. *Jaculum longo, etc.* Ἀκοντίας βολίς, subtilioribus flammis commixtis constans, sursumque evolans. — *Lampas, etc.* Λύχνος, candela, fumus rarus et tenuis, in longum et latum distensus.

533. *Tacitum sine, etc.* Sine tonitru, e nube rara, vel nulla. Non præcedunt fulmen tonitrua, ut aiunt, sed fiunt ad ejus excussionem. Si ergo non fit tonitru, est *tacitum fulmen*, ut omnis flamma sonitum non edens, nec eo comitata, recte dicitur tacita: et sic Silio, V, 446, penna stridorem non faciens. Vide Turneb. p. 790.

534. *Arctois rapiens, etc.* Quod perraro fit, quum Notus dicatur fulminis fabricator. Verum hoc, ut notet hostes ex Septemtrione adventare.

535. *Latiale caput.* Capitolium, vel Romam caput Latii, vel ædem Jovis Latialis in monte Albano. — *Stellæque minores.* Sic veteribus dicebantur ad comparationem Lunæ. Horat. Carm. I, 12, 46: « Micat inter omnes Julium sidus, velut inter ignes Luna minores. » Ed.

536. *Per vacuum... tempus.* Non *vacuum* a sole: sed Latinis vacua dicuntur, quæ late exspatiantur, ita ut eorum fines cognosci non possint.

537. *In medium venere diem.* Apparuere medio die.—*Cornuque coacto, etc.* Nemo interpretum hunc locum attigit: ego autem intelligo *cornu coacto* pro *cornibus coactis*, id est, coeuntibus; porro luna Ovidio plena est, *coeunt quum cornua lunæ.* Ed. Luna defecit, quum pleno orbe solem repræsentaret, et eum circulo suo æquipararet; in plenilunio subitam ἔκλειψιν passa est; et expalluit, percussa umbra terrarum, et objectu terræ impedita, ne solem videret. Ed. Conf. Petron. « Parte alia plenos exstinxit Cynthia vultus, Et lucem sceleri subduxit. »

538. *Fratrem toto quum redderet orbe.* Repræsentaret solem integra rotunditate.

540. *Ipse caput medio, etc.* Sol jam meridionalis deliquium passus est interventu lunæ. Petron. v. 127: « Ore cruento Deformis Titan vultus caligine texit. » Virg. G. I, 467. Ed.

542. *Involvitque orbem.* Non so-

Desperare diem : qualem, fugiente per ortus
Sole, Thyesteæ noctem duxere Mycenæ.
Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ;
Nec tulit in cælum flammas, sed vertice prono
Ignis in Hesperium cecidit latus. Atra Charybdis
Sanguineum fundo torsit mare : flebile sævi
Latravere canes. Vestali raptus ab ara
Ignis; et ostendens confectas flamma Latinas,
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,

lis orbem, sed terrarum orbem. Quidam Codd. habent *urbem*, non male, ita ut primo poeta nominet Romam, deinde *gentes*, id est, reliquum genus humanum. Sic Horat. Carm. I, 2, 4 : «Terruit urbem, terruit gentes.» Ed. — *Gentesque coegit.* Hinc Stat. Thebaid. IV, 284 : «Et occiduum longe Titana sequuti Desperare diem.» Ed.

543. *Qualem fugiente per ortus.* Sicut olim in ortum reverso sole, cœnam nefandam Atrei abominante. Vide Senecæ Thyesten.

545. *Ora ferox Siculæ, etc.* Crateras, unde flammas, fumos, et interdum lapides ardentes eructat, Ætna, mons Siciliæ, aperuit, neque flammas sursum misit, ut solita est, sed Italiam versus inclinatas. Petron. v. 135 : «Jamque Ætna voratur Ignibus insolitis.» — *Mulciber.* Vulcanus, sic dictus a *mulcendo ferro*, si Festo credendum, unde quidam habent *Mulcifer*, male.

547. *Charybdis.* Siculum fretum, in quo Charybdis vorago sanguinem ex imo eructavit. Vide ad Sallust. nost. p. 438, not. 65. Ed.

548. *Flebile sævi, etc.* Intellige Scyllæi canes. Scylla saxum in freto Siculo, quam canibus marinis succinctam inguina fingunt, propter undas cavernis scopuli allisas et latrare visas, jam flebile quiddam sonuit. Forte scriptum erat *Scyllæ*; nam supra nominat Charybdim. Genus in *sævi* non mutandum, nam masculino quoque generi canes ponuntur. Ovidius apposite, Met. VII, 65 : «Cinctaque sævis Scylla rapax canibus.» Et infra, VI, 733 : «Stygiosque canes.» Alii tamen capiunt canes de quibusvis canibus ululantibus, quod signum mortis habebatur. Virg. Georg. L. I, v. 470 : «Obscœnique canes, importunæque volucres Signa dabant.» Somniat Bentl. *lævi*, quia Scylla a sinistra sit Romam habitantibus.

549. *Vestali raptus, etc.* Ignis Vestalis, de quo supra, versu 199, exstinctus est.

550. *Ostendens confectas, etc.* Flamma sacrificii, quod fiebat Jovi Latiali in monte Albano, conceptum nomine pop. Latini in feriis Latinis quotannis, in duas partes divisa ascendit, divisionem et discordiam portendens. — *Confectas.* Finitas : nam peracto nocturno sacrificio Latinæ finitæ erant. Unde infra, Lib. V, 402 :

Thebanos imitata rogos. Tum cardine tellus
Subsedit, veteremque, jugis nutantibus, Alpes
Discussere nivem. Tethys majoribus undis
Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta.
Indigetes flevisse Deos, Urbisque laborem
Testatos sudore Lares, delapsaque templis
Dona suis, dirasque diem fœdasse volucres
Accipimus; silvisque feras sub nocte relictis
Audaces media posuisse cubilia Roma.

« Vidit flammifera confectas nocte Latinas. » — *Latinas*. Ita sæpe absolnte ponitur, nt snbaudiatnr *ferias*. Varro de L. L. V. Dionys. Halic. IV. Cic. ad Q. frat. I, 5. Et Livins passim.

552. *Thebanos imitata rogos*. Rogi, in quem Eteocles et Polynices, filii Œdipi, apud Thebas mutuis confossi vulneribus, fuerunt conjecti, flamma in duas se partes divisit, æterni odii testis, Stat. Theb. I, 35.

553. *Subsedit*. Diducta in biatnm subsedit. — *Veteremque jugis, etc.* Terræ motu agitatis Alpibus excnssæ sunt nives. Virgil. loc. cit. v. 475 : « Insolitis tremuerunt motibus Alpes. »

554. *Discussere nivem*. Senec. Œdip. 175 : « Bis Cadmenm Nive discussa tremuisse nemus. » — *Tethys majoribus, etc.* Altins solito egressus Oceanus innndavit Calpen, Hispaniæ terminum *Gibraltar*, et Abylam, extremnm Mauritaniæ montem, pro quo videtur poeta posuisse Atlanta minorem, scil. *Errif*, prope Herculis columnas. Poet. Lat. min. nost. ed. T. V, p. 120. — *Majoribus*, id est, majoribus solito. Calpe et Atlas, non proprie, sed pro regionibus, nempe Hispania et Africa, capio : quod non viderunt interpretes. Multi ridicula de diluvio et cataclysmo inaudito somniantes, aut insanam hyperbolen arguentes. Prætereo alios conatns interpretum, monens hanc solam lectionem veram esse et sensum perspicuum. Ed.

556. *Indigetes flevisse Deos*. Vide ad Liv. edit. nost. Tom. VIII, pag. 146, not. 4, et ad lib. XL, 19, not. 3. *Deos*, nempe deornm simulacra. Alii habent *Indigenas*; sed Virg. Georg. I, 498 : « Di patrii Indigetes. » Ii erant soli qui ex Romanis in deos adsciti erant. Verisimile enim eos majorem Romæ curam habuisse, quam extraneos. De Indigete Ænea vide ad Silium, VIII, 39 ; et Virg. Æn. XII, 794. Ed.

557. *Lares*. Deos domesticos, habitn peregrinantium formatos et caninis pellibus amictos. — *Delapsaque templis, etc.* Donaria, anathemata Diis suspensa sponte decidisse.

558. *Dirasque diem, etc.* Ominosas et noctis filias aves apparuisse. Ideo *fœdasse*, quia insolitæ per diem. Virgil. Georg. I, 470 : « Importunæque volucres. »

560. *Media posuisse cubilia*. Dicit feras noctu e sylvis nrbem intrasse, et in medio foro sua lustra po-

Tum pecudum faciles humana ad murmura linguæ;
Monstrosique hominum partus, numeroque modoque
Membrorum; matremque suus conterruit infans.
Diraque per populum Cumanæ carmina vatis
Vulgantur. Tum, quos sectis Bellona lacertis
Sæva movet, cecinere Deos; crinemque rotantes
Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.

suisse; quod qnidem significabat urbem fuga civinm desertum iri, et solitudinem quamdam fore. Virgilius l. c. v. 485: « Et alte Per noctem resonare lupis ululantibns urbes. »

561. *Tum pecudum, etc.* Boves loqnntos, nt bello Punic. 2, et Macedonico. Virg. Georg. I, 479: « Pecudesqne loquutæ, Infandum! »

562. *Monstrosique hominum, etc.* Habentes membra plura vel pauciora, diversa, majora, etc. — *Hominum.* De feminis quoque dictnm. Virg. de Venere, Æn. I, 328: « Nec vox hominem sonat. » Et mnlier apud Juven. Sat. VI, 284: « Homo snm. » Ed.

563. *Matremque.* Vide Stat. nost. ed. Tom. II, p. 408. — *Matremque suus conterruit infans.* Similiter Clandian. in Eutrop. I, 1: « Semiferos partus, metnendaque pignora matri. » Ed.

564. *Cumanæ carmina, etc.* Sibyllæ Cumanæ carmina. Illa et Cymæa Virgilio et aliis dicitur. Nam Cnmæ colonia Græcornm, et Sibylla græce vaticinabatnr. Ed.

565. *Quos sectis Bellona, etc.* Corybantes et Galli, numine Bellonæ et Cybeles afflati, sectis sibi humeris et lacertis, rotatoqne capite saltantes, cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum, etc. Hi autem, teste Apul. Met. VIII, ancipiti ferro, quod gerebant, sna quisqne brachia dissecant.

566. *Cecinere Deos, crinemque rotantes, Sanguinei.* Quos autem Deos? conjicio; vaticinati snnt tristia, scil. cecinerunt Deos iratos. Scholiastes male vult esse *Deos quos*, id est, *Dii quos Bellona movet cecinere sæva.* Eadem figura qna Virgilius *urbem quam statuo vestra est.* De Bellonariis vide Tibnll. I, 6, 45: e cujus verbis Bentl. refingebat *Sæva monet placare Deos*, qnasi suo sanguine se deos placare arbitrarentur.

567. *Sanguinei.* MS. 7900 *Sanguineum*, scilicet, crinem cruentatum, sed melius de Corybantibus capiendnm; nam illi sanguinolenti. Quod juvat Horat. Lib. II, Sat. 3: « Hunc circum tonuit gandens Bellona cruentis. » Stat. tamen, Theb. X, 174, de Gallo: « Sangnineosqne rotat crines. » Et intelligi quidem possunt crines per jactationem tincti sanguine e sectis lacertis fluente. Sed omnes habent *sanguinei*, et sic Claudian. de Rapt. Pros. II, 269: « Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis. » Ed. — *Ulularunt.* Tristi voce et nlulatu horrenda canebant. — *Galli.* Sic fuerunt hi sacerdotes appellati, a Gallo, fluvio Phrygiæ, ad quem sua orgia exercebant; sive quod ex eo bibentes furerent.

Compositis plenæ gemuerunt ossibus urnæ.
Tum fragor armorum, magnæque per avia voces
Auditæ nemorum, et venientes cominus umbræ.
Quique colunt junctos extremis mœnibus agros,
Diffugiunt : ingens urbem cingebat Erinnys,
Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentesque comas : Thebanam qualis Agaven
Impulit, aut sævi contorsit tela Lycurgi
Eumenis; aut qualem jussu Junonis iniquæ
Horruit Alcides, viso jam Dite, Megæram.

568. *Compositis plenæ, etc.* Manes etiam placati gemuerunt e sepulcris. Alii male afferuut *umbræ* pro *urnæ*. Ed.

569. *Tum fragor armorum, etc.* Sic Virg. Georg., I, 474 : « Armorum sonitum, *etc.* et Ovid. Metam. XV, 782 : Arma ferunt, *etc.* quos Noster videtur bic imitatus. — *Magnæque... voces.* Virg. *ibid.* : « Vox quoque per lucos vulgo exaudita sileutes Iugeus. »

570. *Venientes cominus umbræ.* Conspectæ prope umbræ. Petron. l. c. 137 : « Ecce inter tumulos atque ossa carentia bustis, Umbrarum facies diro stridore minatur. »

571. *Quique colunt.* Iutelligit iu suburbanis agris maueutes : nam præcesserunt *avia* et *nemora.* Possit hoc quoque capi de Esquiliis, ubi cadavera et cineres, et ossa, et ubi sacris magicis sagæ operabantur. Ed.

572. *Ingens urbem cingebat Erynnis.* Furia circum urbem visa eurrere. Petrou. 255 : « Emergit late Ditis chorus, borrida Eryuuis, Et Bellona minax, facibusque armata Megæra, Fletusque, ete. »

573. *Excutiens pronam flagranti vertice p.* Ascensius explicat, ex ardenti capite iu obvios dejiciens, quasi Eriuuys caput ardens gereret, et faces iu eo. Male. *Flagranti vertice* uibil est, uisi flammæ rotatione, quæ fit iu excutieudo, seu eouquassaudo ad obvios, iu quos pronam facem dirigit Erinuys. Sie 546 : « Nec tulit iu cælum flammas, sed vertice prouo Ignis iu Hesperium cecidit latus. » Prudentius, Psychom. 95 : « Sulphureusque rotet per stagua sonautia vertex. » Nulla euim differeutia iuter *vertex* et *vortex*. Posset et vertex intelligi de apice flammæ; uam piueæ tædæ ita ardere sæpe couspiciuutur iu mouumentis autiquis. — *Excutiens pinum.* Agitans facem ex piuu, intentam iu obvios

574. *Stridentes.* Pro criuibus enim serpentes habebat. — *Qualis Agaven Impulit*, etc. Ceu Eumeuis, quæ Agaveu stimulavit iu cædem filii sui Peuthei, aut Lycurgum regem Thraciæ; qui dum Bacehi odio vites exscinderet, sua sibi erura præcidit; aut Herculem, qui, ab inferis reversus, immissa a Junoue furia correptus, uxorem suam et liberos iuterfecit. Senee. Here. fur.

Insonuere tubæ, et quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus auris
Edidit; et medio visi consurgere campo
Tristia Syllani cecinere oracula manes;
Tollentemque caput, gelidas Anienis ad undas,
Agricolæ fracto Marium fugere sepulcro.
Hæc propter placuit Tuscos, de more vetusto,
Acciri vates. Quorum qui maximus ævo
Arruns incoluit desertæ mœnia Lucæ;
Fulminis edoctus monitus, venasque calentes

578. *Insonuere tubæ, etc.* Noctu auditæ tubæ et exercituum concursus clamoresque. Silius, XII, 181: « Insonuere tubæ passim, clamorque virorum, etc. » Alii *intonuere.*

579. *Silentibus auris.* Heinsius et Jev. conjiciunt *horis;* sed melius *auris*, ne videretur murmur a ventis factum silere; *auræ* passim de ventis dici solent. Alii Codd. dant *umbris*, vel *arvis.* Ed.

580. *Et medio, etc.* Syllæ manes sepulti in campo Martio horrenda suique temporis æmula prædixerunt. De tali prodigio vid. ad Silium, VIII, 644. Alii per *Syllani manes* volunt notari, umbræ bello Syllano interfectorum. Sed Sulla in campo Martio sepultus est. Et recte opposuit duos duces civilis belli.

582. *Tollentemque, etc.* Rusticis visus est Marius emicans e sepulcro.

583 *Fracto sepulcro. Signate.* Sylla enim reversus victor Caii Marii reliquias sitas apud Anienem fluv. erutas dissipari jusserat. Valer. Max. IX, 2.

584. *Tuscos, de more, etc.* Rerum divinarum atque sacrificiorum perissimos. Namque divinandi disciplinam, atque ritus ad religionem spectantes, Tusci a Græcis (hi autem a Chaldæis habuerant) percepta Romanis tradidere. Thusci a θύειν. Vide Serv. ad Virg. Æn. II, 781.

586. *Desertæ mœnia.* Incolis vacuæ et raræ. *Lucæ.* Sic et MS. 7900. Alii habent *Lunæ.* Luca Etruriæ urbs, quæ hac tempestate deserta. Luna autem oppidum quoque Tusciæ, sed tunc celebris, ut patet ex hoc Enniano, quod et Persius citat: « Lunaï portum est operæ cognoscere cives ». Immo quidam Lunam adscribunt Liguribus, quibus fuit contermina, non Tuscis. Frontin. III, 2: « Quum obsideret Lunam oppidum Ligurum. » Ed. *Luna, portus*, a sinu, lunæ curvaturam referente, nomen habere videtur.

587. *Fulminis edoctus monitus.* Fulminum vaticinationes, aruspicinam, avium garritus et volatus callens: sic Virg. de Heleno, Æn. III, 359: « Interpres divum, etc. Et volucrum linguas et præpetis omina pennæ. » Ex lapsu fulminis vel ictu vaticinari futura solebant. Tacit. Histor. I, 3: « Cælo terraque prodigia, et fulminum monitus, et futu-

Fibrarum, et motus volitantis in aere pennæ,
Monstra jubet primum, quæ nullo semine discors
Protulerat natura, rapi, sterilique nefandos
Ex utero fetus infaustis urere flammis.
Mox jubet et totam pavidis a civibus urbem
Ambiri; et festo purgantes mœnia lustro
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor sequitur, ritu succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,

rorum præsagia. » Quod nostram lectionem defendit : male alii habent *motus* hoc versu et *monitus* sequenti. Ed.

589. *Monstra jubet primum.* Arruns primum jubet monstrosos partus cremari, urbem lustrari.—*Nullo semine.* Dubitat Grotius an *nullo semine*, quasi sponte nata dicat; an rectius *mixto semine* : ita enim melius cohæret *discors natura.* Δημόκριτος ἔφησε γίγνεσθαι τὰ τέρατα διὰ τὸ δύο γονὰς πίπτειν. Arist. de Gen. Animal. L. IV, c. 4. Non vero admitti posse puto *misto semine*, propter τὸ *discors natura*; nam majus est prodigium, si partus discordis naturæ editi sunt nullo semine : et hic Lucanus intelligit fetus, quales sunt pueri elephantino capite, equinis pedibus, agni humano capite et similes. Sic Claudian Eutrop, II, 42. « Dissona partu Semina, Ed.

591. *Ex utero.* Hoc putant quidam dici propter mulam, quæ pepererat — Sed *sterilem uterum* vocat, qui monstrum protulit, animal imperfectum et inutile. Ed.—*Infaustis.* Brouckus. ad Tib. II, 5, 80, explicat, lignis infelicibus. Catull. XXVI, 8: « Infelicibus ustulanda lignis. » Arbor autem infelix est quæ nec seritur, nec fructum fert.

593. *Ambiri.* Circuitione solenni ac purgatione. *Amburbium* describit. Vide nostr. edit. Livium tom. VII, pag. 359; et Poet. Lat. min. tom. III, pag. 314 : et de ambarvalibus vid. Tibull. Eleg. I, 1, 23 : et Turneb. pag. 605. — *Purgantes* est conjungendum cum *Pontifices;* ad eos enim hæc purgatio pertinebat.

594. *Pomœria cingere fines.* Spatium post, pone, vel proxime muros; quod neque habitari, neque arari fas erat. *Cingere*, id est, ambire, ut III, 400; et IX, 373.

595. *Pontifices, etc.* Pontifices, rerum quæ ad sacra pertinent, doctores, custodes, dicti a ponte sublicio, quem fecerunt primum, et sæpe restituerunt; ut ait Varro. Sed Q. Scævola derivat a *posse* et *facere*, i. e. sacrificare.

596. *Turba minor, etc.* Minores sacerdotes. — *Gabino.* Toga sic in tergum rejecta, ut ejus lacinia revocata hominem cingeret. A Gabiis Volscorum opp. mos ortus, cujus cives ad subitaneum bellum ita cincti profecti, redierunt victores.

597. *Vestalemque chorum ducit.*

Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.
Tum qui fata Deum, secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybelem;
Et doctus volucres Augur servare sinistras;
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales;

Numero sex. — *Vittata sacerdos*. Infulis ceu vittis et tæniis caput eincta antistes Vestalium maxima. Erant autem Vestales antiquitus sex. Viginti Virgines e populo legebat Pontif. Maximus e quibus una sortitu in concione Vestalis fiebat in locum demortuæ. Ed.

598. *Trojanam Minervam*. Palladium ab Æneа e Troja in Italiam advectum.—*Soli cui fas vidisse Minervam* : Hine sumpsit Claudianus Eutrop. I, 328 : « Trojanam sola Minervam Virginitas Vestalis adit, flammasque tuetur. » An igitur *cui soli*, choro scilicet, non *sacerdoti?* adeo ut omnes Vestales eam videre possent, non sola virgo maxima. Noster. IX, 993 : « Nullique aspecta *virorum* Pallas, in abstruso pignus memorabile templo. » Servius tamen *cui sacerdoti*, non *cui choro* : sie enim illa ad Æneid, II, 166: « Palladium ab una tantum sacerdote videbatur, ut Lucanus. etc. »

599. *Qui fata deum, etc.* Quindecim viri, quibus Sibyllinos libros custodiendi inspiciendique potestas Vid. Disq. ad v. 600.

600. *Lotam parvo, etc.* Qui, ut Galli Cybeles sacardotes, matrem deum Pessinuntiam in Almone fluv. quotannis lavabant. Ovid. Fast. IV — *Revocant*. MS. 7900 : *Referunt Almone Cybeben*. — Hunc versum Weber pro spurio habet; nam Galli sacerdotes, quod eorum sacra peregrina essent, et ipsi Romani non essent, huie pompæ interesse non poterant. Adde quod τὸ *qui* supprimi non debebat : « Et qui lotam, etc. » At non de Gallis agitur, sed de quindecim viris qui, ut illi, statuam Cybeles in parvo fluvio Almone quotannis lavabant. De hoc more Ammian. Marc. XXIII, 3 : « Ante d. VI Kal. (apriles) quo Romæ matri deorum pompæ celebrantur annales, et carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur. » Ovid. Fast. IV, 339 : « Illic purpurea canus cum veste sacerdos Almonis dominam saeraque lavit aquis. » *Referunt* mihi magis placeret quam *revocant*; sed idem sensus : nec opus est τῷ *renovant*, quod Burmannus, vel τῷ *revehunt*, quod Jever proponit. Posset quoque *revocant* exponi, orant ut redire ipsa velit, respectu primi Cybeles in Urbem adventus. *Revocare currus*. Claudian. R. P. II, 318.

601. *Augur*. Augures. — *Volucres sinistras*. Auspicia felicia, a *sinendo*, quia quæ a diis missa sunt dextra, nobis sunt sinistra; *vel* quia Romanis, quibus in auspiciis captandis pars antica erat Meridies, Oriens, melior cæli pars, fuit sinistra. *Servare* vox auguralis, pro observare. Sie, V, 396 : « Nec cælum servare licet. » VI, 429: « Quis prodat aves, quis fulgura cæli Servet. » Ed.

602. *Septemvirque epulis*. Septemviri Epulones, quibus Indorum epulare sacrificium curæ erat. Quod habet

Et Salius læto portans ancilia collo;
Et tollens apicem generoso vertice Flamen.
Dumque illi effusam longis anfractibus urbem
Circueunt, Arruns dispersos fulminis ignes
Colligit, et terræ mæsto cum murmure condit;
Datque locis numen sacris : tunc admovet aris
Electa cervice marem. Jam fundere Bacchum

MS. 7900. *Festis epulis,* curandis scil. — *Titiique sodales.* Apollinis sacerdotes a titiis avibus, quas observare soliti sunt dicti : aliis, a Tito Tatio. Tacit. Annal. lib. I, 54 : « T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat.

603. *Salius læto, etc.* Salii duodecim Martis sacerdotes, ancilia, hoc est, scuta (e quibus unum e cælo cecidisse fertur regnante Numa, imperio fatale) gestantes, saltantesque. —*Læto.* Ne credas hoc epitheton tam tristi tempori non convenire. Solenne est de Saliis saltantibus et canentibus. Ed.

604. *Tollens apicem. Apex* dicitur floccus, parva lanula in summitate virgæ posita, unde et pro summitate cujusque rei dicitur. Ed. — *Flamen.* Flamines præcipui tres, Dialis, Martialis, Quirinalis, quasi Filamines dicti, a filo quod æstivo tempore capiti imponebant, pro pileo. Alii dictos putant a flammeo, velamento capitis.

605. *Effusam longis anfractibus.* Hoc intellige de vasto et sinuoso Romæ circuitu. Male Burm. explicat effusam urbem, id est, vacuam, quia se incolæ effunderent ad ritum lustrationis celebrandum. *Effusum* idem valet ac se extendentem. Sic *effusa loca* apud Tacit.

606. *Dispersos fulminis, etc.* Sciendum multa in sacris ficta pro veris accipi. Dispersos ignes et fulgurita in unum redigit, tacita cum prece terræ condit, et locum appellat Bidental. Salmasius autem minus apte per *dispersos ignes* intelligit res quascumque tetigit, aut ambussit ignis. Vide Juvenal. Sat. VI, 587; et Pers. Sat. II, 26.

607. *Mæsto cum murmure condit, etc.* Significat monumentum eo loco statui, aram nempe, vel Puteal, cum aliqua fortasse inscriptione, quæ testaretur fulgur sub illa ara conditum. Vetus interpres Juvenalis hoc modo explicat quid sit *fulgura condere :* « Condi fulgura dicuntur, quotiescumque pontifex dispersos ignes in unum redigit, quadam tacita ignorataque prece, et locum aggestione consecratum it. » Salmas.

608. *Datque locis numen.* Sic Bip. non *nomen.* Claudian. R. P. III, 354: « Inde timor numenque loco. » Et sacris conjungo cum *locis*, non cum *aris.* Aræ enim hoc epitheto non indigent. Fateor tamen *sacris aris* citari a Lactantio, ad Statii Theb. III, 451; et *nomen* defendit Oudend. quia locus dicebatur *bidental.* Pers. II, 26: « Evitandumque Bidental. »

609. *Electa cervice marem.* Taurum egregium et eximium. Statius

Cœperat, obliquoque molas inducere cultro :
Impatiensque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent quum torva ministri,
Deposito victum præbebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus; sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.
  Palluit attonitus sacris feralibus Arruns,
Atque iram Superum raptis quæsivit in extis.
Terruit ipse color vatem : nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus asperso variabat sanguine livor.

Theb. I, 506 : « Nigri tibi, Diva, litabunt Electa cervice greges. » Eligebantur rudes operum et nullum jugum passæ victimæ. Ed.

610. *Obliquoque*. Transverso, vel supposito. Sen. Thyest. v. 692 : « Tangensve salsa victimam culter mola. » — *Molas inducere cultro*. Imponebant capiti victimæ placentam, sale, farina et aqua factam, quæ mola dicta, unde immolatio. Et farina quoque hordeacea aspergebantur cultri. Vide Rosin. Antiq. Rom. III, 33.

611. *Impatiensque diu non grati, etc.* Si hostia aris admota refugeret, reluctaretur, infausti hoc ominis : ideo *ingratum* sacrificium. Ed.

612. *Cornua... torva*. Non est cur mutes in *torta*; nam etsi cornua *torva* nusquam legi, certe torvitas tauri in fronte notatur et aspectu, unde *optima torvæ Forma bovis*, in Georg. III, 51. Immo torvus interdum de rebus inanimatis : notat omne quod terreat, ferociamque aliquam præ se ferat. De *facie* dicitur, Æn. VII, 415; de oculis, Ovid. Met. V, 92. Lucanus, ad exemplum Homeri, talia amat epitheta. — *Premerent cornua*. Quia taurus, sacri impatiens, fugere nitebatur.

614. *Emicuit*. Hic dicitur de vulnere angusto, quod solebat; nunc autem *largo* cruor diffusus est. *Largum* pro amplo et patenti vulnere debet capi. Claud. de Bello Get. 122 : « Ferro ne largius acto Irrevocandus eat sectis vitalibus error. »

615. *Virus*. Tetra et virulenta sanies. Senec. Œdip. 140 : « Atra Turpis e plaga sanies profusa est. » Opponitur *nigrum rutilo*. Male ergo alii *dirum*. Ed.

616. *Sacris feralibus*. Funestis, exitialibus : *feram* enim antiqui mortem dixerunt.

617. *Raptis*. Vox propria extispicio. Senec. Œdip. 391 : « Nec fibra vivis rapta pectoribus potest ciere nomen. » — *Extis*. Exta sunt, quæ ex visceribus sacrificantur Diis, quæ eadem et *viscera* dici videntur, Œdip. Senec. vers. 332 et 354.

618. *Terruit ipse color vatem*. Videt enim exta maculosa, gelida, livida, tabida, putria.

Cernit tabe jecur madidum, venasque minaces
Hostili de parte videt. Pulmonis anheli
Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
Cor jacet, et saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt, produntque suas omenta latebras.
Quodque, nefas! nullis impune apparuit extis,
Ecce, videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis. Pars ægra et marcida pendet :
Pars micat, et celeri venas movet improba pulsu.
His ubi concepit magnorum fata malorum,
Exclamat : « Vix fas, Superi, quæcumque monetis

621. *Tabe jecur.* Claud. Ruf. II, 414 : « Hic pandit anhelas Pulmonis latebras. » — *Venasque minaces.* Virg. G. I, 484 : « Fibræ apparere minaces. »

622. *Hostili de parte videt.* Aruspices imaginatione dividebant jecur in duas partes *familiarem* et *hostilem*, deinde ex utriusque partis habitu, plenitudine, colore, etc. conjiciebant quid suis, quid hosti esset eventurum. Cic. de Divin. II : « Quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset. » Senecæ, Œdip. 363, dicitur *hostile* latus. Ed. — *Anheli.* Quod e pulmone ducimus anhelitum.

623. *Fibra latet.* Sic Senec. Œd. 356 : « Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet. » — *Parvusque secat vitalia limes.* Fissa erant in victima duo, quorum unum erat populi romani, alterum hostium, eratque, ut conjicio, linea quædam et limes, qui fibras in extis, ut jecore medio, bipartito secabat et dirimebat. Malo sic quam de diaphragmate exponi τὸ *parvus limes.* Sic Senec. l. c. v. 364 : « Has (venas) omnes retro Prohibens reverti limes obliquus secat. » Turn. Adv. V.

624. *Cor jacet.* Cor non palpitat : alibi mentio est de extis sine corde inventis. — *Hiantes rimas.* Fissuras se aperientes. — *Produnt.* Ostendunt.

627. *Capiti fibrarum*, etc. Visa sunt etiam, inquit, magni mali argumentum, duo jecinoris capita, quorum unum ab altero opprimebatur. Erant enim et in jecore duo capita s. lobi, quorum unum civium, alterum hostium. Bonum omen erat, si in prima parte augmentum fieret; nunc autem in inimicorum parte apparet. Sic apud Senec. Œd. 359 : « Ac semper omen unico imperio grave, En capita paribus bina consurgunt toris. » — *Increscere.* Insurgere, et hoc victoriam indicat. Hic autem ab hostili parte, Cæsaris scilicet, læta omnia; a familiari (Romæ scil. Pompeiique) infausta conjicit.

628. *Pars ægra.* Sc. Pompeii. — *Pendet.* Non movetur.

629. *Pars micat.* Altera autem salit et palpitat. — *Improba.* Audax. — *Celeri pulsu.* Quo audacia et celeritas Cæsaris significatur.

631. *Monetis.* Verbum in auguriis

Prodere me populis : neque enim tibi, summe, litavi,
Jupiter, hoc sacrum ; cæsique in viscera tauri
Inferni venere Dei. Non fanda timemus :
Sed venient majora metu. Dî visa secundent,
Et fibris sit nulla fides ; sed conditor artis
Finxerit ista Tages. » Flexa sic omina Tuscus
Involvens, multaque tegens ambage canebat.
At Figulus, cui cura Deos secretaque cæli
Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
Æquaret visu, numerisque moventibus astra,

et vaticiniis frequens : unde *monimenta* nomen habent. Ed.

632. *Neque enim tibi, summe, litavi*, etc. Video me non litasse, id est, non placasse Jovem hac hostia ingrata. Alii volunt : non tibi hoc sacrificium feci ; et causam addunt, quia Jovi non licebat taurum immolare. Sed de tauro Jovi immolato exempla sunt multa. Ovid. Met. VII, 596. Homerus, Iliad. II, 401. Hæc de Græcis. Et de Romanis testis est Clitumnus fluvius, ad quem pascebantur tauri Jovi mactandi. Ed.

634. *Inferni venere*. Erudite exponit, quibus Diis tauro litavit ; nempe inferis, quos in viscera venisse ait. Jeverum offendit *venere* et *venient* seq. versu, et repetitio τῶν *Dii*; ideo reponit : « En ! viscera tauri *Infernæ vertere minæ*. » Quod explicat, minæ infernæ vertere ordinem viscerum in hoc tauro. Audacem correctionem! Ed.

635. *Dî visa secundent*. Bene precantis, et deprecantis infortunium, immo calamitatem imminentem, quam exta portenderent. Hortens.

636. *Et fibris sit nulla fides ; sed conditor artis*, etc. Et fallat aruspicina ars : neque fides habeatur Tagi artis hujus inventori : hunc autem, e sulco in agro Tarquiniensi natum, puerili specie docuisse Etruscos aruspicinam, refert Cicer. de divin. II et Ovid. Met. XV.

637. *Flexa*. Alii *flexu*. Restituimus *flexa*, conjungendum cum *ambage*. Stat. Theb. IV, 645 : « Hæc ubi fatus Labitur, et flexa dubios ambage relinquit. » Senec. Œdip. 214 : « Ambage flexa Delphico mos est Deo Arcana tegere. » — *Omina*. Alii *omnia*.

639. *At Figulus*. Nigidii Figuli Pythagorici, summi astrologi, meminit Cic. A. Gellius sæpius, et Euseb. Hunc Scholiastes monet sic cognominatum, quod regressus a Græcia dixit se didicisse orbem ad celeritatem rotæ figuli torqueri. Ed. — *Deos*, etc. Stellas, quæ nonnullis Dii sunt ; aut intellige, Deorum mentem, ex stellis. — *Secretaque cæli*. Motus et vires siderum.

640. *Quem non stellarum*, etc. Qui, siderum observationis judiciique ex iis peritia, præibat Ægyptios astrologos ; est autem Memphis nobilissima Ægypti civitas, in parte Nili, quæ Delta dicitur, *Cairo*.

641. *Visu*. Inspectione et observatione. — *Numerisque*. Id est, scien-

« Aut hic errat, ait, ulla sine lege per ævum
Mundus, et incerto discurrunt sidera motu :
Aut, si fata movent, Urbi generique paratur
Humano matura lues. Terræne dehiscent,
Subsidentque urbes? an tollet fervidus aer
Temperiem? segetem tellus infida negabit?
Omnis an infusis miscebitur unda venenis?
Quod cladis genus, o Superi, qua peste paratis
Sævitiam? extremi multorum tempus in unum

tia numerorum, quæ movent astra. Numeri sunt spatia temporum, quibus se astra per gradus movent. Hoc sensu Claud. Stilich. II, 434: « Scribit jura senex, numeros qui dividit astris. » Horat. Carm. I, 11, 2: « Nec Babylonios Tentaris numeros. » Ed. Male multi *moventibus* mutare tentant, reponentes *notantibus*, *monentibus*, *docentibus*, etc. Sunt illi numeri geometrici, aritbmetice subducti, quibus ex astronomorum bypothesi secundum naturæ leges *moveri* debent astra, ut notum iis, qui geometricis probe imbuti astronomiam vel a limine salutarunt. Quintilianus, Declam. III, 4: « Digestis sideribus in numeros. » Jev.

642. *Aut hic errat*, etc. Si cælum hoc volvatur certa lege et providentia divina, neque fortuito et casu (ut volunt stulti) erret, magna certe instat terrarum urbi incolisque clades. At quænam illa? Terræne hiatus? An pestis ex aeris corrupti intemperie? — *Errat*. Movetur et vertitur. — *Ulla sine lege*. Hanc lectionem cæsuræ munere defendit Oudendorpius: plurimi *nulla*. Sic apud Ovidium *t* sequenti vocali producitur Met. III, 148: « Nubibus esse solet, aut purpureæ auroræ. » Et IX, 405; Fast. I, 109; Heroid. VI, 31 et alibi. — *Per ævum*. Per æternitatem.

643. *Incerto*. Temerarie et fortuito.

644. *Movent*. Nempe hunc mundum et sidera.

645. *Matura lues*. Id est, proxima. Tibullus, IV, 1, 205: « Seu matura dies. »

646. *Subsident*. Pessum ibunt, submergentur, et obruentur. — *Tollet temperiem*. Fiet intemperatus.

647. *Segetem tellus infida negabit? Omnis an infusis*, etc. Utrum fames e terræ sterilitate? An ex aqua veneno infecta et corrupta lues?

649. *Qua peste paratis Sævitiam?* An per hypallagen: qua sævitia paratis pestem? Bentleius: *qua peste piatis Sævitiam?* Hoc est, satiatis, expletis. Heinsius pro *Sævitiam* reponit *exitium* vel *servitium*. Si conjecturæ locus, optima Bentl. Prop. III, 17, 17: « Iram natorum cæde piavit amor. »

650. *Extremi multorum...dies*, etc. Scholiastes intelligit, quia multi homines in hoc bello civili perituri sint. Sed *extremi dies* sunt infaustissimi, maxime calamitosi, qui in hoc unum tempus convenisse dicuntur. *Multorum*. Supple *temporum*.

Convenere dies. Summo si frigida cælo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totaque diffuso latuisset in æquore tellus.
Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, Leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensusque tuis flagrasset curribus æther.
Hi cessant ignes. Tu, qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, Chelasque peruris,
Quid tantum, Gradive, paras? nam mitis in alto

651. *Summo si frigida cælo*, etc. Si Saturnus obtineret in summo cælo, id est, medio, sedem illam quam in Aquario habet, diluvium timeretur. « Quod tamen Olympiodorus fieri posse negat nisi magni anni hieme, ubi omnes planetæ conjuncti sunt in hiberno signo: piscibus, aut Aquario.»

652. *Stella nocens*. Quod longissime e planetis, quos veteres noverant, a Sole recedat; ideo *nigros* dicit ejus ignes, quia vix accipit lucem solis, ut propiores soli planetæ. Distat enim Saturnus a Sole leucis ultra 331,000,000. *Accenderet* autem ignes in Aquario, quia tum magis lucesceret.

653. *Deucalioneos*. Quales cecidere tempore Deucalionis, et Pyrrhæ, quo mundus aquarum diluvio obrutus.

655. *Si sævum radiis*. Si sol deprehensus esset in Leone, ut propria sede, periculum esset, ne conflagraret mundus. « Neque hoc fit nisi magni anni æstate. » Turnebus Lib. XXI, c. 18. Sic Sen. Œd. 40: « Titan Leonis terga Nemeæi premens.» Ovid. A. A. I, 68: « Quum sol Herculei terga Leonis adit.» Ed.—*Nemeæum, Phœbe, Leonem*. Leonem ab Hercule in Nemea silva interfectum, et in stellas relatum.

657. *Succensusque tuis*. Alii *suis*; sed æther non curru vehitur; his autem curribus Phœbus percurrit æthera.

658. *Hi cessant ignes. Tu, qui flagrante*, etc. Verum hi planetæ non ita deprehenduntur. — *Tu qui*, etc. Sed tu, o Mars, qui dominaris in Scorpio, cujus Chelæ in Libram extenduntur, quæ bella paras? Aversio ad Martem, qui quum natura calidus sit et siccus, accendit in humanis corporibus choleram, audaciam et furorem. Martis domus sunt Scorpius et Aries, pessimum omnium sidus, si deprehendatur in Scorpione. — *Flagrante minacem cauda Scorpion*. Sic IX, 835, de Scorpio: « Minax nodis et recto verbere sævus. » Ovid. Met. II, 199: « Curvata minitantem cuspide.» Oudend. reponit *vibrante minacem*; quia sup. versu *flagrasset*; sed huic repetitioni Lucanus non est alienus. Manil. Astr. II, 443: « Pugnax Mavorti Scorpios hæret. »

659. *Scorpion*. Prior Scorpii pars, quæ Chelæ dicuntur, ab æquinoctiali circulo ita premitur, ut eum sustinere plane videatur. — *Chelasque*. Chelæ Scorpii brachia sunt.

660. *Mitis in alto*, etc. Benigna

Jupiter occasu premitur, Venerisque salubre
Sidus hebet, motuque celer Cyllenius hæret,
Et cælum Mars solus habet. Cur signa meatus
Deseruere suos, mundoque obscura feruntur:
Ensiferi nimium fulget latus Orionis?
Imminet armorum rabies; ferrique potestas
Confundet jus omne manu; scelerique nefando
Nomen erit virtus; multosque exibit in annos
Hic furor. Et Superos quid prodest poscere finem?

Jovis stella in casu seu dejectione sua premitur. Hoc omen contrarium.

661. *Venerisque salubre*, etc. Salutaris stella Veneris, languet iners, retunditur.

662. *Hebet.* Metaphora de stellis solennis, a ferro aut oculorum acie desumpta. II, 720: « Et jam Pleias hebet. » Silius, XII, 249, de Veneris sidere: « Hebetatur et atris Decrescens tenebris languentia lumina condit. » — *Motuque celer*, etc. Mercurius alibi celer, hic hæret hebetque. Celerem vocat, quia, quum ex planetis proximus sit Soli, videretur veteribus ociore ambitu suum orbem permeare, quam Sol. Sedes habet Virginem et Geminos.

663. *Cœlum Mars solus habet.* Mars solus dominus anni, summum cælum tenens in Scorpio, prævalebit producetque suos effectus, bella nefaria. — *Cur signa meatus Deseruere suos.* Id est, cur propria sua sede destituuntur?

664. *Mundoque.* Per cælum. — *Obscura feruntur*, id est, nubibus occultantur.

665. *Ensiferi.* Hoc Orionis epitheton apud Ovid. Art. Am. II, 16. Fast. IV, 338. Effingitur enim in formam juvenis ense accincti. Ed. — *Nimium fulget latus Orionis?* Stella primæ magnitudinis in dextro humero, tres secundæ magnitudinis in balteo Orionis, etc. nimio fulgore portendunt belli ardorem. — *Latus Orionis. Latus*, ubi est gladius. Orion sidus est, quod in suo ortu et occasu tempestates acerrimas concitat, bellaque et cædes sæpe portendit.

666. *Ferrique potestas.* Id est, vis justitiam opprimet.

667. *Manu*, id est, vi; ut apud Flor. lib. I, 1: « Manu capta sunt matrimonia. » Claudianus de Rapt. Pros. III, 303: « Quæsita manu securus habeto. » — *Scelerique nefando.* Id est, sceleratus et nefandus tyrannus tamquam vir bonus et fortis laudabitur. Abstractum pro concreto. Pungit oblique Cæsarem, quem *invisum tyrannum*, IX, 279, et *scelus nefandum* vocat, IV, 228.

668. *Multosque exibit*, etc. Duravit nempe quinque pæne annos bellum civile, et adversus Pompeii filios et in Hispania continuatum est. Ed.

669. *Et Superos*, etc. Neque fas est, neque e Rep. votis exposcere finem hujus belli, qui non dabitur sine oppressione libertatis.

Cum domino pax ista venit. Duc, Roma, malorum
Continuam seriem; cladem que in tempora multa
Extrahe, civili tantum jam libera bello. »
   Terruerant satis hæc pavidam præsagia plebem :
Sed majora premunt. Nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo;
Talis et attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phœbum :
« Quo feror, o Pæan? qua me super æthera raptam

670. *Cum domino.* Cum Cæsare victore pax quidem brevis veniet, sed ea cum servitute. — *Duc, Roma,* etc. Aversione precatur longum et diuturnum bellum civile, ut libertas tanto sit diuturnior, quam Roma simul amissura est, quum pax venerit.

672. *Extrahe.* Protende.

673. *Terruerant,* etc. Licet omnia ista prodigia, aruspicum responsa, et Figuli prædictiones, sufficiebant ad incutiendum terrorem populo, tamen fatidicæ mulierculæ ἐνθουσιάσμῳ agitatæ vaticinium, multo magis civium mentes percellit.

674. *Nam qualis,* etc. Nam matrona, non aliter quam solent Threissæ mulieres furore Thebani Bacchi correptæ, e Thessaliæ montibus ruere, sic Phœbi afflatu agitata, vaticinata est. — *Vertice Pindi.* Hæc adumbrata ex Senec. Œdip. 433 : « Nunc Edonii pede pulsavit Sola Pangæi, nunc Threicio Vertice Pindi. »

675. *Edonis.* Baccha, seu Mænas, Bacchi sacerdos. Edon Thraciæ mons est, quem ita dictum volunt ab Edono Mygdonis fratre germano. Plin. H. N. IV, 11. Hinc Edonia Threissa est ἡ Ἠδωνίς, et systolen fecit poeta, Ἠδονὶς scribens pro Ἠδωνίς, ut vult Servius ad Virg. Æn. XII, 365. Eodem modo Noster primam in Sophene et Orites corripuit II, 593, et III, 249, quum Græcis sit Σωφηνὴ καὶ Ὠρεῖται. Ovidius Met. XI, 70 : « Protinus in silvis matres Edonidas omnes Quæ videre nefas torta radice ligavit. » Sed et Silius, IV, 776 : « Edonis ut Pangæa super Trieteride mota. » Mavult Salmasius legi *Odonis,* quia apud Dionysium sunt Ὥδονες. Stephanus de Urbibus : Ὥδονες, ἔθνος Θρᾴκης. *Edoni* dicuntur Hor. Carm. II, 7, 27 : « Non ego sanius Bacchabor Edonis. » Ubi producta *o.* — *Ogygio Lyæo.* Plena Baccho, et Bacchi furore afflata. Ogygia quidem insula est contra Lacinium promontorium, in sinu Tarentino. Plin. lib. III, c. 10. Sed hoc rectius intelligendum de Thebis quæ ab Ogyge, Thebarum rege, Ogygiæ dictæ. Bacchus autem Thebanæ Semeles filius. *Lyæus* Bacchus dicitur a λύω, solvo, quod vinum immodice haustum membra solvat et enervet, aut quia curas solvat.

678. *Quo feror.* Verba sunt vatis insanæ ad Phœbum, nescientis quo gentium sit. Scholiastes per hanc matronam putat fingi Remp. romanam ipsam : quis vero hoc admittat? Ed. — *Pæan.* Apollo ἀπὸ τοῦ παίειν, vel παύειν τὰς ἀνίας. Vel ab acclamatione Lato–

Constituis terra? video Pangæa nivosis
Cana jugis, latosque Hæmi sub rupe Philippos.
Quis furor hic, o Phœbe, doce : quæ tela, manusque
Romanæ miscent acies, bellumque sine hoste est?
Quo diversa feror? primos me ducis in ortus,
Qua mare Lagæi mutatur gurgite Nili.

næ, quum cæderetur Pytho, ἰὴ παῖ.

679. *Video*. Ita apud Petronium, v. 112 : « Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos, Thessaliæque rogos, et funera gentis Iberæ, etc. » — *Pangæa nivosis Cana jugis, latosque Hæmi*, etc. Supple Pangæa *juga;* sunt autem montes Thraciæ projecti per Macedoniam et Thessaliam. Et Philippos civitatem ad radicem Hæmi montis Thraciæ, cujus in campis videtur poeta noster innuere, pugnatum esse inter Pompeium et Cæsarem, quod et a plerisque aliis auctoribus factum est : a Virgilio Georg. I, 490 : « Romanas acies iterum videre Philippi. » Ovid. Met. XV, 823 : « Pharsalia sentiet illum, Æmathiique iterum madefient cæde Philippi. » Et Floro Lib. IV, 2 : « Et Philippicis campis, urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt. » At male confunduntur Philippi et Pharsalia, longe inter se dissita. Apud Pharsalum quidem in Thessalia victus est Pompeius a Cæsare. Apud Philippos autem in Thracia postea devicti Brutus et Cassius ab Antonio et Octavio.

680. *Cana jugis*. Bentleius h. l. laudat ad Horat. Epist. I, 3, 4, ubi docet *canus* de nivoso monte dici. Web.

681. *Quæ tela*. Bentleius præfert *quo* infra repetitum; et hoc videtur commotius et mulieri lymphatæ aptius : et sic habent quædam edd. Ergo explicabis, quare, quamobrem, quem in finem *tela*, pila, hastas, et gladios miscent, etc.

682. *Hoste*. Externo : cives enim cum civibus pugnant. *Hostis* antiquitus dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus. Cic. Off. I.

683. *Quo diversa feror*. In quas diversas orbis partes rapior? — *Primos me ducis in ortus*. Ægyptum innuit, et Alexandriam quo fugientem post Pharsalicam pugnam Pompeium Cæsar sequutus erat.

684. *Qua mare Lagæi*, etc. Qua septem ostiis in mare labitur Nilus fl. Ægypti quondam regnatæ Ptolomæo Lagi filio. Vid. VIII, vers. 691. Is fluvius dicitur *Lagæus* a Ptolomæo rege Alexandriæ, nepote Lagi. Lagus primus Ægyptiorum rex post Alexandri mortem. — *Mutatur*. Oudendorpius sic exponit : quod magna vi in illud influens Nilus, maris undas, sive æstum mutat. Alii male de colore, aut sapore mutato hoc capiunt. Miratur Burmannus in hoc verbo hæsisse interpretes, locumque suspectum habuisse. Ipse facilem, ut putat, huic loco explicationem suppeditat hoc modo, *ubi ex Nilo in mare navigant:* quemadmodum solemus dicere *mutare domum*, nempe *domo alia*. Verum si hæc summi critici, optimi magistri explicatio admittenda esset, deberet utique esse aliquis, qui nave vectus e Nilo mare ingrederetur.

Hunc ego, fluminea deformis truncus arena
Qui jacet, agnosco : dubiam super æquora Syrtim,
Arentemque feror Libyen, quo tristis Erinnys
Transtulit Emathias acies. Nunc desuper Alpis
Nubiferæ colles, atque aeriam Pyrenen
Abripimur. Patriæ sedes remeamus in urbis :
Impiaque in medio peraguntur bella senatu.

Corruptus ita est locus, ut plane mirum mihi non sit, hic hæsisse et offendisse viros doctissimos. Ergo legendum censeo : « Qua mare Lagæi *ditatur* gurgite Nili. » Qua Nilus se in mare Ægyptium exonerat. Cel. SCHRADERUS defendi vulgatam lectionem posse putabat, si *mutatur* explicaremus per *coloratur*. Quemadmodum Catullus carm. XI, v. 7, ait : « Sive qua septemgeminus colorat Æquora Nilus. » Verum *mutare* sic simpliciter hoc sensu non admodum placet. Non igitur muto sententiam et *ditatur* repono. « *Ditare* est locupletare, opes et divitias conferre. » Ita LIVIUS, Lib. XXI, c. 60 : «Castra militem *ditavere*.» Et ita sermonem patrium *ditavisse* dicitur Ennius, novis vocabulis inventis, Horatio Art. poet. v. 57. Ovid. Lib. II, ex Pont. Eleg. VII, v. 62 : « *Ditata* est spoliis perfida turba meis. » JEV.

685. *Hunc ego*. Pompeium, ab Achilla jussu perfidi et ingrati Ptolomæi, obtruncandum.

686. *Syrtim feror*. Ἑλληνιστικῶς, ut solent poetæ, pro *ad* vel *in Syrtim*. Sic infra, *abripimur colles Alpis*. — *Dubiam*. Explicat ipse IX, 304 : « Syrtes, vel primam mundo natura figuram Quum daret, in dubio pelagi terræque reliquit. » Bene Scholiastes *dubiam, quia nunc mare, nunc terra est*. Infra IX, 710 : *Ambigua Syrtis*. Senec. Hippol. 569, *incerta Syrtis*.

687. *Arentemque feror Libyen*. In Africam, quo se recipient Cato et hi, qui pugnæ Pharsalicæ superfuerint. — *Quo tristis Erinnys Transtulit Emathias acies*. Bentl. affert de duobus codd. « Quo tristis *Enyo*. » Bellonæ græca appellatio. Statius Silv. V, 3, 179 : « Talia dum celebras, subito civilis Enyo Tarpeio de monte facem, Phlegræaque movit Prælia. » Martial. VI, 32 : « Quum dubitaret adhuc belli civilis Enyo. » Petr. de Bello Civ. v. 61 : « Tres tulerat Fortuna duces : quos obruit omnis Armorum strue diversa feralis Enyo. » Vid. autem Poet. min. t. II, p. 97. Transferre acies e Thessalia in Libyam, et inde in Hispaniam, opus fuisse *Enyus*, bellorum præsidis, vult Bentl.

688. *Nunc desuper Alpis*, etc. Expeditionem Cæsaris per montes Pyrenæos in Hispaniam designat, expugnaturi Petreium et Afranium, mox Pompeii filios ad Mundam. — *Desuper*. Hoc est, de superiore loco, adverbium est, non præpositio. Vid. not. 686. Dicit enim supra : « Qua me super æthera raptam. » Unde Bentleius mutabat *abripimur* in *aspicimus* : nihil vero necesse est.

690. *Patriæ sedes remeamus in urbis*. Quum Cæsar Romam victor reversus Remp. constituet.

691. *Impiaque in medio*, etc.

Consurgunt partes iterum, totumque per orbem
Rursus eo. Nova da mihi cernere litora ponti,
Telluremque novam : vidi jam, Phœbe, Philippos. »
Hæc ait : et lasso jacuit defecta furore.

Interficietur nempe Cæsar in senatu.

692. *Consurgunt partes iterum.* Octavius et Antonius ulturi Cæsaris percussores Brutum, Cassium, etc. — *Totumque per orbem*, etc. Athenas, Armeniam, Parthiam, Ægyptum, quo se, devictis ad Philippos Cassio et Bruto, confert Antonius, et ipse mox ab Octavio superandus navali pugna ad Actium.

693. *Nova da mihi cernere.* Concede, ut videam pugnas navales alibi, quam ubi conspexi. Intelligimus autem ipsam vidisse ea, quæ in mari Hadriatico, et ad Massiliam Cæsaris tempore gesta sunt; et nunc videre alias apud Siciliam, quæ ab Augusto contra Sextum Pompeium gerentur; et in Antonium et Cleopatram in mari Actiaco. *Sulpit.*

695. *Lasso.* Defesso. Virg. Æn. VI, 102 : « Cessit furor et rabida ora quierunt. » Apposite Senec. de Clem. c. 19 : « Lassaretur furor. » — *Defecta.* Non, ut male alii, *deserta. Defectus* verbum est nostro familiare III, 625 : « Defectis robore nervis. » Ita legendum est *lasso*, non *lapso*, aut *laxo*.

IN LIBRUM PRIMUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

AD TITULUM. — M. ANNÆI LUCANI. Quod fuerit Lucani prænomen in dubio relinquunt MSS. alii LUCIUM, alii MARCUM præferentes; immo et in quibusdam utromque occurrit, exempli gratia, in cod. nostro Regio A*; qui notatur MS. 7900: titulus quidem et poematis principium deficiunt, sed in fine Libri I legitur: *M. Annæi Lucani liber primus belli civilis explicit;* in fine vero Lib. II, *L. Annæi*, etc. Plures MSS. *Lucanum* tantummodo nuncupant. Attamen in MARCI appellatione consentire videntur editores, quam et nos, ut pote plurimorum judicio suffragante, adoptandam censemus.

PHARSALIA. Verum hunc esse poematis titulum facile patet ex ipsius Lucani verbis, Lib. IX, vs. 985: *Pharsalia nostra Vivet.* Quam inscriptionem pessimo consilio inventam asserit Jul. Cæs. Scaliger (Hypercrit. cap. 6); quippe ne tantilla quidem operis illius pars est ea regio; litemque inde Nostro movet, non admodum repugnante Oudendorpio. At plures excellentis quoque ingenii viri patrocinium auctoris suscipientes, optima ratione nomen hoc desumptum arbitrantur ab illo loco, ubi Pompeius cum Cæsare de summa rerum dimicavit, cujus pugnæ eventum totius belli fortuna sequuta est: « *Pharsaliam* hoc opus inscripsit, inquit *Van Jever*, sive *Victoriam scelerati tyranni J. Cæsaris*, qui victo Pharsalicis in campis Pompeio, oppressa Romanorum libertate, sibi contra jus et fas imperium summum vindicavit, et tyrannidem invasit. » Etenim civis vere Romanus, idemque amantissimus libertatis, nihil in hoc bello videre debuit nisi fatalem illam diem, qua funditus et in æternum sublata est orbi romano libertas; omnemque præliorum quæ præcesserunt, aut sequuta sunt seriem, circa præcipuum hunc, immo et dicam unicum scopum collegit, vinculoque conjunxit arctissimo.

* Quinque codices quos recensuimus, his notis distinguuntur A. cod. 7900; B. cod. 8039; C. cod. 8040; D. cod. 8467. E. cod. 8465.

Continet autem hoc poema descriptionem atque historiam belli civilis, quod inter Cæsarem et Pompeium gestum est. Cujus causa publica quidem fuit, quod Cæsar legibus solvi volebat, absensque consul creari, neque exercitum a se dimittere, quem hactenus in Gallia habuerat; ob quam rem, urgente hoc Pompeio, et cæteris, qui Cæsari adversabantur, a senatu hostis judicatus fuerat: privatim autem, æmulatio utriusque viri, quod alter parem, alter superiorem, ut ipse poeta quoque ait, ferre non posset. Unde et ad arma ventum est. Ac Cæsar quidem Pompeium et socios Italia statim expulit: duces adversarum partium in Hispania repressit. Ipsum autem Pompeium in Græciam transgressum, primo quidem circa Dyrrhachium, difficiliore tamen pugna, mox in campis Pharsalicis inter Macedoniam et Thessaliam, cum toto exercitu fudit, fugavitque. Unde Pompeius profugiens, Mitylenas primum, inde in Ægyptum venit, ubi a satellitibus Ptolomæi, regis Alexandriæ, obtruncatus est. Quam eamdem historiam Græce quidem Plutarchus et Appianus, apud Latinos autem Florus et A. Hirtius persequnti sunt. Constat autem hoc opus versibus heroicis, imitatione Virgilii, et similium, quos epicos Græci vocant, compositum; nisi quod historicum ordinem hic poeta magis, quam poeticam dispositionem sequutus est; et in concionibus vehementior et concitatior aliquanto est, unde et hunc oratoribus annumerandum magis, quam poetis Quintilianus putat, Inst. Orat. Lib. X. Cæterum dividitur idem hoc opus decem partibus, sive libris, quorum priores quidem tres ab ipso auctore, ut traditur, emendati fuerunt; reliqui, quo minus emendarentur, ipsius morte præventi sunt.

VERS. 1. *Bella per Emathios... et pila minantia pilis.* In codd. nostris B, et C, illud manu antiqua adnotatur: « Hos septem primos versus dicitur Seneca ex suo addidisse (ut quidam volunt, Lucani avunculus, ut quidam, frater), ne videretur liber ex abrupto inchoari, dicendo, *Quis furor*, etc. Ideo autem Lucanus a plerisque in numero poetarum non esse dicitur, quia omnino historiam sequitur, quod poeticæ arti non convenit. » Hujus modi Scholion in multis codd. apparere testantur Doct. viri. Sed nos eum Bentleio et *Van Jever* censemus genio Lucani optime convenire hoc exordium, quod auctoris stylum manifesto prodat, et, si defuerit, ipsum poema mancum et imperfectum relinquat. Plura si de hac re desideres, confer Dissertationem de spuriis et male suspectis Lucani versibus, p. 425 sqq. quam suo vol. II, subjunxit Clar. *Weber.*

Plusquam civilia. In codd. nostris B et C notam legere est, quam ex veteri Scholiaste jam edidit Oudendorpius: « Inter *civile* bellum et *plusquam civile* hoc distat: civile bellum est inter cives orta seditio et concitatior tumultus, sicut inter Syllam et Marium, qui bellum civile invicem in una gente gesserunt. Plusquam civile vero, ubi non solum cives certant, sed et cognati, quale actum est inter Cæsarem et Pompeium, quando gener et socer invicem dimicaverunt. Siquidem in hac pugna frater cum fratre dimicavit, et pater adversus filium arma portavit. » Illud tamen emphatice et declamatorio acumine dictum existimat Burmannus; quippe in Syllanis et Ma-

rianis bellis, omnia ista scelera, quæ in hoc, acciderunt; æque cognati et fratres inter se coierunt, sævieruntque; immo plus scelerum in illis commissum fuit, etiam *in pace strictis gladiis* (Florus III, 21). Ecce locum sic ingeniose et acutissime exposuit *Van Jever* : Civilia bella, mutuo partium diversarum odio sumpta, nihil aliud sibi propositum habent, quam tollere partes invisas, sine ullo libertatis publicæ dispendio. Victis siquidem partibus et deletis factionum ducibus, cessant tandem odia ipsumque bellum. Verum hoc bellum ex mente poetæ a Julio Cæsare ad summam potestatem invadendam gestum fuit, adeoque *plusquam civile*, sive *tyrannicum* merito dici potest. Quod Burmannus monuit Ovidio sublectum, Met. XII, 583:

Exercet memores *plusquam civiliter* iras,

id est, non ut bonus et æquus civis, sed tyrannorum in morem.

2. *Jusque datum sceleri.* In cod. B notatur : « Zeugma est a mediis ima et superiora complectens. Quum occiso cive nemo accusabatur de homicidio. » — *Jus* sæpe consuetudinem, quæ frequentiam scelerum et illicitorum facinorum impunitatem inducit, notat; unde quæ olim puniebantur, nunc impune ferrent scelerati. Burm. — De bello quidem civili præcipue, sed et de aliis bellis non male dictum Senecæ, hujus poetæ patruo, Epistola XCV : « Ex senatus consultis plebisque scitis sæva exercentur, et publice jubentur vetita privatim. » Quod christiane dictum probat christianus martyr Cyprianus : « Homicidium, quum admittunt singuli, crimen est: virtus vocatur, quum publice geritur. » Grotius. — Hæc verba ex mente poetæ jam longe aliud significare ac eruditis vulgo visum fuit, ex iis, quæ dicta sunt, liquido patet. *Jus* enim, quod et *jus mundi*, Lib. II, vs. 321, et *rerum potestatem*, Lib. II, vs. 136, vocat, hic denotat summum imperium, quod datum esse dicit *sceleri*, id est, scelerato J. Cæsari, qui *hostis patriæ* judicatus, victo in campis Pharsalicis Pompeio, dictatura perpetua armatus summum imperium occupavit. Jever; cui adstipulatur cod. nost. D, ita : *Potestatem subditam scelerato Cæsari.* — Mycillus autem et Farnabius exponunt, *juris* colorem *datum sceleri*, id est, jus prætextum et obtentum scelerato bello, quum justis, uti præ se ferebant, utrimque causis, justis exercitibus et præliis, pari gratia atque auctoritate dimicaverint. — Sulpitius intelligit, bonum et æquum violatum, et justitiam subjectam injuriæ; et sic vertit Marmontel: *Cette guerre, qui mit les lois aux pieds du crime.* — Nos quoque, si quid tot ac tantorum virorum dictis adjicere audemus, sententiam hanc proponimus publico judicio disceptandam : jus legitimum datum sceleri, quippe quia sceleratam Cæsaris audaciam absolvit victoria, et quod primo scelus erat, tunc perpetrato bello, legitimum et æquum evasit; vel etiam intelligi potest, in hac lite, diis judicibus, sceleri datum esse jus, id est, *victricem causam*, ut ipse ait infra vs. 128. Priorem ex hisce interpretationibus ego amplector; et verto : *le crime légitimé.*

4. *Et rupto fœdere regni;* aspere dixit, quum debuisset dicere *imperii.* In triumviratus divisum erat imperium Romanorum inter Cæsarem, Crassum et Pompeium; qui orbem terrarum hac ratione fuerant partiti, ut Cæsar duas Gallias cum Illyrico teneret decem legionibus suis, adjuncta Gallia Comata; Crassus Orientes haberet una cum Parthis, Pompeius Italiam cum Hispania et Africa, ita ut Siciliam et Sardiniam teneret. Ergo *rupto fœdere*, sive Crassi interitu, sive morte Juliæ: quum etiam miles jurabat romanus nil se contra patriam imperatoremque facturum. SCHOL. cod. B.

7. *Pares aquilas.* Nullus interpretum, quod sciam, hoc loco hæsit, aut ullam mendæ suspicionem fovit. Ut tamen verum fatear, *pares* illæ *aquilæ* valde mihi suspectæ et Lucano indignæ videntur. Quid ita? dicam breviter. Quia, hoc modo si scripsit Auctor, ineptus aut mendax merito videri possit. Mendax, quia *aquilæ*, id est, legiones utrimque nec numero pares, nec fortitudine fuere; nam de similitudine *aquilarum* hæc vox explicari commode nequit, quia dissimiles aquilas Romanis fuisse ne suspicari quidem licet: ineptus, quod in solis *aquilis*, declamatorii acuminis delicias, ἀντίθεσιν neglexit. Legendum suspicor,

...infestisque obvia signis
Signa, aquilas *aquilis* et pila minantia pilis.

In cod. veteri per compendium hoc modo scriptum olim fuisse crediderim

Aquilas lis, et pila minantia pilis,

quumque ineptus librarius sive ignorantia, sive negligentia omisisset illud *lis*, quod *aquilis* notabat, claudicanti huic versui male sedulus criticus succurrere cupiens, illud inconcinnum *pares* intrusisse videtur. Si quis enim hic pares aquilas *similes* explicet, næ! actum egerit. Omnis enim oppositionis ita perierit venustas et orationis concinnitas desiderata fuerit. Antithesin Virgilii, Æn. Lib. IV, vs. 628, adumbrare voluit,

Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis.

Inserere hic juvat, quæ Cel. P. *Burmannus secundus*, ad tuendam vulgatam in Lucano lectionem, in Epistola benigne mecum communicare voluit: « Illud, *aquilas aquilis*, etc. blanditur valde et blandiri debet omnibus « illis, qui aliquem in his gustum habent. Sed nondum tamen mihi per- « suaderi patior, *pares* aquilas a Lucano abigendas esse, quas vindicare « possunt eximii illi numi consulares in gente Antonia a Vaillantio, Mo- « rellio, Mediobarbo pluribusque aliis editi, et triumvirum Antonium « spectantes, cum nave prætoria et aquila legionaria inter duo signa mili- « taria, quos a Leg. I, ad Leg. XXX, apud Mediobarbum videre potes, e « quibus pateat, Cæsari et Antonio fuisse

« ...pares aquilas et pila minantia pilis

« adeo ut Poeta, duplici antitbesi contentos videator studio interposoisse « illas pares aqnilas, oe tertia antithesis modum excederet. » Dissentire a me hac parte virum sommum, tantnm abest, ut ægre feram, nt potius Lucano gratoler, si qnid temere a me motom videri possit. Conjecturam proposoi, qoæ, ntut veri simillima videatnr, mera tamdiu conjectura manet, dum Codice aliquo firmetur. Numorum fidem haud elevo. Se tamen vel uous codex addixerit, maous auctoris esse videatnr. Ansa coojecturæ fuit, quod pares aquilas ex mente auctoris explicare adversas, hostili et gladiatorio more oppositas dnriusculnm videretnr, et si de similitndine aqnilarum capere volueris, omnis illa, qoæ ex vi ἀντιθέσεως resultare videbatur, venustas plane periret. JEVER. — Totum hunc locum pæne expressit, dignus romanæ magnitndinis interpres, optimusqne idem Lucani æstimator, P. CORNEILLE, CINNA, Act. I, sc. 3:

« Je leur fais des tableaux de ces tristes batailles
« Où Rome par ses mains déchirait ses entrailles,
« Où l'aigle abattait l'aigle, et de chaque côté
« Nos légions s'armaieot contre lenr liberté;
« ....
« Romains contre Romains, parens eootre pareus,
« Combattaieot seulement pour le choix des tyrans. »

Versus aotem seqnentes prava distinctioue corruptos declarat Beotleius. Recte qoidem satis, inquit, si grammaticam solam spectes, coutiouari possunt illa, *quæ tanta licentia præbere cruorem gentibus?* Sed sententia misere jugulatur. Sic enim procedendum erat, *quæ licentia cruorem gentibus præbere, bellaque gerere?* quorsum igitur, aut unde illud *placuit;* oou otiosnm modo atque iuers, sed incommodum atque uoxium? At motata distinctiooe, commode et belle se babent omnia :

Quis furor, o cives! quæ tanta licentia ferri!
Gentibus invisis Latium præbere croorem,
Quumque superba foret, etc.

placuit præbere cruorem et bella geri, nullos habitura triumphos? pleoa clausula est, et ioterrogatioue terminatur.

16. *Flagrantibus æstuat horis.* Miram sibi videri bane locutiooem profitetnr Oudeod. qui nibil tamen temere mntatum velit. Bentleius quidem reponit *auris; Jever* malit *Austris*, quod ex Scythico frigore et Borea, Austris opposito, patere arbitratur. Ego vero vulgatam oon dimitterem : *horæ* eoim sont vel dies, Virgil. Georg. I, 426, *nunquam te crastina fallet Hora;* vel tempestates aoni, Horat. Carm. I, od. 12, vs. 15, *variisque*

mundum temperat horis; aliquando etiam tempus omnino significant. Hunc locum tuetur Horat. Carm. III, od. 13, vs. 9:

> Te *flagrantis* atrox *hora* Caniculæ
> Nescit tangere.

24 sq. *At nunc semirutis... Urbibus.* Multæ hic conjecturæ: sed forsan hic duo versus otiosi et a librariis sunt intrusi, vel duæ Lucani ἐκδόσεις in unum sunt conflatæ, et sic bis idem dicitur. Quid si dederit auctor:

> At nunc semirutis pendent quod mœnia tectis,
> Rarus et antiquis habitator in urbibus errat.

Tunc etiam vitabitur inepta conjunctio τῶν *Italiæ* et *Hesperiæ*. Favet conjecturæ, quod τὰ *nulloque domus custode tenentur* varie admodum in MSS exarentur. Oudend. Epist. ad Schrad. — Locum varie tentarunt interpretes, sed leviorem adhibuerunt medicinam. Pro *urbibus* Bentleius conjicit *finibus;* Heins. *Turribus;* Burm. *Arcibus.* Heinsii conjecturam veri simillimam judicat *Van Jever*, cui tamen locus ne sic quidem persanatus videtur, quum maneat inepta ταυτολογία inter *tecta* et *domus;* et præterea, inquit ille, ridiculus ita fuerit auctor. Quæso enim, an alicui mirum hoc adeo videri possit, si nulli habitatores in semirutis tectis reperiantur? Legendum puto levicula immutatione,

> At nunc *semirutæ* pendent quod mœni a *celsis*
> *Turribus Italiæ*, lapsisque ingentia muris, etc.

Semirutæ Italiæ rescripsi, quod magis ad mentem poetæ facit quam *semiruta tecta*: dein vero ex Heinsiana emendatione *Turribus* sponte se offerebat τὸ *celsis*, quod pro *tectis* reposui. — Hæc in mentem revocant verba feminæ celeberrimos inter scriptores Claræ, M[me] *de* Stael, *Corinne*, Lib. I, cap. 5: « Les déserts qui environnent la ville de Rome, cette terre fatiguée « de gloire, qui semble dédaigner de produire... Les Romains semblent habiter « là non comme des possesseurs, mais comme des pèlerins qui se reposent au- « près des ruines. »

33. *Quod si non aliam*, etc. Putida sane hæc adsentatio, et minime aliorum scriptorum exemplo excusanda; licet omnes fere alii eamdem cantilenam canant, ut Bentleius notat; decentius qui sub bonis principibus vixerunt, invidiosius qui sub malis. Hic referre juvat opinionem viri omnium doctrinarum dotibus ornatissimi Villemain, qui rem acutissime sic disentit, *Biographie Universelle*: « ....Ces adulations trop célèbres qui déshonorent « le commencement de la Pharsale, et qui ne sont pas moins choquantes « par le mauvais goût que par la bassesse. On ne peut en assigner l'époque, « et l'on ignore si elles se rapportent à ces commencemens de Néron, affec- « tant quelque vertu, ou si elles s'adressent à Néron déjà coupable. A leur

« dégoûtante servilité, on croirait assez qu'elles ont été faites pour un tyran « connu et redouté. Jamais bon prince ne fut ainsi loué. » Quæ fuerit mens Lucani, plane ignoramus; hoc tamen vero simile haberi posset, eum nempe, quum passim vividum amorem libertatis odiumque in tyrannos implacabile proditurus esset, timuisse, ne Cæsarum crudelissimus, et semper suspicione pallens, auctorem et poema æternæ oblivioni addiceret. Neronem igitur laudavit, et quidem immodice, non studio, non admiratione motus, sed quasi ut commeatum operi suo obtineret; sperabat forsan sibi, plenam devoti addictique animi fidem professo, licentiam fore, quæcumque sentiret, libere et audacter expromendi. Ironice vero scriptam adulationem, etsi doctissimis viris ea placuerit sententia, non opinor; nec, quid illud sibi voluisset, intelligo.

Hic mendum, nemini hactenus deprehensum, manifestum tamen esse declarat *Jever:* « Cedo enimvero, inquit, cur *venturo* potius Neroni viam invenirent fata, quam *venturo* Augusto? Nero utique jam natus erat, quum hæc scriberet Lucanus; qui, malum! venturus dici poterat? Lege, meo quidem periculo, *recturo*, hoc sensu, si nullam aliam viam, qua Nero *ad imperium* perveniret, fata invenire poterant, etc. Atque ita servatur propria Lucano loquendi consuetudo, qui hæc πεπηγμένα declamatoria, quale hic est in *regna* et *recturo*, in deliciis habet. » Hæc mihi quidem nequaquam satisfaciunt; nec nodum video. Si Nero *venturus* dici non potest, quia jam tunc natus erat, quare melius *recturus*, quum jam ad imperium pervenisset? Agitur autem de tempore, quo bella civilia acta sunt, et tunc certe Nero *venturus* erat. Immo nunquam, ni fallor, vocabulum *recturus* absolute positum vidi; nec magis placet τὸ πεπηγμένον.

54. *Nec polus adversi.* Heinsius ad Virg. Æneid. VI, 32, legit *aversi;* cum quo consentire videtur Oudendorp. et Bentleius post Priscianum, postulante, ut ait, sententia: *aversi*, ab oculis nostris, ab orbe nostro remoti. Sed Burmannus, et ipse deinceps Oudend. in Epist. ad Sebrad. legunt *adversi*, id est, alteri polo, arctico scilicet, opposito; nam ab orbe medio æque *aversus* est arctous atque australis; sed ambo hic sibi invicem opponuntur, ergo *adversi*. — *Calidus.* Lucanum hic excusant Oudendorp. Epist. ad Sebrad. et Bentleius, quippe apud poetas *polus* non punctum quoddam et axis extremum notat, sed modo totum cælum, modo quamdam pro diversa epitheti ratione partem. *Austri polus* est igitur cæli pars meridionalis, zona torrida et quod ultra est. Recte jam monuerat Burmannus, veteribus nihil cognitum ulterius quam Africam plagam, ardentem et siccam. — *Vergitur*, inclinatur. Grotius maluerat *mergitur*. Nunc inter doctos convenit vulgatam bene se habere, teste Prisciano.

63 sqq. *Sed mihi jam numen*, etc. Hæc verba aliis locis, ubi Lucanus in Neronem invehitur, repugnare videntur et suspecta sunt, quum non facile is, qui Neroni in re poetica cedere nolebat, eum numinis instar ad vires in romana carmina dandas invocaverit. Etiamsi non alia loca, hic unus satis probet, flagrans Lucani odium in Neronem seriori tempore, quam

Pharsalia scribi cœpta sit, natum esse, mutatisque poetæ studiis colorem quoque Pharsaliæ in hac re mutatum esse. Fuerunt quidem, qui prooemium totum ironice dictum explicarent; sed omnia docent, Lucanum revera Neroni, cujus amicitia, ut notum est, fortasse tunc utebatur, adulatum esse, sicuti a Virgilio aliisque Romanorum poetis cum aliis ex pravo et perverso more factum esse constat; ut nihil dicam, quam ineptum, incommodum, atque ab epici carminis ratione longe abhorrens ejusmodi prooemium fuerit. Si quid hac in re divinare licet, fortasse ad hunc locum verba pertinent in vita Lucani, vulgo Suetonio adscripta: *codicillos ad patrem corrigendis quibusdam versibus suis exaravit.* Ex quibus olim colligere mihi visus sum, septem priores libri primi versus a Lucano ad patrem missos esse, ut novum prooemium essent loco ejus, quod a vers. 8–66 legitur; sed licet vs. 7 et 67 optime cohæreant, plura tamen sunt, quæ opponi possunt, ut supra ostendi. Nihilominus non possum non sententiam de alio prooemio, quod Lucanus elaboraverit, tueri. Quid enim, quæso, Lucano, mortis hora jam admota, cum versibus aliis expoliendis meliusque constituendis? Immo tunc, ut nunquam, odio in Neronem flagrabat, neque, prooemii recordatus, hoc sui dedecus in Pharsalia amplius passus est. Misit igitur patri aliud prooemium, in quo Neronis vel nullam fecerat mentionem, vel ita ut odium suum in illum probarit. Verum hæc ipsa fuit fortasse causa, cur pater prooemium novum loco ejus, quod nunc habemus, substituere noluerit, vel quia initium Pharsaliæ jam vulgatum atque notum. Ita exordium alterum intercidit. Quam ob rem male Guietus versus 63-66 ab interpolatore profectos esse contendit, qui non modo cum præcedentibus, sed etiam cum sequentibus aptissime cohærent, invocationemque numinis continent, ex more epicorum poetarum, licet, ut plura, singulari modo a Lucano factam. WEBER.

74. *Antiquum repetens iterum chaos.* Locum hunc, qualem se in vulgatis habet, exponere tentavimus: fatendum tamen est non omnia ibi plana, et conjecturis campum patere. Quare Rutgersius, adsentiente post Bentleium Oudend. corrigit, *Antiquum repetent iterum chaos omnia; mixtis,* etc. Sequentia vero impugnat Bentleius, quia, si dicatur, *sidera sideribus concurrent,* intelliges alia aliis concurrere: sed si *omnia* concurrunt, quibus, quæso, *aliis* concurrere possunt; immo quæ alia adhuc possunt misceri? Itaque vel omnia hæc ejicienda, vel pro *sideribus* legendum *seminibus*, id est, particulis, et pro *astra petent* reponendum *æthra petet. Van Jever* alia tentat et sic locum reficit, *obvia mixtis Tartara sideribus*, etc. Et suam conjecturam addit *Weber: Omnia mixta, sidera sideribus concurrent;* ita ut *concurrent* conjungi debeat cum τοῖς *omnia mixta*, et in prioribus ex usu satis vulgari omissum sit.

76. *Tellus extendere litora nolet.* Cur hic hæserint interpretes, pæne me fugit; mire tamen dissentiunt. Schol. nostri cod. B. intelligit: fretum se excutiet. Sulpitius: tellus repugnabit, ne mare litora dilatet et se magis extendat, illudque excutiet, id est, rejiciet. Badius: *tellus ext. lit. nolet*, id

est, esse arida et a mari separata (quis capiat?), et in terram effundet fretum. Farnabius : litora extensa et opposita non valebunt, ut antea, mare coercere et *excutere*, quo minus terra obruatur. Bentleius, quum putaret *extendere litora* eodem sensu dictum quo *fines*, *agri*, *rura* dicuntur extendi, et ita, litore extenso necessario excuti fretum, contra mentem poetæ reposuit *tellus ext. lit. quæret;* quod recte improbat *Van Jever.*

82. *Nec gentibus ullis Commodat*, etc. Hoc sensu ; non fortuna Romanis semper erit prospera, sed tandem alio transibit, nec *ultra*, id est, ulterius, diutius, sinet gentes invidere Romanorum felicitati. Gentibus enim *invidiam suam commodat*, dum favet Romanis, id est, tamdiu justam dat causam invidendi eis. Nimis acute, opinor.

91. *Noxque diem cælo*, etc. Versum hunc spurium esse vehementer suspicatur *Van Jever*, quia *totidem* illa *signa* ineptissima sunt nihilque significare possunt, nisi *duodecim*, vel *bis sex* præcesserint. Immo, pergit, quis unquam somniavit *noctem sequi diem*, id est, *solem per duodecim Zodiaci signa?* hoc nusquam scriptum, aut pictum.

113. *Abstulit ad manes, Parcarum Julia sæva Intercepta manu.* Bentleius putat hæc ob sequentia, *quod si tibi*, non bene cohærere. Cur enim *Julia* primo tertia persona, deinde secunda. Igitur locum inquinatissimum putat. Ejus verba sunt : « Pignora juncti sanguinis ad manes abstulisse dicitur *Julia.* » Quæ pignora, cedo? *filium*, an abortivum fetum? Nugæ. Et quid mirum, ad manes abstulisse, quum sæva Parcarum manu intercepta dicitur? Desperato loco medicinam tentabo facilem atque certam. Hanc mihi subministrat apostrophe ad Juliam, quæ ostendit in secunda persona lectum olim fuisse *Abstuleras*, pro *Abstulit ad.* Quare levissima mutatione, et ineptis *manibus*, qui sensum totum turbarunt, ad corvos ablegatis, breviter evincam, ita constituendum esse totum locum,

Jam *fœdera* juncti
Sanguinis et diro ferales omine tædas
Absciderasl Magni Parcarum *Julia* sæva
Intercepta manu. Quod si tibi fata dedissent
Majores in luce moras : *tu* sola *furorem*
Inde *viri* poteras atque hinc retinere *parentis.*

Jam pro *Nam* rescripsi, postulante sensu : « Jam mortua eras *Julia*, atque affinitatem Pompeii et Cæsaris, et infaustum eum Pompeio conjugium abruperas.» *Fœdera juncti Sanguinis* notant affinitatem. Sic *Florus*, L. IV, c. 11, 13, dicit Juliam generi socerique *concordiam tenuisse fœdere matrimonii*, id est, affinitate per matrimonium contracta. Sic Lib. III, v. 33, legendum :

Abscindis frustra ferro tua *fœdera.*

Sicuti in uno Codice legitur, teste *Burmanno.* Verissima illa lectio, et a Lucani manu *Abscindis* profectum esse, evincit hic locus, in quo *Abscide-*

ras antepenultima brevi a præterito abscidi ab abscindo, quæ longa foret, si ab *abscido* derivaretur. *Ferales tædæ* hic infaustum Juliæ cum Pompeio matrimonium notant, quod *malo omine*, morte, abruptum dicit, quia (uti auctor voluisse videtur) ante tempora luctus finita Corneliam duxerat, quam Juliæ *pellicem* ideo vocare non dubitat, Lib. III, v. 23 : dein refinxi, elegantissimo sensu, *Julia Magni*, quomodo auctorem scripsisse crediderim, formula notissima, ut *Marcia Catonis*, Lib. II, v. 343. Absciderat sibi vindicat, ut dixi, apostrophe ad Juliam, tu sola furorem, etc. *Furorem viri et parentis*, lego, ut vitetur turpe illud ὁμοιοτέλευτον, in fine, quod proxime ad leoninos versus accedit, quales insulsi monachi, harum deliciarum amantes, invitis auctoribus nonnunquam obtruserunt, ut mox in *Ovidio* et *Propertio* factum probabimus. Ita propitio Apolline emaculatus poeta manum suam agnoscet. — Idem tamen in *Addendis : Furorem viri et parentis* rescribi volui, quomodo et in Epistola ad. *Schraderum* reponi placebat *Oudendorpio*. Nunc vero muto sententiam, cum quia Codd. nil mutant, tum quia Veteres illa ὁμοιόπτωτα non solum non vitarunt, sed studiose nonnunquam affectarunt. Exemplis supersedeo. Commendat se hac parte accurata amicissimi *Schraderi* industria in Animadv. ad Musæum, p. 140, qui longam istiusmodi exemplorum seriem exhibet. Idem Bentl. vers. seq. malit *furentes*, præsertim quum Pompeium eui ubique favet necessario ineludat, illud *furentem*, Cæsarem non ita: Seneca, Epist. XIV. « Cato, qui furentium principum armis medius intervenit : qui aliis Pompeium offendentibus, aliis Cæsarem, simul lacessit duos. » Bentleius in emendationibus suis hic parum feliciter successisse mihi videtur: idem dixerim de sequenti nota, quam operose finxit *Van Jever*. Ed.

135. *Stat magni nominis umbra.* Hunc locum corruptum esse, et mala distinctione laborare putat *Van Jever*. Primo reprehendit *populi* in v. 137, quia non divinari potest cujus populi exuviæ illæ fuerint. Tunc *quercus*, v. 136, de quercu viva intelligi posse negat, et bis putat Pompeium comparari *tropæo veteri* donis ducum et spoliis hostilibus ornato; Cæsarem vero fulmini omnia sternenti et templa sua disjicienti. At quia Pompeius, longa pace rerum militarium scientiam quasi oblitus, et parta olim gloria tumidus sistitur, quique solo Magni cognomine se satis venerabilem et beatum reputet, adserit *Jever* legendum *sat magni nominis umbra*. Hæc autem ita explicat : Pompeius *Magni* cognomine sat gloriæ sibi adeptus videbatur, quare mollitiei et ignaviæ jam strenue litabat, nec quidquam præclari amplius meditabatur. Hic igitur τελεία στιγμὴ ponenda. Dein sequitur comparatio ejusdem cum *veteri tropæo*, quod ex querno stipite factum radicibus ramisque amputatis, sola cariosi trunci vetustate et spoliis bellicis venerabile erat. Quid multa ? En ipsam poetæ manum!

Nec reparare novas vires, multumque priori
Credere fortunæ : *sat* magni nominis umbra.
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias *belli* veteris, sacrataque gestans

Dona ducum, nec jam validis radicibus hærens
Pondere fixa suo est, *nullosque* per aera ramos
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram.

Duces enim veteres, fugatis hostibus, *tropæum* erecturos, ingentem palum, sive arborem exstirpatam, radicibus ramisque decisis, alto in tumulo defigere spoliisque hostilibus ornare solitos fuisse, tralatitium est. Virgil. Æneid. XI, 5:

Ingentem quercum, *decisis* undique *ramis*,
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias.

Vides, B. Lector, quercum ingentem sine ramis in *tropæum* erectam? Non igitur amplius hic opus est de *nudis ramis* philosophari! nullos ramos, nullas radices habet hæc arbor; sed tantum stipes quernus est, qui inferiori parte, in acutam cuspidem præfecta, terræ infigebatur, unde recte poeta ait, illam firmis radicibus non hærere, soloque trunco, non frondibus, umbram efficere. *Nudus* et *nullus* semper fere in MSS. confunduntur. Vide Burm. ad Lib. II, v. 90. et Lib. VIII, v. 263, *Belli veteris exuvias* rescripsi pro *populi*, id est, spolia in antiquo et ab hominum memoria longe remoto bello hostibus detracta, quod *veteri* huic *tropæo*, carie prope consumpto, et quod primo Euri impulsu ruinam minitaretur, melius quadrat. Si enim *populi* dare voluisset auctor, nomen illius populi sine dubio designasset: Moris enim fuit tropæis inscribere nomina hostium, quibus detracta essent spolia. Vide *Serv.* ad *Virgil.* Æn. XI, v. 83:

Indutosque jubet *truncos hostilibus armis*
Ipsos ferre duces, *inimicaque nomina figi*.

Exuvias belli hic dixit, quæ *spolia belli* vocat infra Lib. VI, v. 260:

Non tu *bellorum spoliis* ornare Tonantis
Templa potes. JEV.

147. *Temerando parcere ferro*. Quid est *parcere temerando ferro?* Temerare ferro aliquid, satis notum: Ipsum *ferrum temerari* sive violari nunc primum didici. Ovid. Metam. VIII, 742:

Dicitur et lucos *ferro temerasse* vetustos.

Horat. Serm. II, 3, 139.

Non Pyladen *ferro violare* aususve sororem.

Facile crediderim, sic ab auctoris manu profectum,

Et nunquam temerando parcere *juri*.

Dum mores hominis, ac ingenium, et characterem depingit Noster, ipsius Cæsaris verba vel historica fide huc ducit. Suetonius Cæsare, c. 30: «Quidam putant captum imperii consuetudine, usum occasione rapiendæ dominationis.»

quod existimasse videtur et Cicero, scribens de Officiis libro tertio, semper Cæsarem in ore habuisse Euripidis versus, quos sic ipse convertit:

> Nam si *violandum* est *jus*, regnandi gratia
> Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Cicero ipse III, 21: « Ipse autem socer in ore semper græcos versus de Phœnissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi, nam si violandum, etc. » Versus adhuc restant in ea fabula Euripidis, v. 534, de Pors.

> Εἰ χρὴ γὰρ ἀδικεῖν, τῆς τυραννίδος πέρι
> Κάλλιστον ἀδικεῖν : τ᾽ ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρέων.

Satisne jam compertum est, ad hoc ipsum respexisse Lucanum? Neque enim monito opus est *temerare jus et violare jus* unum idemque esse. Noster de Cæsare, I, 225:

> Hic, ait, hic pacem *temerataque jura* relinquo.

Tacitus Annal. 1, 40: « Cur gravidam conjugem inter furentes et omnis humani juris violatores haberet? » Silius XI, 160:

> Itis, ait, cives, violanda ad jura parentum.

Seneca, Medea 614:

> Exitu diro temerata ponti
> Jura piavit.

Tacitus Hist. III, 80: « Sacrum etiam inter exteras gentes jus, civilis rabies usque in exitium temerasset. » BENTL.

205. *Sic quum squalentibus arvis Æstiferæ Libyes.* Illud *quum*, quod ex uno codice primus admisit Bersmanus, onerat impeditque sententiam. Manuscripti fere omnes cum Romana ac Veneta *sicut*. Reponit ergo Bentleius ex codice Regio et Bersmanni altero,

> *Sic in* squalentibus arvis.

Corruptus locus, quod tamen nemo hic animadvertit. 'Απόδοσις hujus similitudinis, quæ præcessit, particulam *quum* otiosam reddit, quæ sensum turbat. Confirmator hoc versu 208:

> Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ.

Unica corruptionis causa est vox *subsedit*, quæ fecit, ut criticus aliquis male sedulus τὸ *quum* intrusum iret. Vi similitudinis hic non præteriti sed præsentis temporis verbum requiritur, adeoque *subsidit* a verbo subsido rescribendum; nam præteritum *subsedit* a *subsideo* descendit, quum *subsido subsidi* in præterito faciat, ut olim monui in observatione quadam, ad Lib. V, v. 226, cum Cel. *Burmanno* communicata, et ab eo sub nomine cujusdam disciplinæ suæ alumni ibidem inserta. Similiter Silius V, 309, de leone,

ex Nostro mutuatus : « Haud secus e specula præceps delatus opaca, Subsidens campo submissos contrahit artus. » Legendum, si quid video, mutata distinctione :

> .... Sic *in* squalentibus arvis
> Æstiferæ Libyes viso leo cominus hoste
> *Subsidit* dubius, totam dum colligit iram.
> Mox ubi, etc.

Dicit auctor : Cæsar substitit ad Rubiconem ; dubius animi, recederetne an infesto exercitu Romam peteret. Dein *tumidus* ira (ita enim probat *Burmannus* pro *tumidum*) signa propere movit et Rubiconem transiit. Ita quoque leo Libyeus, hoste cominus conspecto, *dubius subsidit* in hostem illum irruat necne, donec irarum stimulos concipit. Mox demum collecta ira venabula sperunt, vulnerisque securus per ipsam hastam exit in hostem. Res ultro patet : pluribus igitur non adstruam. Probant Codex Bersmanni et Vossianus quint. qui clare *sic in* exhibent. (Aque ita e duobus Codd. video protulisse Bentleium, quem laude sua fraudatum nolim. Ex addend.) Alii Codd. fere omnes vel *sicut*, vel *sic*, vel *sic cum* repræsentant. Jev.

213. *Parvisque impellitur undis Puniceus Rubicon.* Scio quid sit *undas impellere*, vel ex Georg. IV, 305 :

> Hoc geritur, Zephyris primum impellentibus undas.

Venti scilicet impellunt undas. At quid hoc est, quod *Rubicon suis undis impellitur?* Ergone fluvius diversum quiddam est ab undis suis? Quid quod istæ *parvæ undæ* sunt ipsa glacie frigidiores? Quis sic loqnutus est? Huc accedat, quod decem versiculorum spatio ter eadem voce linea clauditur, *impellitur undis, auxerat undas, fluminis undas*. Sine dubio flagitia librariorum hæc sunt, non incuria auctoris. Quid si ille sic scripserit?

> Fonte *fluit* modico, *parvaque ignobilis urna*,
> Puniceus Rubicon, quum fervida canduit æstas.

Certe cum puniceum dicit, quasi nomen a rubore ductum sit, videtur personam fluvio dare, ut alii passim. Æn. VIII, 64 :

> Cœruleus Tibris, cælo gratissimus amnis.

Ibid. VII, 792 :

> Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.

Claudian. in Rufin. 1, 133 :

> ....et Rhenus projecta torpuit urna.

Id. in Eutrop. II, 171 :

....et aurata Pactolus inhorruit urna.

Jam vero *ignobilis* adeo apposite, ut nihil magis. BENTL.

Menda inquinatum sensit hunc locum *Bentleius*, quippe bis *undas* in continenti, exiguo versuum spatio, otiose repetitur. Tentat igitur et refingit :

Fonte *fluit* modico *parvaque ignobilis urna*,

male et contra scriptos Codd. *Lucani* manum quærimus, non acumen *Bentleii*. *Cadit* recte se habet. *Torrens* enim est, qui aquis auctis *cadere* et *ruere* proprie dicitur. *Ovid*. Lib. III, Amor. Eleg. VI, v. 7.

Parvus eras, memini, nec te transire refugi,
Summaque vix talos contigit unda meos.
Nunc *ruis*, opposito nivibus de monte solutis,
Et turpi crassas gurgite volvis aquas,

undis quoque hic non sollicitandum, sed legendum *parcis* undis. *Parvus* enim amnis, *modico* fonte fluens, *parcas* sive exiguas undas volvat necesse est. Sic *parca mica salis* Ovidio, Lib. II, Fast. v. 538, et *parca* vina, eod. Lib. v. 636 :

Parca precaturæ sumite vina manus.

Emendandi vero ratio satis manifesta est v. 217; ubi *undæ* otiose repeti videntur : quia cum dicit hiemem præbuisse *vires*, illud *auxerat undas* nimis languidum est. Lego igitur, ut scripsisse puto poetam :

Fonte cadit modico, *parcisque* impellitur undis
Puniceus Rubicon, etc.
Tunc vires præbebat hiems, atque auxerat *iras*
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et *calidis* Euri resolutæ flatibus Alpes.

Iras, id est, violentiam et sævitiam. *Vires* sive aquas dabat *hiems*; *iras* et violentiam augebant *tres continuæ pluviales noctes* et *tepentes* Euri flatus, qui Alpinas nives solvebant. *Ira* de violentia *amnis* eleganter dicitur. Lucan. Lib. X, v. 316:

Quis te tam lene fluentem
Moturum tantas violenti gurgitis *iras*,
Nile, putet?

Calidis vero sive tepidis Euri flatibus melius quam madidis nix Alpina resolvi posse videtur. Æstas enim appropinquabat et æstivi venti calidi. Præterea *pluvialis Cynthia madidos* Euri flatus otiosos reddere videtur. Cel. *Schraderus* conjiciebat:

Et madidis *Austri* resolutæ flatibus Alpes.

quod firmari possit loco Ovidii, Lib. I, Met. v. 264 :

Madidis Notus evolat alis.

et pluviali Cynthiæ non male conveniat. Eligat Lector. *Bentleius* ex Addend.

227. *Credidimus fatis : utendum est judice bello.* Clercquius versum male pro spurio habet; passim enim Fortuna, fata et Dii a Lucano conjunguntur, cf. I, 310; VII, 544, 547; VIII, 21, 23, 701; ita ut Fortuna fata quasi ministrare, et quod a Diis ab æterna rerum serie fixum sit, peragere videatur. Recte itaque Cæsar Fortunam sequitur, quæ fata perfert: unde fata Cæsaris IV, 143, 392; IX, 558. — Neque reliqua interpolationem arguunt; sæpius enim transitus fit a singulari ad pluralem, ut h. l. cf. I, 310, 350; 351, 632, 634, 687; 690. II, 286, 288, 303, 305, 512; 14. III, 365. VII, 255; et pluralis maxime Cæsarem decet, sicuti totius versus sententia. Verbum *credidimus* Cæsaris fiduciam, quæ militibus probari debebat, notat. Quare Burm. conjectura *cedimus en* defendi non potest, partim propter particulam *en* quæ nullam h. l. vim habet, partim propter v. *cedimus*, quum omnino cedere satis maximeque h. l. non sit Cæsaris, qui potius confisus iis bellum incipit. Displicet quoque Heinsii *credimus*; præteritum enim h. l. suam vim habet. Neque quid in sequentibus verbis humilis, abjecti et plebeii sit video, immo optime ex Cæsaris moribus dicta sunt, qui VII, 259 sq. quoque bello judice usus, cf. supra vs. 127 sq. apud milites talia loqui debet. Parvi autem vel nullius momenti in nostro esse κακοφωνίαν vv. *fatis* et *fatus* satis ex lib. II, 144 demonstrari potest. Neque variæ denique lectiones h. l. interpolationis indicium præbent, quum *judice* et *vindice*, nec non *bello* et *ferro* sæpius in libris confunduntur, cf. de hoc Burm. ad VII, 345, 549, de illo Oudend. ad IX, 971; X, 368. Locum explicat Schol. Lips. b : « fatis, i. e. Diis disponentibus fata; vel fatis, i. dictis ac promissis Pompeii, quibus sese amicum et fidelem mihi ostendebat; » sed prior explicatio sine dubio vera est.

264. *Justos fortuna laborat Esse ducis motus, et causas invenit armis. Motus ducis* ut supra, 184:

Surgentes animo motus, bellumque futurum;

et duodecimo abhinc versu,

Nos primi Senonum motus....
Vidimus.

Sed vide an Lucano hoc conveniat, perpetuo Cæsaris insectatori, ut fateatur id Fortunam laborare, *justos motus*, justam esse causam, justum piumque bellum suscipi. Quid quod ea ipsa qua defenditur causa, jure dis-

pliceat *motus;* quia toties inculcatur, præsertim quum tertio mox versu sequatur,

Hos jam mota Duris vicinaque signa petentes.

Enimvero non nimis belle, duorum versuum intervallo repetuntur ista *ducis motus* et *mota ducis*. In tanta horum librariorum ignavia licetne veniam sperare, si sic mutaverimus?

...justos Fortuna laborat
Esse duci *questus*, et causas invenit armis:

jure nempe vel Lucano confitente questurus erat Cæsar, tribunos suarum partium e senatu pulsos et civitate exactos. Cæsar infra 318:

Quid jam rura querar totum suppressa per orbem.

et II, 44:

Effundunt justas in numina sæva querelas.

Silius XVI, 408:

Atlantis senio invalidi, sed justa quærentis.

Quanto autem minus est justos esse questus, quam motus? Illud concedat vel Pompeianus quivis, hoc nemo earum partium, minime omnium Noster. Silius ex hoc loco XV, 640:

....Fortuna laborat
Adversis documenta dare.

Et hinc vide, ut Fortuna fere consequatur, quidquid laboret: et causas sane armis Cæsarianis invenit, an igitur et *justos motus?* Renuet, opinor, negabitque Lucanus. *Causas invenit armis*, ut Cicero Philippica. II, 22: « Tu M. Antoni, princeps C. Cæsari, omnia perturbare cupienti, *causam* belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat, quam *causam* dementissimi sui consilii et facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, jus tribunitium sublatum, circumscriptus a senatu esset Antonius? »

282. *Par labor atque metus pretio majore petuntur.* Gujeto versus spurius videtur, ratione tamen non reddita, nisi in his: « nota varietatem. » Legitur enim in uno vel pluribus Codd. *tenentur*; in Rottend. sec. *parantur;* in Turr. *petentur.* Sed quid, quæso, in his spurium versum indicet? quum *parantur* sine dubio ex v. *paratis* in fine præcedentis versus, vel ex errore, ut IV, 203 in Reg. pr.; *petentur* et *tenentur* ex solenni librariorum errore orta sint, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. II, 421. Neque in sensu quid interpolatorem arguat inest; amat enim Lucanus ejusmodi sententias. Præterea nexus cum præcedentibus et sequentibus optimus est: Age, inquit, incipias

bellum; etenim, quamvis par sit ei, quod in Gallia gessisti, merces ejus major erit; quæ in sequentibus ex more Lucani exponuntur. Nexum jam scholion Lipsii indicat: « Respondet ad hoc, quod Cæsar posset dicere quod non minus laboraret, quam laboravit in Gallia. » Jever Scholiastæ explicationi adquiescens, legendum putat: « Par labor atque metus pretio *hic* majore petuntur. » Sed addit; « Dissimulare tamen nolim, Scholiastæ explicationem mihi neutiquam probari, quippe ita poeta ineptus esset, turpique non tantum ταυτολογίᾳ laboraret, sed sibi ipsi aperte contradiceret. *Geminis lustris* opus fuit Cæsari ad debellandas Gallias, ait verbis Curionis auctor, et hic *pauca prœlia* facili successu requirit ad devincendum *orbem*. Qua fronte, quæso, jam dicat parem laborem utriusque belli esse? Præterea de bellis Gallicis sermo ante non fuit, et exemplo Gallici belli ad firmandam hanc suam sententiam (quæ utique hoc versu latere debet) utitur. Hæc, puto, causa fuit, cur *Gujeto* versus hic nothus visus fuerit. Legendum suspicor:

> *Par labor atque metus: pretio hoc majora petuntur*,

hoc sensu. Aude tantum vincere: non est quod timeas, Cæsar. *Par labor atque metus!* sive, idem labor est superare et metuere pericula. *Hoc pretio*, audacia scilicet, *majora*, id est, non privata, petuntur. Forti audaciæ imperium orbis petitur. Videas jam sequentia optime cohærere,

> Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
> Pars quota terrarum! facili *hic* si prælia pauca
> Gesseris eventu, *tibi* Roma subegerit orbem.

Si *hic*, inquit, *in Italia*, pauca prælia felicia feceris, brevi spatio totius terrarum orbis imperium comparaveris. Quare particulam *hic* suo loco restitutam volui. Periculum et metus periculi idem est; eodemque labore *periculum* ipsum superaverit vir fortis atque vanum *metum*. » Jev. Eamdem correctionem admisit Clercquius. Bentl. autem *merebunt* pro *petuntur*; uterque nimis audacter. Jever autem ne recte quidem, quum *hoc pretio* de audacia nullo modo dici possit. *Metus* nisi hoc loco ζεῦγμα substituas, metonymice positum est, pro eo quod metum efficiat, pro re periculosa. Conf. IX, 380–447; Val. Flacc. I, 23: et *labores et pericula petere*, id est, inire, suscipere, optime dicitur. Iidem labores, eadem pericula tibi fortasse subeunda sunt, inquit; sed majus pretium, major merces sequitur. Sic *labor* et *pericula* sæpius conjunguntur, Cæs. B. Gall. I, 44 fin. Liv. I, 54. Ed.

287. *Excipit, aut sacras poscunt Capitolia laurus.* *Jever* conjicit hic ab auctore ovationem designari, et ex ritu ovationis mentem poetæ esse quærendam. Et quia myrtea corona ornati erant imperatores, qui ovantes urbem intrarent (Plin. Hist. Nat. Lib. XV, cap. 22), hinc dubitat, an Lucanus dederit: « Aut *sacra scandis* Capitolia myrto. » *Scandere Capitolia* pro triumphare, ut IX, 599: « Quam ter Capitolia curru Scandere Pompeii. » *Sacra*

vero *myrto* sc. Veneri, a qua J. Cæsar genus snum ducebat. Idem Jever in addendis: « Hic forte non defuerint, qui temere a me hæc mntari clament, atque conjecturæ nostræ obstare crepent verba Suetouii in Domitiau. cap. VI. « De Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit. De Sarmatis *lauream modo Capitolino Jovi retulit.* » Hæc *Suetonii* verba eodem fere ordine compilavit *Eutropius* Lib. VII, cap. 23. Quibus ex locis constare posse contendant, locum hunc Lucani non de triumpho vel ovatione capieudum, sed de imaginario *jure laureæ*, Jovi scilicet Capitolino referendæ, quem honorem triumpho minorem statuit *Casaubonus.* Imperatores enim victores, si vel res gestæ triumpho minores essent, vel si propter modestiam triumphare nollent, lauream Capitolino Jovi solam referre solitos fuisse putant. Sed hæc nihil contra nostram sententiam. Nam licet poeta nobis dedisset, ut vulgata se habet, vel ex nostra emendatione :

...Aut *sacra scandis* Capitolia *myrto:*

evicerim facile, de ovatione hæc intelligenda esse, siquidem ex testimonio Plinii Lib. XV, cap. 29, nobis liquido constat, *ovantes* quandoque laurea cinctos fuisse, non minus quam myrto vel olea. Præterea errare videntur ad illum Suetonii locum viri docti, laureas quibus literas victoriæ nuntias, fasces imperatorum et militum pila ornare soliti erant, cum laurea Capitolino Jovi referenda, confundentes.

292. *Tantum tamen addidit iræ Accenditque ducem.* Contemplare paullisper seriem orationis. Tantum addidit iræ etiam *ipsi*, duci scilicet, in bellum prompto, Accenditque ducem. Quisnam hic dux est alter ab ipso? Iram Cæsari addidit, et accendit ducem! Reponit ergo Beutleius :

...sic fatus, et illi
In bellum *prompto tantam* tamen addidit iræ
Accenditque *facem*, quantum clamore juvatur
Elens sonipes.

Ubi ordo est, Tantam adjicit accenditque iræ facem et illi (per se) in bellum prompto. Prima loci labes eis debetur, qui *tantum* reposuerunt, ideo quia sequebatur *quantum:* hoc semel admisso, pronum erat in reliquis peccare, sed fefellit eos sua regula: quippe recte dicitur, *tantam facem, quantum juvatur.* Noster supra 260: « Tanta quies, quantum rura silent. » Virgil. Æn. VI, 578:

...tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cæli suspectus Olympum.

Jever huic Bentleii correctioni adstipulatur; sed aliud, inquit, me solli-

citum habet quod non licet dissimulare. Nam, quid illud *immineat foribus* hic sibi velit, nullo modo expiscari licet. *Carceres* in certamine Olympico *foribus* simul et *repagulis* clausos fuisse, nullibi legisse memini. Nonne satis fuerit repagulum objectum fuisse, ne equi carceribus ante signum datum erumpere possent? quare illud *foribus* merito suspectum. Hinc suspicor auctorem nobis dedisse,

Quamvis jam carcere *clausus*
Immineat *cursu*, pronusque repagula laxet.

Cursu pro *cursui*. Equus *clausus* carcere, id est, stans in carceribus eleganter dicitur, *imminere cursui*, id est, cursum tentare. *Cursum minari* dixit Stat. Silv. I, 1, 47.

327. *Utque feræ tigres numquam posuere furorem.* Epitheton *feræ* reprehendit Bentleius: si feræ sunt, inquit, quid miri, si furorem non ponunt. Putat poetam dedisse: « *Ut veterem* tigres numquam posuere furorum. » *Veterem* furorem vocat, innatum, ingenitum, insitum, quem nulla mansuefactio penitus potest exstinguere. Quarundam ferarum catuli (Seneca Pater Controv. XXIX.) cum rabie nascuntur. Seneca Thyeste 807:

Pectore fesso renovat veteres
Saucius iras.

Hippol. 355:

Veteres cedunt ignibus iræ...

Non probat hanc emendationem Jever: hic, inquit, conjunctio *que* abesse non potest, et quid mirum si *veterem* non ponant *furorem?* quis enim putaverit eas *novum furorem* posuisse? *feras tigres* vocat auctor, « Quæ in silvis feritatem a matre jam didicerunt armenta laniando, adeoque cruori jam assuetæ sunt, » et hoc ipsa ἀπόδοσις evincit. Verum illud *matrum dum lustra sequuntur* est longe ineptissimum, adeoque merito offendit *Withofium* in Encaen. Crit. p. 14; inde tentabat, *matrum dum jussa sequuntur*. Speciose quidem, sed non vere. Legendum ergo putat Jever:

Utque feræ tigres numquam posuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, *matrem* dum *in* lustra sequuntur,
Altus cæsorum pavit cruor armentorum;

dum matrem sequuntur in lustra, dum parvæ tigres matrem comitantur in sylvas. Præpositio *in* exciderat absorpta ab ultimo elemento vocis *dum*, et hæc causa fuit corruptionis. Horat. Lib. I. Od. 23, 12:

Tandem desine *matrem*
Tempestiva *sequi* viro.

397. *Vogesi curvam super ardua rupem.* *Rupem* legendum est, non *super ripam;* etsi hoc maxima pars scriptorum habeat. Sed *Vogesus* est mons in finibus Lingonum. Cæsar in commentariis dicit: « Mosa flumen de monte vogeso prodit. » Omnibonus legit *curvam ripam.*» Et refert ad Mosam fluvium, qui ex Vogeso monte labitur; sed nulla interim fluminis fit mentio. Ideo multo melius Sabellicus Syll. 2. Ann. in Plin. T. 1. Thes. Crit. p. 182, *curvam rupem* legit, ut mons declivus, et rupibus præditus intelligatur? Ascensius locum sic explicabat: deseruere castra, quæ existentia ardua i. e. in altum erecta, super curvam ripam Vogesi montis, habentis prope se ripam Mosæ, cohibebant Lingones populos; sed quis *ripam curvam montis* ferre possit. Ed. *Lingonas.* Populi illi in provincia Lugdunensi inter Celtas vicini Heduis et Sequanis; hos *pugnaces* i. bellicosos *castra cohibebant* i. arcebant, ne ultra progrederentur *armis pictis* i. picturatis, et insignibus decoratis. Dubitari autem potest, si *Lingones* legatur, an castra cohibuerint Lingonas, an Lingones castra. Patet autem *Lingonas* scribendum esse. Accusativus enim tertiæ in *as* corripitur; in *es* aut *is* producitur. Sed Nominativi et Vocativi eorum, quæ *as* in Accusativo habere possunt, habent *es* commune. Ascensius. Hæc duo carmina ostendit Antonius Sabellicus mendose legi, legitque *Castraque Vogesi*, et in sequenti *cohibentia Lingonas.* Cæterum in omnibus Cæsaris codicibus, quos vidit Bersmannus libro IV, c. 10, de bello Gallico, legitur, *Mosegi*, non *Vosegi*, ut codices habent Lucani. Et verum hoc montis nomen Gallicæ linguæ putat, et a Romanis corruptum. Moseci est enim Mosæ angulus, sive montis pars, unde ejus profluunt fontes. Quod Cæsar in latinam ac molliorem formam redigens, ut in plerisque aliis Gallicis vocibus fecit, *Vosegum* vocavit. Postera inde ætas, etymon nominis ignorans, *Vogesum* dixit. Itaque media producta est, lege barbarorum nominum, latino more inclinatorum. Primum poeta sua auctoritate produxit, etiam si posteri corripuerint primam de Mosa, quam ego malim producere. Quod vero Sulpitius dixit Lemannum lacum esse, per quem Rhodanus Ararim deferens labitur, recte a Badio reprehensum est. Invertit enim Sulpitius Plinii verba, quæ habentur libro III, c. 4. Sed ea inversio fecit falsum sensum, quod nondum fert Ararim Rhodanus, quum per lacum Lemannum labitur. Quod vero subnectit Sulpitius, Lemannum lacum Helvetios a Gallis dividere, sequutus est vulgi opinionem, qui putant, Helvetios esse germanicam gentem, quum sint verissime Galli: nec hodie priscæ Galliæ aliud est tam magnificum fastigium, atque sunt Helvetii, lingua Celtarum vetere, moribus, libertate, ac populari dominio. Alemanniam autem certum est vocabulum germanicum esse, conditum ex vocibus *alle*, omnis, et *mann*, homo, quasi omnium populorum matrem, vel ex omnium populorum aggregatione factam. Hortensio quoque videtur legendum *Mosegi*, qui et *Vosecus* a nonnullis appellatur, unde Mosæ fontes decurrunt, haud procul a fonte Matronæ fluminis. Alius est mons *Vocetus* Tacito in Helvetiis, ad cujus montis radicem vetus oppidum Vindonissa fuit, posteris temporibus ab Alemannis ita vastata Rhenum transgressis, ut ne vestigia quidem ejus ex-

stent, præter numismata antiquitatis monumenta, quæ illic effodiuntur. Satis igitur constat non voluisse poetam Mosam fluvium indicare, ex Vogeso profluentem. Mons enim Vogesus, et in monte castra. *Rupem* autem pro monte dici frequens poetis. Locus sanns nunc et clarus est. Et primnm, nam Omnibonum nihil moror, merito offendit Sabellicum verbum *cohibebat* sine casu recto; ejus enim tempore vulgo legebatur *Castraque Vogesi.* Sed recte *quæ* addiderunt jam Snlpitius et deinde reliqui, quod Glareanus male rursus delendum putat. Agnoscunt eam vocem Ed. Parmensis et omnes scripti præter Amstel. et Oudend. Male vero Glareanus et Hortensius malunt *Mosegi.* Certe apud Plinium lib. XVI, c. 39 : « In Gallia Jnra ac monte Vogeso. » Monet Dalechampius in Chiflet. Cod. esse *Vosego.* In Silio Italico qnoque lib. IV, vs. 213, nomen militis Galli habetur ex emendatione Heinsii *Vogesus*, vel *Vesegus*; in regio primo hic est *Vocesi.* Jam vero quum constet, *Vogesum* sive *Vosegum* esse montem, non vero fluvium, valere non posse constat *ripam Vogesi;* quod tamen vetustissimos quosque obsedit Codices, unde deceptus Scholiastes putavit, tam esse flumen, quam montem. Ait enim ad hæc verba : « Ordo est : et castra deseruere Romani, quæ ardua super curvam Vogesi ripam posita cohibent Lingonas pugnaces pictis armis. Vogesus mons ejusdem civitatis cum flumine. » Nam quod alii exponunt : *ripa Vogesi* est ripa Mosæ juxta Vogesum, velim talis locutionis mihi dari exemplum. Præterea castra non possunt dici *ardua super ripam*, sed *super rupem.* Quare vel contra plerosque scriptos cum aliis viris doctis etiam edendum curavi *rupem;* quam lectionem tamen juvant regius recentior, et Amstel. ac Edd. Romana, Parm. Colinæi, Steph. et Gryphii, vide etiam 434, 435. Mira vero pertinacia omnes scripti *Lingones* vel *Ligones* habent, uti et editi præter Steph. Griph. Pulm. Bersm. et Grot. Edd. quod veteribus interpretibus dubium quoque creavit. Ascensius bene *Lingonas*, et ita sæpius in nostro et aliis peccatum esse videbimus IV, 693; VII, 145; IX, 659; nisi malis accusativos tantum in *as* terminari nominum eorum, quæ vere græca sunt : quod non putem. Denique monet Burmannus in nonnullis Mstis ab Heinsio inspectis esse *prohibebant* ad Val. Flacc. lib. I, 594 : « Quum jam prohibere frequentum Ora nequit. » Idque perinde esse ibidem docet. Atque ita arbitror, nihil obscuri in hoc loco reliquum esse.

408. *Et tuta prohibet statione Monœci.* Herculis Monœci portus est, in ora Ligustica, ut dictum ; hodie *Monaco.* Nihil mutandum est contra Mstos. *Statio Monœci* est portus *Monœci*, ut præter alios Strabo, L. II, p. 201, Ed. Par. ὅδε τοῦ Μονοίκου λιμὴν ὅρμος ἐστιν, οὐ μεγάλαις, οὐδὲ πολλαῖς ναυσὶν, ἔχων ἱερὸν Ἡρακλέους Μονοίκου καλουμένου. Quidam tamen conjecerunt *morari*, sed posset etiam conjici *manere.* Sensus quidem varie ex his verbis acceptus est, quoniam casu caret τὸ *prohibet.* Omnibonus subintelligit *pelagus.* Ascensius *ventos;* sed tum melius dixisset *servat*, pro *turbat :* Sulpitius *nautas*, ita ut quidem brevem iis det stationem, non vero perpetuum portum. Rec

tius Beroaldus et Hortensius sine illa restrictione capiunt : Circius prohibet quoscumque, ne illic habrant tutam stationem, ut alludat ad etymon *Monœci*, qui solus illic habitare vult. Oudend. si Mss. juvarent, mallet *tuti* vel *tota*, et optaret verum Lucani sensum esse : Circium ventum in litus sævientem nautas prohibere a Monœci portu, quæ esset quidem tuta statio, si ingredi in illum possent. Confer. Silius, qui in scribendo Lucanum ante oculos habuit, I, 585 : « Herculei ponto cœpere existere colles, Et nebulosa jugis attollere saxa Monœci. Thracius bos Boreas scopulos in mitia regna Solus habet, etc. » Hunc autem et duos versus sequentes citat Servius ad Virgil. Æn. VII, 225 : « Si quem tellus extrema refuso submovet Oceano. » Dein quinque sequentes ad Virgil. II, Georg. 479 : « .... qua vi maria alta tumescant Objicibus ruptis, rursusque in seipsa residant. » Cæterum de fluxu et refluxu Oceani vide hic commentatores, et ad Melam, L. III, c. 1, et La Cerdam ad d. l. Virgilii. *Monœci*. B. 1, V. tert. Marp. *Menethi*. B. 1, V. 1, M. *Meneti*. V. pr. sec. Reg. rec. *Meneci*. V. quint. *Monethi*. A. Ed. Rom. Parm. V. quart. *Menœti*. Reg. pr. Witt. Ed. Ven. proxime vero *Menæci*. H. *Monechi*.

419. *Tunc rura Nemetis*. Sic Sulp. et adjicit : « est enim Nemes urbs Germaniæ Rheno vicina. » Beroald. autem ait : sunt enim Nemetes populi Belgicæ Galliæ, ut tradit Plinius. Omnibonus et ipse *Nemetis* legit, et de Germaniæ populo interpretatur. Sed Mycillo videtur non solum quantitas et metri ratio huic lectioni repugnare, sed et orationis ἀνακολουθία. Cur enim, inquit, poeta ex abrupto adeo, relictis Aquitanis, ad ripam Rheni discederet, eademque vix modice salutata, repente se denuo ad Aquitanos rediret? præsertim quum Nemetum, qui ad Rhenum habitarunt, mentionem rectius infra, inter Vangiones, Treviros et Batavos facere posset. Conjicit igitur non *Nemetis*, neque etiam *Monethis*, ut quidam, sed *Nemossi* (aliis *Nemausi*, nempe *Nimes*, ut nunc dicitur) legendum, quo nomine metropolis Arvernorum olim, ut Strabo auctor est, dicta fuit, in ripa Ligeris sita, qui fluvius in Oceanum Aquitanicum exit, et altera parte Aquitaniam ipsam concludit. Neque putat obstare, quod Arvernorum infra seorsim quoque meminit poeta, quando hoc sæpe fieri videmus, ut eodem loco et genus et species recenseantur. Meminit autem et Plinius Nemossorum, inter Aquitaniæ populos, Lib. IV, cap. 19. Nisi quod ibi *Nemeosi*, pro *Nemossi*, legitur, contra quam Strabonis lectio habet. Is enim Ἀρούερνοι δὲ, inquit, ἵδρυνται μὲν ὑπὸ τῷ Λιίγερι ; μητρόπολις δὲ αὐτῶν ἐςὶ Νέμωσσι, ἐπὶ τῷ ποταμῷ κειμένη. Cæterum numerat idem Strabo et *Manitas*, sive, ut ipsius lectio habet, Μαμνίτας, inter Aquitaniæ populos, quod eo adjiciendum hic putavi, si quis forte *Monethis* nomen ex eo corruptum putet. Hæc Micyllus. Sed facile refelli potest. Nam quod ad ἀνακολουθίαν, poeta in catalogo nullum ferme servat ordinem, ut modo in Gallia versetur, statim in Hispania ; inde transcurrat in Germaniam. *Nemossi* tueretur Hortens. maxime, quum in Aquitania nonnihil hæreat, si

unius exemplaris toto orbe testimonio adfirmari possit. Bnherius et post enm De Guerle, Tom. I, p. 46. Ed. 1816, admittunt *Nemausi* et sic in Wittiano, ubi supra *Nemetis* pro glossa additum *fluminis:* in Voss. pr. et sec. *Nemetis regio Galliœ.* Quod falsum quidem; sed unde tamen videmus, Scholiasten hic quoque scivisse, describi debere Galliæ, sive Aquitaniæ populos, non Germaniæ. Turnebus, Advers. L. XVII, c. 9, conjicit *Nanetis.* Verum illi non vocantur *Nanetes*, sed *Nannetes* Plinio, L. IV, 18, et Cæsari, de Bell. Gall. lib. III, c. 9. Præterea errat Turnebus, quod corrigat Ptolemæi Ναμνῆται, in Ναννῆται. Imuo si jam *Nanetes* dicerentur, iu genitivo extulisset Lucanus *Nanetœ*, non *Nanetis.* Alia ratio est in *Nemetis;* qunm sit in plurali Νεμῆτες, non Νεμῆται. Denique ut nibil omittamus, Oudendorp. mavult *Monesi* et rationem addit quia *Monesos* iuter populos Aqnitaniæ recenset Plinius, L. III, c. 19.

421. *Claudit Tarbellicus œquor.* Explicat Burmannus : ripas Atnri, qua ille jam Tarbellicus i. e. Tarbellos perlabens claudit æqnor molliter admissum litore eurvo. Potest qnoqne Tarbellicus pro populo sumi, qui tenet magnum illum sinum, quem Strabo Lib. IV, p. 190 dicit Gallicom vocari. De Tarbellis autem Strabo ita meminit : Ἔχουσι δὲ Τάρϐελλοι τὸν κόλπον παρ' ὅις εἰσι τὰ χρύσεια σπουδαιότατα πάντων. Ἐν γὰρ βόθροις ὀρυχθεῖσιν ἐπὶ μικρὸν εὑρίσκονται καὶ χειροπληθεῖς χρυσίου πλάκες, ἔσθ' ὅτε μικρᾶς ἀποκαθάρσεως δεόμεναι, etc. MICYLL. Pro *œquor*, *Ancon* emendat Scaliger, ut sit sensus : Ancon Tarbellicus claudit litore curvo Atyrum admissum. *Ancon* certe pro carvo sinu sæpissime sumitur. Sic Ovidius, Metam. XV, 718, *sinuosi litoris Ancon*, ubi tamen alii legunt *et spissi litoris Antium.* Pluribus de hac voce egerunt J. Vlitius ad Gratii Cyneget. v. 87. Et viri dd. ad Valerium Flacc. IV, 600 : « Quas Iris aquas, quas torqueat Ancun. » Verum illa lectione redditur sensus obscurus et incongruns. Quis enim nnquam dixerit « sinus claudit litore suo fluvinm admissum ? » Quod ego me non intelligere fateor. Sed optime id dicitur de mari, quod sinum intrans ejus quasi brachiis, seu prominentibus ab utraque parte cornibus recipitur, et in intimo recessu clauditur. Recte igitur legendum « admissum .. æquor. » Mela, L. II, c. 6 : « sinus, qui angustis faucibus grande pelagus admittit. » Lib. III, c. 1 : « Sinus ore angusto admissum mare non angusto ambitu excipiens. » Ita lege cum Gronovio, quem vide. *Admittere Oceanum* apud Nostrum, III, 279. Jam vero sinus recte *claudere œquor* dicitur. Sic de portu Silius, VIII, 483 : « Insignis portu, quo non spatiosior alter Innumeras cepisse rates, et claudere pontum. » XV, 222 : « Arctatas ponti fauces modica insula claudit. » Noster, II, 615 : « Hadriacas flexis claudit qnæ cornibus uudas. » Præterea Lucanus describit loca, ubi habuerint Romani præsidia; quare rectius vers. præced. legi debet *qua;* sensus enim loci est : Romanus, qui tenet præsidio Aturi ripas, illic, ubi mare finitur, sinu et litore curvo admissum molliter per Tarbellos, sive Tarbellicos, adjectivo possessivo pro gentili; sic versu 432 : « Qua Cinga pererrat Gurgite, qua Rhudanus, etc. » Bene itaque Scho-

liastes : « *Tarbellicus*. Civile dixit. Est enim Tarbelle civitas in Gallia, quæ juxta ripas Aturi constituta claudit æquor admissum molliter per litus curvum. » Est Tarbeia Stephano, nunc *Tarbes;* sed Scaligero legenti Ancon esset *Auch*. Ed.

422. *Gaudetque amoto Santonus hoste*. Heinsius malebat *gaudent Santones*. Frustra vero, et contra constructionem Lucano amatam, sed aliquando non perceptam, et hinc corruptam, ut partim videmus supra versu 19 : « Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes; » et partim videbimus ad VIII, 425 : « ...dum perfida Susa In tumulos prolapsa ducum, Babylonque jaceret. » Sic Lib. II, 702 : « ...fluctuat unda, Totque carinarum permixtis æquora sulcis. » IV, 618 : « Colla diu gravibus frustra tentata lacertis, Immotamque caput fixa cum fronte tenetur. » V, 244 : « ...classica paullum Intermissa sono, claususque et frigidus ensis Expulerat belli furias. » Eod. libro, 730 : « Quo mundus erat Romanaque fata. » VI, 515 : « Non superi, non vita vetat. » VIII, 90 : « ... me pronuba duxit Erinnys, Crassorumque umbræ. » Adde VI, 189, 199, et sæpius. Hinc patet ex quibusdam MSS ita quoque scribendum esse, VI, 487 : « Has avidæ tigres, et nobilis ira leonum Ore fovet blando, » non *fovent;* et v. 672 : « ...Nodus hyænæ Defuit, et cervi pasti serpente medullæ, » non *medulla*. Alios auctores prudens omitto. Vide ad Florum, L. II, c. 6 : « Urebat populum ablatum mare, raptæ insulæ. » Non possum tamen omittere Claudiani locum, L. I, in Eutrop. 203 : « Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis, » ubi rursus Ill. Heinsius malebat *eant*. Varie autem in verbis et nominibus per copulam junctis lusisse duo viri summi nos docent, Bentl. ad Horat. Carm. I, 24; Burmann. ad Ovid. Art. am. II, 81. Sed utrum populus ille Galliæ a plerisque auctoribus vocetur, *Santones* an *Santonus*, nusquam reperi. Plinio quidem *Santoni*, unde apud Melam. III, 2 : « a Santonis. » Nec illa terminatio, ut Andus, Turonus, a Lucani manu esse videtur. Mallet ergo Oudendorpius *Santones*, ut et v. seq. *Suessones*. Tunc *gaudent* esset reponendum. Sanctones, *Saintonge*. — *Amoto*. B. 1. *admoto*. Deest A. — *Santonus*. V. pr. Ed. Parm. *Sanctonus*. — *Hoste*. Romano, olim hoste.

423. *Longisque leves Suessones in armis*. Multum in nomine hujus populi variant viri docti. Quidam *Axones*, scil. ab Axona fluvio, non Axone, cujus mentio fit libro secundo belli Gallici. De populo autem, qui Axonum nomine vocatus fuerit, nihil reperitur. Sed hæc lectio modo syllabæ refellitur, quam brevem facit Auson. Mosell. 461 : « Non Axona præceps. » Quod autem Omnibonus *Saxones* legit, et de populo Germanico interpretatur, ne id quidem probari potest, quum Cæsaris temporibus Saxonum nomen adhuc obscurum fuerit, iidemque non in Gallia, cujus populi hic recensentur, sed in extremo Germaniei Oceani litore, paludibusque inviis, ut Diaconus inquit, usque ad tempora Theodosii fere habitarint. De quibus quum alii multi, tum vero erudi-

tissimus vir Beatus Rhenanus, Lib. I, Rerum German. annotavit. Probabilior saue lectio nostra est, quam Sulpit. asserit, quod et *Suessonum* gens inter Galliæ populos celebris fuerit, Rhemis, de quibus mox infra dicetur, vicina, et quadam etiam societate juncta. Grot. cum Asrensio probat *Axones*; male, ut vidimus. Et *Saxones* etiam media correpta est, apud Claudianum non vilem auctorem. Et Σάξονες, in græco Ptolemæi codice, cum ο parvo legitur. Glareanus tamen ut *Axones* probet, memorat insignem pugnam ad Axonam fluvium, ubi Belgæ longo prælio fatigati, numero ad V. C. M. armatorum et amplius, quum præda essent impediti, capto consilio, siue prælio inde discesserunt, et quidem trepidi cum magna suorum clade. Nam Numidarum et Cretensium sagittariorum vi pæne obruti fuerunt. Sed ut demonstravimus, rectius *Suessones*, sive Suessiones ad hunc locum pertinent. Sunt enim fratres et consanguinei Rhemorum, 12 oppidorum populus. Eo tempore, quo Cæsar ibi bellabat, Galbam regnasse ferunt, et post Caroli Magni tempora multos reges ibi coronari solere. *Suessones* quoque probat Turneb. L. XVII, c. 9; *Sassones* G. *Sessones* Hadrian. Vales. per syuæresin. *Sexones* MS. et alter *Saxones.* — *Suessones in armis.* Notus Galliæ populus (*Soissonnais*, Suessiones Cæsari). et hoc habent quatuor Vossiani. Hos autem populos jungit etiam Plinius, L. IV, c. 17. — *Leves in longis armis.* Agiles, Sulpit. inquit, *in hastis longioribus*. Hortensius autem putat *in longis armis* dicere, *in longo bello*, quanquam Sulpitii expositionem non rejiciat. Male vero *in armis* hoc loco Hortensius capit pro in bello. « In longis armis leves » sunt agiles, licet longa arma gerentes, ut bene alii et Scholiastes dicens : « Ostendit longos homines, ab armis, quæ longa sunt. » *In armis* dictum, ut *in hasta, jaculis, gladio*, id est, armatus illis. Vide N. Heinsium ad Ovid. Metam. VIII, 313 : « Primis etiam nunc Nestor in armis. » Broukhus. ad Propert El. IV, 2, 27 : « Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis. » Drakenburg. ad Silium Ital. II, 132 : « Exclamat paribus frater vicinus in armis. » Sic Ovid. Met. VIII, 26 : « In galea formosus erat ; » Id. V, 546 : « fulvis amicitur in alis. » V. Heins. Sic *esse in ferro* apud Apulei. L. III Metam. p. m. 131, et similia passim. V. ad Phædr. L. V, F. 8 : « pendens in novacula. »

426. *Monstrati Belga covini.* Omnibonus dicit, Belgas a Sequanis didicisse : verum si lectio *monstrati* est vera, recte exponenda est, ab ipsis Belgis. Ibi enim inventum esse essedum idem, vel certe simile vehiculi genus, docet hic Scholiast. Voss. sec. ex Servio ad Virgil. Georg. III, 204 : « Belgica vel molli melius feret esseda collo ; » et ab his ad Britannos transiisse recte monet Cl. Schefferus de Re Vehicul. L. II, c. 22, et Mela, L. III, c. 6 : « Dimicant bigis at curribus Gallice armati ; covinos vocant. » Hinc passim *esseda* et *covinos* pro eodem genere vehiculi et usu sumunt Cæsar, Silius et alii. *Monstrati* autem est in omnibus Codd. ab Oudend. Pulm. inspectis, et Edd. fere omnibus, nisi quod in Regio primo sub ultima linea τοῦ *m* punctum sit positum in signum delendæ illius lineæ, et legendi *non strati*; quod nihili quidem est, sed juvat tamen lectionem quam

mox profert Oudendorp. *Monstranti* Oxon. Unde itaque Gryphius, qui primus hoc mutavit, habeat *rostrati*, quod multi valde probant, et sequuti sunt Bersmannus, et Grotius : deridet vero Burmannus. Sicmus Melam loco dicto *falces* attribuere covino, et *falciferum covinum* vocare Sil. Ital. XVII, 418; ut metaphora sit ducta a navibus rostratis; verum Oudend. nimis dura hæc translatio videtur, et putat nusquam dici covinos habuisse ferreas pinnas, vel simile quid in temone, sed tantum *falces in axibus* apud Melam; ut recte monet ibidem Schefferus. Mavult igitur Heinsius legere cum Is. Vossio et Bocharto, Canaan. L. I, c. 42, ut et Scheffero, *constrati;* qui tamen non recte hoc ex MSS. esse haustum adfirmat. Solummodo juvat ille Reg. pr. *non strati.* Hic autem ex genio Lucani diceretur *constratus covinus*, ut *constratæ naves*, etc. ex etymologia vocis, quæ notat contectum et convexum, seu cameratum currum. V. Voss. de Vitiis Serm. c. 3. Ad talia antem sæpe nostrum alludere docuimus ad vers. 214. *Monstrati* etiam legit in suis membranis Gulielm. Brito, Philippid. L. IX, 368 : « Belga covinorum, Lucano teste, repertor. » Cæterum pro *covini* Oudend. reposuit *covinni*, minus recte. Nec *monstrati* tentandum putavi. *Rostrati* risu dignum videtur, nec *constrati* probandum : vix enim intelligitur, qua ratione ex tectis curribus pugnare, et tela jacere, et per temonem procurrere (de quibus Cæs. B. G. IV, 33) potuissent. Agit quidem Salmas. ad Jus Att. p. 723, de constratis navibus, in quibus pugnabatur ex prora et puppi; sed tunc erant tabulæ et fori ubi consistere et pugnare poterant : sed in constratis curribus ubi pugnare possint, se non videre ait Burmannus. Quam tamen objectionem sic elevare tentat Oudendorp. epist ad Schraderum : « Miror Burmannum movere difficultatem, quomodo e tectis curribus potuerint tela jacere, aut in temone currere. *Constrati* non sunt ab omni parte tecti, sed superne et ab anteriore parte aperti, uti quotidie tales videmus currus. V. ad Curt. X, 9, 25, *vehicula constrata*, et ad Apuleium, quem profero, ut tibi emendem, L. X, p. 224: «posthabitis decoris prædarum carpentis; quæ partim contecta, partim revelata, etc.» Sic habent MSS. omnes Prædarum carpenta sunt currus a feris tracti, ut currus equorum, elephantorum, ab equis, elephantis tracti, Ovidio, Suetonio, Frontino, aliis. Feras passim prædas dici et inde prædatorem et prædari de venatore usurpari, mecum scis optime. » Ed.

428. *Sanguine ab Iliaco populi.* Rem breviter sic attingit V. C. de Marchangy, *la Gaule Poëtique, première Époque, premier Récit*, p. 13:

« Rarement une pure lumière éclaire les origines; il en est des époques éloignées, comme de ces horizons vaporeux qui se confondent avec les nuages.

« De là toutes les illusions qui entourent l'enfance de notre histoire; de là cette origine merveilleuse qui fait venir les Gaulois des rives du Scamandre et du Simoïs, et dont le prestige, nous alliant aux Hector et aux Énée, trouve des titres de famille dans les chants d'Homère et de Virgile*. De là

* Amm. Marcell. Lib. XIII, c. 9. Dom Bouquet, *Rec. des hist. de France*, T. I, *préface*.

ces origines plus chimériques encore, etc.» *Idem, première époque troisième récit* initio, p. 108.

« Ceux-ci disent que les Francs descendent d'une colonie d'Égyptiens que Sésostris laissa dans le cours de ses conquêtes aux environs du Pont-Euxin. Ceux-là aiment à voir en eux un noble reste de Troyens qui des bords du Scamandre vinrent sous la conduite des Francs s'établir en Pannonie, et de là sur les rives de la Seine : origine poétique accréditée jusqu'au seizième siècle, et que favorisèrent les récits de Lucain, de Strabon et de Sidonius *. »

490 *Tum quæ tuta petunt, et quæ metuenda relinquant.* Hæc contorta et intricata, et Œdipo indigere, Jevero videntur. Observat tamen Scholiastes: « Notandus est iste versiculus, pulchram enim constructionem habet cum lepido sensu. Tuta enim in dubiis rebus loca necessaria erant, et metuenda maxime vitabant. Sed nec tuta illis erant ad confugium, nec metuenda, quæ fugerent. Cæsarem enim ubique metuebant. »

Ex Scholiaste aliquid lucis Jeverus affulgere putat, adeoque conjicit:

Tum *qua* tuta petant, et *qua* metuenda relinquant,
Incerti, quo quemque fugæ tulit impetus, urgent
Præcipitem *passum*, serieque hærentia longa
Agmina prorumpunt.

Quæ sic explicat et defendit Jever. *qua*, id est, ubi vel qua ratione; quod probari opus non est. Urgent præcipitem *passum*, id est, citato passu fugam urgent et celerant. *Populum* enim nauci est. *Passus præceps* est effusus, celer et citatus. Sic Lib. IV, v. 271:

Ut *effuso* Cæsar decurrere *passu*
Vidit, et ad certam devotos tendere mortem.

citato passu dixit *Seneca*, Hippol. 1000:

Ut profugus urbem liquit infesto gradu,
Celerem *citatis passibus* cursum explicans.

Urgere autem præcipites passus dixit, imitatione Nasonis, qui ita *urgere iter* dixit Fast. VI, v. 520:

Appulerat ripæ vaccas Œtæus Iberas;
Audit, et ad vocem *concitus urget iter*.

ppem vero et *pssm* in MSS. facile confundi possunt. Sic nisi fallor, omnia plana; et nihil erit, quod vel lectorem moretur, vel genio Lucani sit indi-

* Strab. Lib. I, c. 22. — Sidon. Apoll. Lib. VII, ep. 7, et Paneg. Aviti. — Fredegar. Scholast. hist. Franc. epitom. c. 2 et 3. — *Hunebaud dans la chronique de Trithème.* — Aimoin *Gest. Franc.* Lib. I, cap. 1 et seq. — *Vetus Chronic. Moissiac.*

gnum. Mox, v. 496, cum Bentleio scribendum *ancipiti gradu*, vel forte ibi legendum *ancipiti lymphata metu*, id est, dubio pavore, veluti terrore Panico percussa, quod voci *lymphata* melius convenire videtur. Codices nil mutant. *Lymphatum metum* tamen dixit Lucan. VII, v. 186, uti vulgo exhibetur:

> Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat,
> *Lymphato* trepidasse *metu?*

ubi forte cum Voss. pr. aliisque præstaret legi *Lymphatos*. Sed desino, conjecturam proposuisse contentus. JEV.

599. *Tum qui fata Deum secretaque carmina servant, Et lotam parvo revocant Almone Cybelem.* Locus talis est, qui, si rem spectamus, additus esse possit; damnatus quoque a Gujeto propter verba *turba minor*, quæ reliquos minores sacerdotes comprehendere videntur; sed tum ii quoque versus, in quibus de aliis sacerdotibus minoribus sermo est, deleri debebant. Præterea quis quindecim viros, sacerdotes maximæ auctoritatis, ab hoc lustro abfuisse recte dixerit? Lucanus in hoc quoque loco, ut in multis aliis, collegit quæ fortasse nunquam juncta erant; sed locum nactus, in quo exspatiari et doctrinam suam ostentare posset, omnia, quæ diversis temporibus et locis facta essent, conjunxit. Quam in rem conferri possunt I, 526—583: II, 352—371; III, 155—167; VI, 667—693. Quare vers. 600, quoque non damnarim, Clercquio spurium; quamvis enim non constet, Gallos ad hæc sacra adhibitos fuisse, inter reliquos tamen ex more poetæ commemorantur; sin cæteri omnes lustro illi interfuerint, cur non Gallos quoque Lucano demus? Illud enim, quod peregrini essent, rem non mutat, neque quod auctoritas eorum fuerit parva. Eodem modo intersunt lustro, ut Epulones et Titii; sin eos jam antea v. 569 laudavit, ibi in longe alia re commemorantur. Sed fortasse aliquis quindecim viros, quemadmodum in præced. versu, v. 600 quoque notatos putat, ut Schol. Lips. c. « Almo fluvius est Romæ, ad quem portabatur Cybele, et lavabatur ibi a XV viris. » Nihil tamen constat de hoc XV virorum munere; deinde verba aperte Gallos indicant. Licet enim *qui* desiderari possit ad vers. 600, quum diversi sint, *qui servant fata* et *qui revocant Cybelem*, res ipsa diversos esse sacerdotes satis ostendit; præterea *qui*, ubi iterari debebat, interdum omittitur; cf. III, 163. Quod singula denique attinet, male tentata sunt a vv. dd.; *servant* enim, cujus loco Clercq. *versant* voluit, proprium est verbum in hac re; neque offendere debet, quod repetitum sit, præsertim quum aliam mox habeat significationem. *Revocant* optime defendit Oudend. ad h. l. et in Epist. ad Schrader. II; neque audacibus conjecturis Withofii et Bentleii opus est. Burmanni *renovant* autem per se et propter v. *lotam* displicet; *revocant*, id est, referunt, quod ex glossa in Cod. Pul. et Reg. pr. ortum est; ut aperte Schol. Lips. b. ostendit, locum ita explicans: « Matrem Deorum dicit,

quam sacerdotes lavantes in Almone flumine revocant ad miscendum; vel lotam revocant, id est, referunt ad templum; nam minus justi ferebant lavandam, quindecim viri lotam.» *Revocare* autem pro *reducere*, *referre* sæpius dr. cf. Virgil. Æn. VI, 128; IX, 125. Lucan. VII, 732; VIII, 68; X, 311. Gronov. Observ. II, 19, p. 290. WEBER.

642. *Aut hic errat, ait, nulla cum lege per ævum Mundus.* Solus ex vetustis Harleianus, *cum*. Ceteri cum plurimis recentioribus, nulla *sine* lege. Quam lectionem Priscianus in suis libris reperit, mirificeqoe interpretatur, p. 1194. Οὐδὲ τόδε ἐποίησεν, αἰδὲ (lege οὐδὲ) τόδε οὐκ ἐποίησεν, pro eodem ponunt Attici, ex supervacuo duplicantes abnegatiunem. Terentius in Phormione: « non sic foturum est (lege non, non sic, Phorm. II, 1, 73).« Lucanus in Primo: Aut hic errat, ait, nulla sine lege per ævum Mundus.» Sic et ibi codex vetus Cantab. Nimirum hoc vult Priscianus, negativas binas non semper affirmare, solito latinorum more; sed nonnonquam negare, more Attico quale hoc Terentii ex Andria potius I, 2, 34, quam illud ex Phormione:

Neque tu haod dicas tibi non prædictum cave.

Et Plauti Bacchid IV, 9, 114:

Neque ego haud committam.

Ubi perinde est, ac si dixissent, Neque tu dicas; Neque ego committam, ad hanc faciem interpretatur magnus magister, *sine nulla lege* idem esse ac sine lege; ut duæ scilicet negativæ *sine* et *nulla* fortius et strictius negent. Quanti est sapere! Enimvero sine nullo judicio, si ipsius more dicere licet, versatum hic esse summum grammaticum putat Bentleius.

Withof. in Encaen. Crit. p. 30, rescribit *nulla si lege*, et hanc lectionem tam certam ait, ac si ex mille membranis, immo ipso Lucani prodiret autographo; ast eam lectionem ridicula explicatione elevat. Ita sæpe optimæ et certissimæ, quæ visæ nobis fuerint, conjecturæ fallaces deprehenduntur et in fumos abeunt! Ne tamen in tanto æstu doctorum hic ἀσύμβολος videar, ipse quoque conjecturam sobriam afferam, pro qua tamen tanquam pro aris et focis pugnare nolim, et si forte non nemini tam absurda non videatur. Legendum puto,

Aut hic errat, ait, *fixa* sine lege per ævum
Mundus, et incerto discurrunt sidera motu;

sine fixa lege, id est, sine certo fatorum ordine. Natura enim, parens mundi, secundum Stoicos æterna et immutabili lege fata et causas rerum disposuit. Lucan. Lib. II, v. 9:

Sive *parens rerum*, quum primum informia regna,
Materiamque rudem, flamma cedente, recepit,

Fixit in æternum causas, qua cuncta coercet,
Se quoque lege tenens.

Valer. Flac. Lib. I, v, 531, de lege fatorum immutabili,

Tum genitor: Vetera hæc nobis et condita perguot
Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu
Fixa manent.

Figere leges phrasis vulgo notissima, qua ideo dicere supersedeo. *Fisa* pro *fixa* scriptum fuerat in Cod. onde primo *visa*, et tandem *ulla* et *nuila* natum videtur. JEVER.

M. ANNÆI LUCANI
PHARSALIA.
LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI

E SULPITIO DESUMPTUM.

Quadruplices questus libri pars prima secundi
Continet : ejusdem pars proxima verba Catonis
Et Bruti ; dicit quo fœdere Marcia nupsit.
Hostis in occursum, dicit pars tertia, Magnum
Opposuisse manum ; notat et quod Cæsaris ira
Cuncta ruunt ; arcesque capit, cedentibus instat.
Ast uni vitam tribuit, qui nuntius hosti,
Exemplumque fuit. Quo viso Magnus ad omnes
Turmas ipse suas hortandas magna minatur.
Hinc pars quarta notat, Pompeium tunc properasse
Brundusium ; tandemque videns maris ostia claudi
Hesperiam puppesque duas in morte reliquit.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER SECUNDUS.

ANALYSIS.

Poeta queritur quod signa sint, quæ clades venturas denuntient; 1—15. Romæ luctus. Describuntur querelæ mulierum; 16—42. Militum; 43—63. Senum revocantium animo tempora Mariorum; 64—138. Et Syllanas cædes; 139—233. Brutus adit Catonem, et eum alloquitur; 234—284. Catonis responsum; 286—325. Marcia, olim a Catone repudiata, ad illum, Hortensio defuncto, redit; 326—337. Eum alloquitur; 338—349. Hanc Cato in conjugium recipit; 350—371. Catonis mores et ingenium; 372—391. Pompeius discedit Capuam, quæ fit belli sedes; 392—398. Apennini montis descriptio; 399—438. Cæsaris bellicum ingenium, et varia urbium Latinarum studia; 439—461. In fugam vertuntur Libo, Thermus, Sulla, Varus, Lentulus, Scipio, Pompeiani præfecti; 462—477. Domitius Corfinium defendere tentat. Socios hortatur: Cæsaris ad suos verba; 478—499. Expugnat urbem Cæsar, cui patent portæ. Domitius ab in-

fidis militibus Cæsari traditur; 500—510. Venia ab hoc illi superbe minitanti conceditur; 511—525. Exploraturus militum animos Pompeius suos alloquitur; 526—595. Diffidens exercitui suo in Brundusium concedit; 596—609. Hujus portus topographia exaratur; 610—627. Nihil fidei a suis sperans filium suum in Orientem, consules vero in Epirum mittit auxilia petituros; 628—649. Interea Cæsar Pompeium intra Brundusii mœnia munitum assequutus tentat oppositis aggeribus portum opplere; 650—679. A Pompeio rumpuntur: Brundusium Cæsari se dedit: Magnus cum classe aufugit; 680 ad finem.

JAMQUE iræ patuere Deum, manifestaque belli
Signa dedit mundus; legesque, et fœdera rerum,
Præscia monstrifero vertit natura tumultu,
Indixitque nefas. Cur hanc tibi, rector Olympi,
Sollicitis visum mortalibus addere curam,

1. *Jamque iræ patuere Deum.* Monstra quidem sollicitudinem et curam injecerant; bellaque prædicta terrorem incusserant; Jovem itaque precatur poeta, ne liceat ventura præscire. *Iræ patuere Deum.* Petronius B. C. « Continuo clades hominum venturaque damna Auspiciis patuere Deum. » ED.

2. *Legesque, etc.* Proponebat Burmann. *cursusque*, quod non placet: namque hic non agitur de cæco sæculorum cursu; sed de ordine statuto, quo res mundanæ nituntur. Sic II, 82: *legibus ævi.*

3. *Vertit* MS. 8040 *vestit* mendose. —*Monstrifero tumultu.* Tumultu scilicet orto ex tot prodigiis toto orbe factis. ED.

4. *Indixitque nefas.* H. e. denuntiavit. Verbum feciale. Senec. Œdip. 17: « Hoc me Delphicæ laurus monent, Aliudque nobis majus indicunt scelus. » ED.—*Cur hanc.* Aversio ad Jovem, qua quærit causas, cur mortales hoc pacto præmonitos suorum malorum, et miseros esse ante tempus voluerit. HORTENS.

5. *Sollicitis visum.* Non addendum *est.* Sic Æn. II, 428: « Dis aliter visum. » Sic et *Dis placitum*, infr. X, 412. ED.

Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sive parens rerum, quum primum informia regna,
Materiamque rudem, flamma cedente, recepit,
Fixit in æternum causas, qua cuncta coercet,
Se quoque lege tenens, et secula jussa ferentem
Fatorum immoto divisit limite mundum;
Sive nihil positum est, sed Fors incerta vagatur,
Fertque, refertque vices, et habent mortalia casum:
Sit subitum, quodcumque paras: sit cæca futuri

7. *Sive parens, etc.* Sive, ex sententia Stoicorum, omnia regantur fatali necessitate, et legibus, quas ab orbe condito posuit Deus; sive, ut volunt Epicurei, temere omnia et casibus eveniant; sit « Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ. » Statius Theb. III (Vide Statium ed. nost. t. II, p. 137) « superæ seu conditor aulæ, etc. » Cicero in Divinatione: « præscientia malorum cui provideri et caveri non potest, inutilis est, etc. » Vide et dissertationem Favorini apud A. Gellium, Lib. XIV, c. 1. Senec. ep. XVI passim, et Boetium. —*Informia regna.* Intelligit chaos, et rudem illam materiam.

8. *Flamma cedente, recepit. Recepit*, Burmann. explicat a flamma liberavit, eodem modo ut *recepti* dicuntur, vel in præliis ab hoste non occisi, vel ex undis et naufragio servati. Sententia vero hæc de igne olim omnia possidente, et paullatim *cedente*, exstincto, terraque in solido ac tuto posita Scythis adscribitur. Sed quia habemus *informia regna recepit*, puto eodem modo explicandum, quo recipere urbes, regiones, i. e. regenda suscipere. Ed.

9. *Qua cuncta, etc.* Qua lege cuncta gubernat, et se quoque tenet.

10. *Se quoque lege tenens.* Ita Seneca de Deo: « Ille semper omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur: semper paret, semel jussit. Sidon. Apoll. VII, 123: « Jupiter ista refert, Fatum quo cuncta reguntur, Quoque ego, non licuit frangi. » — *Et secula jussa ferentem.* Sic dicitur *annos, ætatem ferre.* Mundus ergo fert secula jussa, i. e. durabit tot secula, quot fata præscripserunt et decreverunt. Ed.

11. *Fatorum immoto.* Hoc est, firmo, immutabili et inevitabili termino ac fato omnia distinxit.

12. *Nihil.* 8040 *nichil* et sic semper. 7900 *et fors.* Tangit sententiam Epicureorum. — *Positum est.* Fato decretum, sic *leges*, *fines* poni dicuntur.

13. *Casum.* MS. 8040 *casus*: quod fere acceperim, hoc sensu: Si casus, i. e. fors habet, possidet, regit, gubernat res mortalium. Sed se defendit *casum* ex Georg. IV, 25: « Quoniam casus apibus quoque nostros Vita tulit. » Ed. *Mortalia.* intell. res humanæ. Vide Æn. I, 462.

14. *Sit subitum, etc.* Rogat ut subitum et improvisum sit, quod futurum est. — *Sit cæca.* Ignoret mens humana ea, quæ sint eventura, ne

Mens hominum fati : liceat sperare timenti.
Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus orbi
Constatura fides Superum, ferale per urbem
Justitium : latuit plebeio tectus amictu
Omnis honor : nullos comitata est purpura fasces.
Tum questus tenuere suos, magnusque per omnes
Erravit sine voce dolor. Sic funere primo
Attonitæ tacuere domus, quum corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine soluto
Exigit ad sævos famularum brachia planctus :

ante tempus turbent et cruciatum adferant. *Cæca* quidem *fati* recte dicitur, ut Silios II, 206, de Tberone : «Hæc cæcus fati, Divumque abeunte favore.» Sed totam orationis seriem absurdam pronuntiat Bentl. Sive, inquit, fato fiunt omnia, seu fors et casus omnia versat; sit meos bominum cæca *fati* futuri. Ergo sive fatum est, sive nullum est fatum; precatur, ut fati futuri incertique ignarique simus. Itaqoe constituit : «... sit cæra foturi Mens bominum: *saltem* liceat sperare timenti.» Mavult *futuri* absolute, ut in his : « Metuens futuri, pavidus futuri, incauta futuri spes, cura, caligo futuri.» Claudian. Entrop. II, 545 : « .... pro cæca futuri Gaudia! Et Proserp. I, 138 : « ... raptusque timens (beu cæca futuri.)» *Saltem* autem, quod plerique codices *saltim*, facile immutatum putat *salti* in *fati*. Saltem sperare liceat; ut Noster, I, 522 : « .... tum ne qua futuri Spes saltem trepidas mentes levet.»

16. *Ergo ubi concipiunt, etc.* Postquam igitur ex ostentis et vaticiniis innotuit, quantas clades allatura esset prodigiorum certitudo : *Constatura fides* sic alias solent dicere : Hæc res *constitit* magno pretio. Sen. de Clem. c. 19: «ultionem magno constaturam.» —*Orbi.* Sic reposui ex MSS. 7900 et 8040. Alii *Urbi ;* sed v. s. sequitur *ferale per urbem.*

18. *Justitium.* Est juris dicundi statio seu intermissio, quod non nisi in publica calamitate, luctu aut necessitate fiebat. Justitiom ab eos quod *jus taceat.* SCHOL.—*Latuit plebeio, etc.* Magistratus omnes sumpserunt plebeios habitus; neque a vulgo discernebantur veste. Ipsi Consules exsuebant purpuram. De boc plebeio habitu vide Turneb, p. 928. ED.

20. *Omnes.* Supra scil. *urbem.*

21. *Erravit* MS. 8040, *errabat.* — *Sic funere primo, etc.* Quali dolore silent stupentque qui animam jam exhalanti adstant. Ubi vero exspiraverat, conclamabant, et nomine ter vocatum jubebant æternum valere : « Salve æternum mibi, maxime Palla, Æternumque vale.» Virg. Æn. XI, 90. Hinc *conclamare* in desperationis proverbium abiit. — *Funere primo* : quum filius natu major vel unicus morbo consumitur. SCH.

24. *Exigit ad sævos, etc.* Tan-

Sed quum membra premit fugiente rigentia vita,
Vultusque exanimes, oculosque in morte jacentes;
Necdum est ille dolor, sed jam metus; incubat amens,
Miraturque malum. Cultus matrona priores
Deposuit : mæstæque tenent delubra catervæ.
Hæ lacrimis sparsere Deos, hæ pectora duro
Adfixere solo : lacerasque in limine sacro
Attonitæ fudere comas; votisque vocari
Adsuetas crebris feriunt ululatibus aures.
Nec cunctæ summi templo jacuere Tonantis :

quam præfica modum luctus et planctus signa dat. Vide quæ ad Sen. Troad. v. 83. — *Famularum.* Sic ex MS. 7900. Alii *famulorum ;* sed famulæ aptius matribus dantur, et major feminarum in plangendo usus, quam virorum. Statius tamen Silv. V, 1 : « Et famulos lassare greges et vincere planctus. »

25. *Sed quum membra, etc.* Quum vero mater in extremo quasi amplexu premit membra rigida.

26. *Oculosque in morte jacentes.* Manuscripti 7900 et 8040 habent *minaces,* quod huic loco minime convenire vidit Grotius. Juvat locus Ovid. Met. IV, 145: « Vultusque adtolle jacentes. Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos Pyramus erexit.» Ed.

27. *Necdum est, etc.* Micyllus suspicatur hæc esse transposita, legendumque : « Necdum est ille metus, sed jam dolor », quasi dicat, omni jam vitæ spe deplorata, metum in dolorem abiisse. Quæ conjectura mihi plurimum arridet, nam vulgata sensum insulsum habet. Metus quidem de futuris dicitur, dolor de præcedentibus malis. Sed hic spe jam abjecta, quasi perierit filius jam mater dolet. Alia est sententia Val. Flacc. I, 326 : « Miserere parentum Mors bona, dum metus est nec adhuc dolor. » Ed. — *Incubat amens.* Superinstat filio, præ dolore insaniens. Sulpit.

28. *Cultus matrona, etc.* Sic jam matres vestis mutatione, planctu, sparso crine, luctu, supplicatione dolorem veluti in publica calamitate testantur.

30. *Pectora.* MS. 8040 *pectore* suprascripto *a* (*pectora*).

31. *Adfixere solo.* Sic lego cum Bip. In templis se prostravere. Sic quoque Gronov. legit, ut in MSS. 7900 8040 reperi; alii male *adfuxere :* neque enim impetu se prosternendi; sed decenti submissione, et approximando, ut Apulei verbo utar, os terræ, inque eo habitu aliquandiu permanendo, venerationem monstrabant. Silius I, 677: « Adfigunt proni squalentia corpora terræ.»—*Duro* opponitur τοῖς *pectoribus* ex commiseratione.

32. *Votisque vocari.* Male quidam tentant *precari.* Sed Virg. Georg. I, 157 : « votisque vocaveris imbrem.» Alibi : Et jam votis assuesce vocari. »

Divisere Deos : et nullis defuit aris
Invidiam factura parens ; quarum una madentes
Scissa genas, planctu liventes atra lacertos,
« Nunc, ait, o miseræ contundite pectora matres,
Nunc laniate comas, neve hunc differte dolorem,
Et summis servate malis : nunc flere potestas
Dum pendet fortuna ducum : quum vicerit alter,
Gaudendum est. » His se stimulis dolor ipse lacessit.
Nec non bella viri diversaque castra petentes,
Effundunt justas in numina sæva querelas :
« O miseræ sortis, quod non in Punica nati
Tempora Cannarum fuimus Trebiæque juventus.
Non pacem petimus, Superi : date gentibus iras :
Nunc urbes excite feras : conjuret in arma

35. *Divisere Deos.* Sed aliæ alia Deorum templa petebant.

36. *Invidiam factura, etc.* Invidiam alieni facit, qui ejus sævitiam in odium adducit. Ovid. Met. VII, 604: « Ante ipsas, quo mors foret invidiosior, aras. » Ipsos vero hac locutione usos esse Christianos, insignes pietate viros, docet Hadr. Valesius qui ad Euseb. Hist. Eccles. L. I, c. 10 dicit Judeos, in luctu saccis indutos, *Deo invidiam fecisse*. Ed.

40. *Nunc flere potestas, etc.* Licet indulgere lacrimis et dolorem luctu fateri, quamdiu neuter vicerit; ut quum alter vicerit, vel ex animo vel simulate gaudendum est, nec flere licebit.

43. *Diversaque castra, etc.* Alii Pompeiana, alii Cæsariana. *Diversa* enim sunt opposita, contraria.

45. *O miseræ sortis, etc.* O felices illos, quibus contigere hostes externi, utcumque crudeles, et quibus natis tempore Punicorum bellorum contigit oppetere, vel clade Cannensi, in qua periit P. Æmilius coss. cum 44000 Rom. vel ad Trebiam fluv. ubi L. Sempronius cos. magna clade ab Annibale victus fuit. Miseros heu nos, qui in hæc civilis belli tempora incidimus. Conjungenda sunt *juventus Cannarum*, non *tempora Cannarum*, quod firmat Servius ad Æneid. VII, 711 : « Lucanus : « Cannarum fuimus, Trebiæque juventus. »

47. *Non pacem petimus.* Concessio, quod non recusent bellum; sed quod petant aliunde sibi inferri, quam a suis. — *Date gentibus iras.* Concitate tantum alias gentes ad arma Romana lacessenda. Inde enumerat aliquot gentes immanitate barbaras, cum quibus aliquando pop. Rom. bellum habuerit.

48. *Excite feras.* Adversus nos. Versum hic delet Jever, et legit : « Non pacem petimus, Superi : conjuret in arma, etc. » Sed nemo ei adsentiet.

Mundus : Achæmeniis decurrant Medica Susis
Agmina : Massageten Scythicus non adliget Hister :
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, et indomitum Rheni caput : omnibus hostes
Reddite nos populis : civile avertite bellum :
Hinc Dacus premat, inde Getes : occurrat Iberis
Alter; ad Eoas hic vertat signa pharetras.
Nulla vacet tibi, Roma, manus. Vel perdere nomen

49. *Achæmeniis, etc.* I.e. Persicis; namque Parthiæ regio est Achæmenia, oppidumque quod aliquando sub Achæmenide rege Arabiæ et Parthiæ fuit. Ἀχαιμενία ἡ Περσικὴ μοῖρα, inquit Stephanus, ἀπὸ Ἀχαιμένους υἱοῦ Αἰγέως. — Contra nos veniant Parthi e Susis civitate Persidis. Conf. VIII, v. 224. Persæ autem et Medi confuse ponuntur pro Parthis, gravibus Rom. nominis hostibus, apud quos Crassus cum filio et exercitu nuper perierat.

50. *Massageten.* Ita 8040. Alii *Massagetes ;* vel *Massagetas Scythicus.* Neque Hister prohibeat Scythas et Sauromatas quominus in nos irruant. Ad Massageten vero non pervenit Hister, neque e Scythia fluit. Ii enim populi ad alterum Ponti latus, immo trans Araxem fluvium habitarunt. Herodot. I, 201.

51. *Flavos Suevos.* Bavaros, Polonos, Pomeranos, quibus cæsaries flava.

52. *Albis* (*Elbe*). Germaniæ fluv. e montibus Bohemiæ ortus. — *Indomitum Rheni caput.* De Rhætis intelligo, apud quos Rhenus duobus oritur fontibus, e summis (ut vocat Cæsar) Alpibus profluentibus. Certum autem est, eam regionem non aditam Romanis. Augustus quidem coercuit Rhætos (ut inquit Suetonius), non prorsus domuit. Habuere tamen Romani itinera quædam, per Rhætiam, in illam Rhætiam ad Danubium, quam ipsi sibi fecere provinciam. Sed nihil ad Rheni fontes, quos Romani non viderunt : alioqui non falso prodidissent, statim initio fluere ad Septemtrionem Rhenum.

54. *Dacus premat, inde Getes.* Sarmatiæ Europææ pop. *Walachi, Moldavi, Transylvani.* Bentleius solita cum audacia corrigit. « *Hic Dacus premat*, ille *Getas.*» Sed hoc sensu non dixisset *premat* et *alter* non poneretur inter illa *hic, ille, hic.* Male Gujetus hos versus pro suspectis habet. Non enim poeta gentes specialim enumerare denuo orditur, ut Bentl. putat, sed sicuti in superioribus gentes Romanis infestas optavit, ita hic nullum exercitum (nullam manum) vult Romæ vacare, sed omnes copias externis bellis occupari. Vid. autem ad hunc locum Disquis. varias. Eo tantum fine ne bellum civile geri possit. *Premat,* recte de hostibus urgentibus et instantibus: conf. Virg. Æn. VIII, 474-647 : Grat. Cyneg. 153; Lucan. I, 514; II, 652; V, 803. — *Getes* nominativus, ut III, 95; Ovid. Pont. IV, 2, 22. Ed. — *Occurrat Iberis.* MS. 8040. *Hiberus*, scil. Hispanus. *Alter* Cæsarem, *hic* autem Pompeium indicat. Ed.

Si placet Hesperium, Superi, collapsus in ignes
Plurimus ad terram per fulmina decidat æther.
Sæve parens, utrasque simul partesque ducesque,
Dum nondum meruere, feri. Tantone novorum
Proventu scelerum quærunt, uter imperet Urbi?
Vix tanti fuerat civilia bella moveri,
Ut neuter. » Tales pietas peritura querelas
Egerit : at miseros angit sua cura parentes,
Oderuntque gravis vivacia fata senectæ,
Servatosque iterum bellis civilibus annos.
Atque aliquis magno quærens exempla timori,

57. *Collapsus in ignes.* Bentleius conjicit *collisus in ignes*, quia ex aere colliso fulmen generatur. Burmannus *collatus*, sed audacior Jever refingit : « Collectus in ignes Ad terram pluvios per nubila decidat æther », ut sint *ignes pluvii*, quemadmodum *aurum pluvium* apud Ovid. Met. IV, 611.

59. *Sæve parens.* Manifestum est Jovem denotari, neque est necesse reponere *summe parens,* quod vult Bentl. neque *sive,* ut alii ; quod pejus. Ed.

60. *Dum nondum meruere.* Antequam civili polluantur sanguine. — *Feri.* Percutias.

61. *Proventu scelerum.* Ubertate scelerum. — *Urbi.* Alii *orbi.* Simili sententia Seneca : « Hæc omnia passi sunt pro regno, quo magis mireris, alieno.» Ed. — *Imperet orbi* MSS 7900, 8040.

62. *Vix tanti, etc.* Civile bellum non erat movendum, ut neuter imperaret, id est, pro ipsa etiam libertate tuenda. — *Moveri.* Alii, *movere.* Quod defendi potest ex Cicerone, ep. ad Div. VIII, 14 : « Tanti non fuit Arsacen capere, ut earum rerum spectaculo careres. » — *Bella movere* 7900 et 8040.

63. *Tales.* Sic 8040. Alii dant *talis.* — *Peritura.* Nil profutura. Alii male explicant *peritura*, quia mox obliti hujus pietatis in bella civilia sint venturi.

64. *Egerit.* Effundit, ab *egero, ris.* Sic apud Nasonem Trist. IV, 3, 38, *egerere dolorem*, et *egerere iras*, Silius IV, 280. — *At miseros angit, etc.* Senes de legibus fatorum queruntur, quod hæc in tempora durent.

65. *Oderuntque.* Parentes oderunt fata vivacia senectæ, quæ illis tam ob morbos senectutis comites, quam ob bellum civile jam gravis vel molesta esse cœpit. *Vivax senectus* apud Senecam, Herc. Fur. 1044 : « Cernere hoc audes nimis Vivax senectus. » Et Troad. 42. — *Graves* recenti man. *i* suprascript. in MS 8040.

67. *Atque aliquis, etc.* Atque aliquis senum expressurus præsentem calamitatem, repetit civilis inter Marium et Sullam belli faciem, cui hanc confert. Fere expressit Dion. XLI : « Jam quum iras, cupiditatesque eorum qui Romam petebant, secum expenderent, memoriaque repeterent mala superiorum temporum, quæ partim

« Non alios, inquit, motus tunc fata parabant,
Quum post Teutonicos victor, Libycosque triumphos
Exsul limosa Marius caput abdidit ulva.
Stagna avidi texere soli, laxæque paludes
Depositum, Fortuna, tuum : mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere pædor.

ipsi senserant, partim ex aliis audierant, cogitantes quæ et quanta Marius ac Sulla edidissent facinora, nihil de Cæsare moderati sibi pollicebantur: sed longe plura atque atrociora metuebant, quod ejus milites majori ex parte barbari erant. »

68. *Tunc fata, etc.* Priori civili bello inter Marium et Sullam.

69. *Victor.* 8040 *victos* habet et recent. man. *victor.* Hoc autem displicet Bentleio. Hæc enim *victor* et *exsul* se mutuo evertunt. Nisi cacophonia quatuor vocum oriretur, Jever mallet *victos*, ut I, 122 : « Et victis cedat piratica laurea Gallis.» Sed hinc repetit *post Teutonicas laurus.* — Invertit tempora Lucanus. Prius enim de Jugurtha triumphavit, et post de Cimbris et Teutonibus. Hæc etiam conjungit Cicero, in L. Pison. c. 19 : « Nec C. Marius, quem Italia servata ab illo demersum in Minturnensium paludibus, Africa devicta ab eodem expulsum et naufragum vidit.»

70. *Exsul limosa Marius, etc.* C. Marius invidens Cum. Sullæ gloriam traditi a Boccho Jugurthæ; et ambitione ardens, delatam Sullæ contra Mithridatem expeditionem, et imperium abrogare per Sulpitium trib. pl. conatus, Sullam, qui adhoc in Campania socialis belli reliquias persequebatur, irritavit. Hic itaque exercitu Romam ducto, urbem ingressus, devictos adversarios ex S. C. hostes judicatos urbe expulit. Elapsus fuga Marius, in Minturnensium paludibus, demersus calamis et palustribus herbis tectus delituit. Hinc emergens equitum strepitu territus, ab iis quos Geminianos miserat deprehensus, Minturnas in custodiam, ut publice necaretur, abreptus est.

71. *Stagna avidi, etc. Uvidi* MS. 7900 contra metrum ; sed in nota habet *avidi*, id est, mollis. Cito enim haurit, quidquid acceperit. Alii emendant *Stagna udi*, et sic Grotius. Noster, III, 85: « Et qua Pomptinas via dividit uda paludes. » — *Laxæque paludes.* Quæ Marium demersum admitterent. Oudendorpius scribebat *crassæque* vel *texere paludes* ejusdem verbi repetitione. Withofius in Eocæn. crit. pag. 35, rescribit *spissæque paludes.* Denique Jever *cannæque palustres.* Nihil muto : *laxæ* potest servari, ut opponatur arcto carceri. Ed.

72. *Depositum.* Reservabat illum Fortuna ad septimum consulatum. — *Mox vincula ferri.* Hunc et sequentem versum damnat Gujetus, ut additos ab alio; sed multum ad rem faciunt.

73. *Exedere.* Attrivere, consumpsere. — *Longus.. pædor.* Non de tempore intelligi debet, per quod Marius in carcere fuit, sed longo squalore conceptus. *Pædor* sic scribendum a sordibus puerilibus, non *pedor*, ut quidam volunt a pedibus, vel pediculis.

Consul, et eversa felix moriturus in urbe
Pœnas ante dabat scelerum; mors ipsa refugit
Sæpe virum, frustraque hosti est concessa potestas
Sanguinis invisi. Primo qui cædis in ictu
Diriguit, ferrumque manu torpente remisit:
Viderat immensam tenebroso in carcere lucem,
Terribilesque Deos scelerum, Mariumque futurum;

74. *Consul, etc.* Cos. septimum futurus, et victor ultorque hostium moriturus in urbe.

75. *Pœnas ante dabat scelerum.* Tulit jam pœnas eorum scelerum quæ perpetraturus erat postmodo Romam reversus. Hæc produnt Lucanum Mario infensum; conf. IV, 822, VI, 794. — *Mors ipsa, etc.* Carnifex Minturnensium, Cimber seu Gallus, ingressus carcerem tenebricosum, percussurus Marium, vidit ignem ex oculis Marii emicantem, audiitque vocem: *Tune homo Marium interficere audes?* Territus fugit Cimber, et Minturnenses miseratione et reverentia viri, quondam vindicis Italiæ dicti, Marium dimisere.

76. *Sæpe virum.* Non sæpe, sed semel tantum, Bentl. dicit mortem refugisse Marium; ideo corrigit *nempe;* Jev. reponit *sæva*, id est, sævus ille Cimber. Sed quamquam unum hic afferatur exemplum, certum est in periculosa Marii fuga mortem illi plus quam semel minatam esse, quod satis est, ne hoc *sæpe* temere mutetur. — *Hosti est concessa potestas.* Cimbro, olim e numero hostium a Mario devictorum. MS 7900: « frustraque hosti concessa potestas. » Deleto *est*.

77. *Sanguinis invisi.* Marii, quem victorem oderat. — *Cædis in ictu.* In MS. 8040 videtur a prima manu fuisse *actu*, τὸ *i*, a recentiore impositum.

79. *Immensam lucem.* Huc affer, Val. Max. lib. II, c. 5, 6; « Sed claritate viri occæcatus. » Nec aliter Paterculus II, 19; Appian. B. C. I, 61, et Plutarchus, Mar. 39, mirifici aliquid aspergunt, oculos scilicet Marii magnam ignis flammæque vim effundere visos.

80. *Deos scelerum.* Furias, θεοὺς ποινίμους. *Dii* autem utriusque sunt generis. Hoc hemistichium Jever delatum ex VII, 168, putat, et explicationem de Furiis non probat. Ad vocem *terribiles* Scholiastes habet, id est, qui admissum terreant scelus. Nec adhuc probat Jever, immo et lectionem *futurum* ridiculam esse putat, quia de oculorum et aurium sensu hic agere poetam contendit; ideo frigide satis reponit: *Terribilesque minis oculos, Mariumque furentem;* sed *terribiles Deos scelerum* facile tuebimur. Fingit enim Lucanus, solita exaggeratione, maxime ubi animo commotiori in aliquem invehitur, fingit *Deos scelerum*, Marium sequutos, eum observasse atque agitasse. *Terribiles* sine dubio sunt horrendi, horridi. Recte autem *Deos*, non de furiis tantum, sed de dæmonibus, qui præsunt sceleribus. Sic RACINE, de Morte, *Phèdre*, act. IV, sc. 6: « La mort est le seul Dieu que j'osais invoquer. » — *Mariumque futurum.* Emphatice *futu-*

Audieratque pavens : Non hæc contingere fas est
Colla tibi : debet multas hic legibus ævi,
Ante suam, mortes : vanum depone furorem.
Si libet ulcisci deletæ funera gentis,
Hunc, Cimbri, servate senem. Non ille favore
Numinis, ingenti Superum protectus ab ira,
Vir ferus, et Romam cupienti perdere fato
Sufficiens. Idem pelago delatus iniquo
Hostilem in terram, vacuisque mapalibus actus,

rum, seilicet crudelem ultorem. Marius futnrus, vid. v. 99. Hoe et alia hnjusmodi Lucanum maxime prodnnt : et male in *furentem*, qno vis totius loci perit, correctum est.

81. *Audierat*. Nempe vocem dicentem : *Non hæe, etc.* MSS duo : « Fas hæc contingere non est. »

82. *Legibus ævi*. Alii intelligunt morti; sed debet mortes morti insnlsnm videtur. Malo cum Mycillo accipere *leges ævi* pro fato. Hoc sensu : debet hic Marius multas mortes aliorum *ante suam*, id est, prinsqnam ipse moriatur, fato ita constituente, sive ex lege fatornm. Sic initio hujns libri : « legesqne et fœdera rerum. » Ed.

83. *Furorem*. Neseio cur Jever reponit *tumorem*. *Furor* est Cimbri occidere volentis Marium.—*Vanus*, quia non licet occidere. Hucusque vox a Cimbro audita. Sie sentio, qnamvis multi et sequentia ejusdem sermonem esse pntent; sed tempus et locus panca tantum verba permittebant. Immo præcedentia: *tibi... depone*, non cohærent cum : *Cimbri, servate*. Ed.

85. *Hunc, Cimbri, servate senem*. Sævitnrnm in Romanos et inferias ex illis relaturum civibus vestris in bello cæsis. — *Non ille favore, etc.* Non illum servabant Dii quod Mario faverent, sed quod Romæ irascerentur, hoc elfero viro usuri pro suo flagello.

86. *Ab ira, etc.* Maluerat Grotius : « Protectns at ira, Vir ferus, etc. » Sed *ab ira* citat Servius ad Æn. II, 257. Ut hoe servaret satis ingeniose Bentleius, « ingenti *verum* protectus ab ira : » sed nihil muta : nam in talibns disjunctiva *sed* subintelligi potest.

88. *Sufficiens*. Qui vel unus ad eversionem Urbis sufficere potuisset, si volnissent fata. — *Idem pelago delatus iniquo*. Marius a Minturnensibus dimissns, iter mare versus per devia corripuit, se in scapham conjecit, insnrgente tempestate gubernaculo fracto delatns est ad insnlam Meningen, ubi receptis quibusdam sociis, anditoque filium suum enm Cethego salvos in Africam evasisse ad Hiempsalem, et ipse ad agrnm Carthaginiensem trajecit; ibi interdictns a Sextilii prætoris lictore, ne in Africa pedem poneret : « Renuntia, inquit Marius, prætori, vidisse te C. Marium exsulem in ruderibus Carthaginis sedentem, » haud male fortunam ejus nrbis, et suarnm rerum mutationem in exemplum ei proponens. Plutarchus.

89. *Hostilem in terram, etc.* Cui

Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,
Et Pœnos pressit cineres. Solatia fati
Carthago, Mariusque tulit; pariterque jacentes
Ignovere Deis. Libycas sibi colligit iras,
Ut primum fortuna redit: servilia solvit
Agmina: conflato sævas ergastula ferro
Exseruere manus. Nulli gestanda dabantur

interdicebatur a prætore hostis declaratos. Vel, Mario infestam, qui eam subegerat.

90. *Nuda triumphati, etc.* Pro *nuda* Bentl. conjicit *nota*, quia Marius Jugurtham devicerat; sed hoc frigidum. *Nuda* est hypallage, ipse nudus, vel intellige in nudo litore, regione desolata, incolis vacua. *Triumphati*, id est, superati ab ipso Mario. De quo triumpharat. Pro *jacuit* misere Jever *latuit*.

91. *Et Pœnos pressit cineres.* Nam inter ruinas Carthaginis aliquandiu delituit. HORTENS. — *Solatia fati, etc.* Carthagini solatio erat Marius huc miseriarum adactus: Mario tantæ urbis excidium et ruina. Confer. ad hæc Manil. IV, 45: « Et Cimbrum in Mario, Mariumque in carcere victum: quod consul toties, exsulque, ex exsule consul: Et jacuit Libycis compar jactura ruinis, etc. » DELILLE, *Les Jardins*, ch. IV: « Telle jadis Carthage, Vit sur ses mors détruits Marius malheureux, Et ces deux grands débris se consolaient entre eux. »

93. *Ignovere Deis.* Sortem suam patientius tulere. Male hic Jever *Agnovere Deos*, quod explicat, faventes sibi senserunt. Quod ferri non potest. Qui solatium capit jam non Deos accusat, Deis ignoscit. *Agnoscere Deos* de superbiente homine, et Deos in ærumnis confitente; sed his non est hic locus. ED. — *Libycas sibi colligit iras.* Qui legunt *ibi colligit* interpretantur *Libycas*, id est, immanes, vel Carthaginiensibus atrocissimis populi Rom. hostibus dignas. Sed *sibi colligit*, id est, in suam causam excitat Marianorum e Libya iras. Quem sensum juvat Plutarch. Mar. c. 41: « παραλαβὼν ἐκ τῆς Λιβύης Μαυρουσίους τινὰς ἱππότας κ. τ. λ.

94. *Ut primum fortuna redit.* Quum C. Cinna cos. ad pop. referret de revocandis, quos senatus, ita volente Sulla, hostes judicaverat, et de adscribendis novorum civium x tribubus veteribus xxxv, a dissidentibus coss. in media orbe disceptatum est. Cinna urbe pulsus a Cn. Octavio collega, sollicitat urbes Italicas, vires undique contrahit, servis etiam ad libertatem vocatis, reversum Marium sibi jungit, quadruplici agmine urbem intrant Cinna, Marius, Carbo, Sertorius, in adversarios desæviunt.

95. *Conflato sævas, etc.* Manicis et catenis soluti servi, capessunt arma. — *Ergastulum* est, ubi opus inclusi faciunt, ab ἐργάζειν. Hic sunt ipsi ergastularii, ut bene interpretes. Florus in hac ipsa re III, c. 21: « Servitia, proh nefas! et ergastula armantur. » Claudian. in Eutrop. I, 28: « Rupta Quirinales sumunt ergastula cinctus. »

96. *Nulli gestanda, etc.* Nemo

Signa ducis, nisi qui scelerum jam fecerat usum,
Adtuleratque in castra nefas. Pro fata ! quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quo mœnia victor
Corripuit? quantoque gradu mors sæva cucurrit?
Nobilitas cum plebe perit; lateque vagatur
Ensis; et a nullo revocatum est pectore ferrum.
Stat cruor in templis; multaque rubentia cæde
Lubrica saxa madent. Nulli sua profuit ætas:
Non senis extremum piguit vergentibus annis
Præcipitasse diem; nec primo in limine vitæ

apud Marium in honore aliquo erat, nemo signifec, nisi qui scelere insignis esset, venissetque nefarius in militiam.

98. *Pro fata !* Exclamat in horribilem cædem Marianam, quum urbem ingrederetur. Grminatio τοῦ *Quis ille* mirifice affectum auget. Ed.

100. *Corripuit.* Id est, celeri gradu urbem intravit. Sic Valer. Flacc. I, 132 de delphine: « Æquora delphin Corripit, » i. e. celeriter natat per æquora. — *Quantoque gradu, etc.* Quanta celeritate, crudelitatisque magnitudine. In paucissimos enim a Sulla primum sævitum erat. Similis imago murtis currentis apud Horat. Carm. I, 3, 33: « Tarda necessitas Leti corripuit gradum. » Ed.

101. *Nobilitas cum plebe perit.* Lege Appianum de hac re latius, de civili bell. Florum L. III, c. 21. Plutarch. in Mar.

102. *A nullo revocatum.* Nulli pepercere. Hoc infra geminatur *Nulli sua profuit ætas.* Quamquam redundatio displiceat, non tamen emendandum cum Jever. « Et assiduo renovatum sanguine ferrum. » Idem voc. *est* non agnoscit et mavult *vagatus.* Quod quidem MS. 8040 juvat. Ed.

103. *Stat cruor in templis.* Neque iis parcebatur, qui ad templa et aras confugerant.

104. *Saxa madent.* Male Oudend. proponit *natant.* Tunc enim non essent *lubrica.* Ed. — *Nulli sua profuit ætas.* Racine, *Esther:* « Le fer ne connaîtra ni le sexe ni l'âge. *Andromaque:* « La vieillesse et l'enfance En vain sur leur faiblesse appuyaient leur défense. » Cf. Corneille, *Cinna;* ubi hæc omnia referuntur.

105. *Non senis extremum, etc.* Etiam senibus alterum jam pedem in Charontis cymba habentibus, mortem accelerabant. Stat. Theb. VIII, 328: « celeres neu præcipe Parcas. » Unde quidam hic ingerunt *Præcepisse diem.* Sed VII, 352: « Præcipitare meam fatis potuere senectam. » Et *præcipitare*, id est, ruere, præmaturare, magis convenit τοῖς vergentibus annis, quam *præcipere.* Velleius similiter Lib. II, c. 49: « Præcipitata morte functi sunt. » Senec. Epist. XIII, *devexam et præcipitem ætatem* dixit. — *Vergentibus annis.* Ad mortem se inclinantibus.

106. *Primo in limine.* Ipso ortu

Infantis miseri nascentia rumpere fata.
Crimine quo parvi cædem potuere mereri?
Sed satis est jam posse mori. Trahit ipse furoris
Impetus: et, visum est lenti, quæsisse nocentem.
In numerum pars magna perit; rapuitque cruentus
Victor ab ignota vultus cervice recisos,
Dum vacua pudet ire manu. Spes una salutis
Oscula pollutæ fixisse trementia dextræ.
Mille licet gladii mortis nova signa sequantur.
Degener o populus, vix sæcula longa decorum
Sic meruisse viris, nedum breve dedecus ævi,
Et vitam, dum Sulla redit. Cui funera vulgi

et principio. Seoec. Herc. Fnr. 1132: « Quas io primo Limine vitæ scelns oppressit. » Claudiao. Cons. Honor. III, 10: « quem primo a limine vitæ Nutrix aula fuvet. »

108. *Crimine quo, etc.* Ab innocentia et ætate commiseratio. RACINE, *Esther:* « Hélas! si jenne encore, Par quel crime ai-je pu mériter mon malheur? » Hunc Lucani versum e Sedulio huc intrusnm putant; eximinm profecto, et teneri affectus plenum.

109. *Posse mori.* Beoe Schol. causa occidendi erat, qnod essent qui possent occidi. — *Trahit.* Nempe in cædes iosaotinm. Ipse *furoris impetus* crescit dum in cursu est.

110. *Visum est lenti.* Lenti et ignavi homines putabantur, si in civilibus bellis quærerent meritos, quos necarent. — *Visum est lenti.* MS. 7900 *lente.* 8040 *et visum lenti.*

111. *In numerum.* Angendo duntaxat numero, non qnod in ipsis causa mortis ioveniretur. Ideo promiscne tam innoceotes quam nocentes, ignoti pariter ac noti cadunt. Hunc sensum amplector, quamqnam alii intelligant *in numerum perit*, alter post alterum occiditur, prout obviam se exhibuerint. Sed *in numerum* Virgilio dicitur de ferientibus Cyclopibus, Georg. IV, 174; aut de Faunis saltaotibus, Ecl. VI, 27: locum non habet de pereootibns. ED.

113. *Spes una salutis, etc.* Dederat quippe hoc snis signum, nt interficerent quoscumque ille non resalntasset, qnibus salutaotibus nihil responderet, aut quibus manum osculaodam non porrexisset. Hæc σύμβολα, nt ait Plutarchns, Mar. c. 43, *nova signa mortis* Lucanus dicit infr. v. 115.

114. *Pollutæ dextræ.* Marii tot cædibus contaminatæ. — *Trementia.* Metu mortis.

116, 117. *Degener o populus, etc.* O degeneres! Jam turpe esset viris hujus osculi obseqnio vel longissimam ætatem quærere, multo minus redimere brevem in vita eaque ignominiosa moram, nsqne dum reversus Sulla et hos, qoi vitam Marii munere

Flere vacet? vix te sparsum per viscera, Bæbi,
Innumeras inter carpentis membra coronæ
Discessisse manus: aut te, præsage malorum
Antoni, cujus laceris pendentia canis
Ora ferens miles festæ rorantia mensæ
Imposuit. Truncos laceravit Fimbria Crassos.
Sæva Tribunitio maduerunt robora tabo.
Te quoque neglectum violatæ, Scævola, dextræ

habent, perimat.—*Sic meruisse*. Burmann. *sit*; an errore typographico?

119. *Vix te sparsum, etc.* Vix mihi vacat flere te, o Bæbi! manibus militum et turbæ discerptum. Vide ad hunc versum Bentl. et Jever disquirentes ad calcem hujus libri.

120. *Inter carpentis*. Discerpentis, lacerantis.—*Coronæ*. Turbæ multitudinis cingentis te.

121. *Discessisse*. Ita reposuimus pro *discerpsisse*, quod legitur et in MS. 7900. M. Bæbius sectus in partes. Ita Latini usurpant vocem, *discedere*. Cicero, Offic. III: *Quum terra discessisset*. — *Præsage malorum*. Qui calamitatem illam multo ante Metello prædixerat. Vid. Turn. p. 928.

122. *Antoni, etc.* M. Antonii clariss. oratoris, qui immissos ad trucidandum illum percussores eloquentia demulserat, caput abscissum Annius Trib. detulit ad Marium cœnantem, qui caput illud per summam animi ac verborum insolentiam aliquandiu contrectatum rostris deinde affigi jussit. Val. Max. Lib. IX, cap. 2, Cicer. de Oratore. — *Laceris*. Bentl. reponit *sacris*. Non male: ille enim senatus princeps. Sic VII, 371: « Sacros pedibus prosternere canos ». Velim MSS. juvarent.

124. *Laceravit Fimbria Crassos*. Livius in Epitome LXXX: « Crassi filius ab equitibus Fimbriæ interemptus; pater Crassus ne quid indignum sua virtute pateretur, gladio se transfixit. » Florus tamen cum Nostro consentit, III, 21: « Trucidantur Crassi pater et filius, in mutuo alter alterius aspectu. »

125. *Tribunitio maduerunt robora tabo*. Locus ille in carcere, unde malefici præcipitabantur, maduit sanguine Licinii tribuni magistratus sacrosancti. Is locus autem *robur* et *robus* appellatur numero singulari, numquam *robora*. Igitur alii exponunt *rostra*, unde tribuni perorabant, maduisse sanguine. Sed tunc quomodo *sæva rostra* dicuntur. Hypallage sane nimia, si de capitibus affixis ad rostra intelligas. Ideo conjicit Jever: *Sancta tribunitio*, non feliciter.

126. *Te quoque neglectum*. In MS. 8040 *dextræ* ab altera manu scriptum videtur: prima manu erasum erat omnino. Locus incertus videtur. Certum est Scævolam a Marianis in templo Vestæ occisum; sed *neglectum violatæ dextræ* malo pede huc illata videntur. Pro *dextræ* alii reponunt *Vestæ*, hoc sensu: Mactavere te neglectum, non protectum, ante ipsum penetrale Vestæ Deæ violatæ. Alii volunt *violentæ dextræ*

Ante ipsum penetrale Deæ, semperque calentes
Mactavere focos : parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.
Septimus hæc sequitur, repetitis fascibus, annus :
Ille fuit vitæ Mario modus, omnia passo,
Quæ pejor fortuna potest, atque omnibus uso,
Quæ melior; mensoque, hominis quid fata paterent.
Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum?
Aut Collina tulit stratas quot porta catervas,

neglectum, id est, cui manum osculandam non dedisset Marius. Alii *in exemplum violatæ dextræ*, id est, paullo ante datæ fidei. Meam conjecturam addo, non feliciorem sane, sed quæ textum illæsum servat : Te mactavere ante ipsum penetrale Deæ, neglectum dextræ violatæ, id est, cujus ignes spreverat gentilis tuus Mucius, flammis injecta dextra. Ed.

127. *Ante ipsum penetrale.* Ad aram. Constat enim Scævolam simulacra Deæ amplexum : male igitur qui hoc de vestibulo capiunt. Ed.

128. *Parvum sed fessa senectus.* Racine, Andromaque, act. IV, sc.5 : « Tandis que dans son sein votre bras enfoncé Cherche un reste de sang que l'âge avait glacé. » — *Parvum sanguinis.* Sermo parum usitatus : non tamen mutandum in *paulum*, quod minus elegans. Cæterum *exiguum sanguinis* est v. 140 infra.

129. *Pepercit.* Non exstinxit flammam, ut cui parum esset sanguinis.

130. *Septimus hæc sequitur*, etc. MS 7900, *exsequitur*. Septimus C. Marii consulatus, namque inter sextum et septimum intercedebant 13 anni.

131. Intra dies quam inierat consulatum tredecim, morbo laterali et insania obiit annos natus 70 Marius.

133. *Mensoque, hominis quid*, etc. Sic MS. 7900; sic ediderunt cum Grotio Burm. et Oudend. Sensus : experto, quæ summa esset fatorum distantia, a maxima felicitate ad maximam miseriam. Vulgo, *homini quid fata pararent;* in adversis et secundis mensus fuerat, quid fata hominibus pararent et constituerent; experto omnes casus quos homini fata decernant. Nec opus conjectura Jeveri : « mensoque hominem quæ fata manerent. »

134. *Jam quot apud*, etc. Transit jam ad horrendas clades inter Sullam ex Asia reducem, et Marium juniorem, vicesimo ætatis suæ anno consulem factum. — *Apud Sacri cecidere*, etc. Ad Sacriportum haud procul a Præneste, C. Marium (C. Marii filium, sive nepotem, incertum) Sulla fudit : quum autem Præneste fugisset, nec evadere se posse intelligeret, Sulla, Samnitium duces, qui ad cos. obsidione liberandum advenerant, ad decimum a Porta Collina stadium consequutus, magna strage fudit, et Samnites 70 *amplius millia concidit.* — *Cecidere cad.* Bentl. reponit *jacuere*. Non enim, inquit, prius cadavera erant, quam caderent : VII, 597 : « Jacet aggere magno Patricium rampis non mixta plebe cadaver. » Ed.

Tunc quum pæne caput mundi, rerumque potestas
Mutavit translata locum, Romanaque Samnis
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas?
Sulla quoque immensis accessit cladibus ultor.
Ille quod exiguum restabat sanguinis Urbi
Hausit; dumque nimis jam putria membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumque sequuta est,
Qua morbi duxere, manus: periere nocentes;

136. *Tunc quum pœne*, etc. Promiserat Marius Samnitibus, qui a suis partibus steterant, se tralaturum caput imperii a Romanis ad Samnites.—*Rerumque potestas*, etc. Hæc verba sua fecit Claudian. Cons. Stilich. II, 125: « Translataque pæne potestas. »

137. *Samnis*. Annotat vetus ad oram MS. Puteanor. scholiastes, Damasippum hic indicari Samnitem, qui Marianarum fuit partium. Sed melius de populo universo intellige, qui pertinacissimus Romæ hostis. Si unus intelligendus esset, non is esset Damasippus, sed Pontius Telesinus, dux Samnitium eo bello, cujus hoc dictum nobis servavit Velleius: «numquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi silva, in quam refugere solerent, esset excisa. » Ed.

138. *Ultra Caudinas*. Speraverunt nempe Samnites a se majori clade premendos, et mittendos sub graviori jugo Romanos, quam olim T. Veturium et Sp. Posthumium ad Furcas Caudinas, saltum abruptum in Apulia, ubi Romani a Samnitibus sub jugum missi. Vid. Liv. IX. Alii suadent *spiravit*, quod probat Oudendorp.

139. *Sulla quoque*. Bentl. ad Manil. IV, 221, affert hunc locum cum altero Statii, Silv. IV, 6, ut sævitiam Syllæ probet. Web.

141. *Dumque nimis*, etc. Cum adversariis et seditiosis optimos cives tollit, velut acrior chirurgus, qui membra sana cum corruptis excidit. Bentl. offendit *nimis* quum sequatur altero versu *nimium*, et reponit *ensis*. Sed quæ constructio: dum *ensis* recidit, *manus* nimium sequuta est? Potius locum explica, dum nimis recidit, i. e. nimio ardore seditiosos cives tollere vult, modum medicandi excedit.

142. *Excessit medicina modum*. Hinc Claudian. Ep. ad Hadrian. vs. 11: « Excessit jam pœna modum. » De eodem Sulla, Senec. de Benef. V, 16: « Ingratus L. Sulla, qui patriam durioribus remediis, quam pericula erant, sanavit. »

143. *Periere nocentes*. Hinc illud Metelli: « Statue tandem, quos perditurus sis. » Hinc 40 Senatores, Equites 1600, una tabella proscripti, et vox illa Furfidii: « Vivere aliquos debere, quibus imperaret. » — *Periere nocentes*, *Sed*, etc. Sensus est: periere quidem nocentes Marii fautores, sed et Sullani qui supererant, non minus nocentes erant. Quidam de versu 144 dubitant, et hunc Bip. uncis includit: sed potuit omitti a librariis

Sed quum jam soli possent superesse nocentes.
Tunc data libertas odiis, resolutaque legum
Frenis ira ruit. Non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas. Semel omnia victor
Jusserat. Infandum domini per viscera ferrum
Exegit famulus : nati maduere paterno
Sanguine. Certatum est, cui cervix cæsa parentis
Cederet : in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Busta repleta fuga, permistaque viva sepultis
Corpora; nec populum latebræ cepere ferarum.
Hic laqueo fauces, elisaque guttura fregit :
Hic se præcipiti jaculatus pondere dura
Dissiluit percussus humo; mortesque cruento

ob similem desinentiam enm v. 143.

144. *Nocentes.* Crudeles Sullani.

145. *Tunc data*, etc. Imperatum Sullæ de Marianis occidendis quisque convertebat in odii sui aut sceleris libidinem. — *Resoluta.* Id est, liberata vinculis legum. Metaphora ab equo, qui sine lege per cuncta ruit, frenis non coercitus. Vid. Stat. nost. ed. tom. II, p. 132.

146. *Non uni cuncta dabantur, Sed fecit sibi quisque nefas.* Bene Bentl. exponit : « Non uni Sullæ dabantur cunctæ cædes, non in unius Sullæ gratiam fiebant, sed sibi quisque fecit nefas, privatis suis simultatibus, cæde inimicorum, vel lucris, cæde cognatorum, velificatus est.

147. *Semel omnia victor Jusserat.* Nempe omnium scelerum licentiam fecit, quum Marianos occidendos jussit.

149. *Exegit famulus.* Hoc generaliter : non de Mario juniore, qui a servo occisus est; de quo male Scholiastes hæc accipi posse putat. Ed.

150. *Certatum est*, etc. A filiis, quis partem hæreditatis haberet caput patris, ut præmio talentis duobus, quod percussoribus proscriptorum propositum erat, potiretur. Ea vis est verbi *cedere* ut de hæreditatibus capiatur : hoc neglexerunt interpretes. Ed.

151. *In fratrum ceciderunt præmia fratres.* Id est, fratres cæsi sunt a fratribus, ut percussores præmio proposito fruerentur. Male Sulpitius in salutem fratrum explicat. *Cadere in præmia* dixit, ut I, 306 : « In classem cadit omne nemus. » Simili fere imagine Velleius II, 283 : « Fieretque quisque merces mortis suæ. »

152. *Busta repleta fuga.* Latebras quærebant in sepulcris et lustris ferarum.

154. *Elisaque.* Strangulata. Commemorat hunc locum Bentl. ad Hor. Carm. III, 27, 60 cum aliis quibus *elidere collum, guttura* dici probat. Web.

156. *Dissiluit*, etc. Alii, *Desiluit.*

Victori rapuere suas : hic robora busti
Exstruit ipse sui, nec dum omni sanguine fuso
Desilit in flammas, et, dum licet, occupat ignes.
Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem,
Et medio congesta foro : cognoscitur illic
Quidquid ubique latet. Scelerum non Thracia tantum
Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
Postibus Antæi Libye : nec Græcia mœrens
Tot laceros artus Pisæa flevit in aula.
Quum jam tabe fluunt, confusaque tempore multo

Male ; nam sequentia *dura percussus humo* hanc lectionem tuentur. *Desilit* autem infra legitur v. 159.

157. ***Rapuere suas.*** Præripuere, præoccupavere, ne in manns et cruciatus hostium devenirent. — ***Robora busti Exstruit***, etc. Alius exstruit ligna rogi sui, et omni sangnine nondum fuso, *dum licet*, dum vires sufficiunt, desilit in flammas. Hæc autem deridet Jev. et emendat *necdum hoste aut milite viso*, quod languidissimum mihi videtur. Ed.

161. *Cognoscitur illic*, etc. Ex acervo capitum in foro congestorum, cædes claudestinæ patuere. Bipont. habet *jacet*, alii et MS. 7900 *latet.* Emendat Bentleius : *quicquid ubique latet. Capitum non Thracia tantum*, etc. Certe non Thracia tantum vidit, aliquod verbum requirere videtur? quid autem *pendere* vidit? olim male post *scelerum* distinguebatur. Sensus vero planus est. Non tot cædibus Thracia infamis fuit.

163. ***Stabulis pendere tyranni.*** Bistonius tyrannus Diomedes, rex Thraciæ sic dictæ a Bistone, palude. ***Stabulis***, ob equas visceribus humanis pasci solitas.

164. ***Postibus Antæi.*** Antæus Libyæ gigas.

165. ***Pisæa flevit in aula.*** Pisa, civitas Elidis, regem Œnomaum notat, qui hospites ad palæstram provocatos victosque occidebat, et eorum capita postibus adfigebat. Filiæ suæ procos curru consequutus interfecit. Pro *artus* Bentleius tentat *vultus*, nempe quia capita tantum affigebantur. Ovid. Heroid. IX, 89 de ipso Thrace Diomede : « Threiciis adfixa penatibus ora. » De Œnomao Hygin. LXXXIV : « Multis interfectis novissime Pelops, Tantali filius, quum venisset, et capita humana super valvas fixa vidisset, pœnitere eum cœpit. » Idem deniqne tentat *procerum vultus*, quia omnes, qui cum Œnomao certabant pro filiæ nuptiis proceres suarum civitatum et principum filii erant. Et inde constat ratio cur tota Græcia fleret et mæreret, ob nobilium juvenum mortes. Hæc satis verisimilia videntur. Sed mutare quid opus? Ed.

166. ***Quum jam tabe fluunt.*** Jam livescunt, et *confusa*, diu commixta cæsorum capita, amisere notas, i. e. oris lineamenta et signa quibus agnosci a suis possent.

Amisere notas, miserorum dextra parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.
Meque ipsum memini cæsi deformia fratris
Ora rogo cupidum, vetitisque imponere flammis,
Omnia Sullanæ lustrasse cadavera pacis;
Perque omnes truncos, cum qua cervice recisum
Conveniat, quæsisse caput. Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? cui victima tristes
Inferias Marius, forsan nolentibus umbris,

167. *Dextra parentum.* Parentes furtim, ut sepelireot, subtrahebant, quæ soli cognoscere poterant. Pro *dextra* Beotleins *cura*, minus recte. Ipsi coim pareotes colligebant nato-rum capita.

169. *Meque ipsum*, etc. Hoc a sene, quem loqoentam introducit, dictum fingit Poeta.

170. *Vetitis flammis.* Vatoerat enim Sulla, aicut et Marius comburi cadavera, ut feris alitibus prædæ essent. *Vetitis flammis*, ut *vetitus ignis*, apud Statium, Thebaid. XII, 56. Ed.

171. *Sullanæ pacis.* Ironice; per *pacem* enim iotelligit cædiom finem.

172. *Cum qua cervice recisum*, etc. Hunc locum pro suspecto habet Jev. Putat non *conveniat* sed *conveniret* dictum oportuisse; quod in pocta leve est: sed maoifesto errat, quum intelligit hunc hominem non habuisse caput fratris. Ordo coim est: quæsisse cum qoa cervice caput recisum conveniat. Hanc cervicem, seu cadaver, per truncos quærebat. *Cognita* vero parentibus capita supra dixit v. 168.

173. *Sanguine*, etc. Q. Lotatius Catulus, qui collega fuerat Marii, et cum eo de Cimbris triumpharat, ubi se a Mario morti destinatum audivit, in cubiculo suo recens calce illito necdum persiccato carbooibus accensis sponta suffocatus est. In cujus ultionem Catolus frater a Sulla petiit sibi coocedi Mariom, qoem apud Lut. Catuli sepulcrum, tanquam manes fratris placaturus, per singula membra cruciavit. Quis fuerit hic *Marius* vix bene constat. Grotius habet de Marii filio. Sed bene Beotleius nomioat Marium Gratidiaoum, Marii Gratidii oratoris filium, et per adoptionem Marii illius magni, VII cos. fratrem, Tollii Ciceroois propinqoum, virom prætoriom. Vid Ciceronem, de Offic. III, 16 et 20; in Bruto c. 45; de Legib. III, 16. Valer. Max. IX, 1: « Quam porro crudeliter Sulla se in Marco Mario prætorio gessit, quem per ora volgi ad sepulcrum Lutatiæ geotis pertractum, non prius vita privavit, quam oculos iofelicis erueret, et siogulas corporis partes confriogeret. » Multa alia testimonia coogessit Bentleius. Vid. Sallust. nost. ed. p. 117. Ed.

174. *Cui victima.* Marius hostia sacrificata Catulo. Alii, et MS. 7900 habent *quum* pro *cui*, et fere mallem. Ed.

175. *Nolentibus umbris.* Invitis manibus Catuli, huic sævitiæ repugnantibus.

Pendit, inexpleto non fanda piacula busto :
Quum laceros artus, æquataque vulnera membris
Vidimus, et toto quamvis in corpore cæso
Nil animæ letale datum, moremque nefandæ
Dirum sævitiæ, pereuntis parcere morti.
Avulsæ cecidere manus, exactaque lingua
Palpitat, et muto vacuum ferit aera motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
Amputat : ille cavis evolvit sedibus orbes,
Ultimaque effundit spectatis lumina membris.
Vix erit ulla fides, tam sævi criminis unum
Tot pœnas cepisse caput. Sic mole ruinæ
Fracta sub ingenti miscentur pondere membra :

176. *Pendit.* Persolvit mortuo hostiam, quæ debebatur fratri. *Hortens.* — *Inexpleto busto.* Hoc est, mortuo fratre, cujus justa non fuerant expleta. — *Non fanda.* Id est, nefarias inferias, sanguinem humanum, quo existimabat Catulus fratrem satiari posse.

177. *Æquataque vulnera membris*, etc. Singulis membris singula infligebantur vulnera.

179. *Nil animæ letale datum.* Nullum ei concessum vulnus, quo periret.

180. *Parcere morti.* Ita cruciatus temperare, ut vita produceretur. Quam sævitiam spirat hæc immanissima Caligulæ vox : « Ita feri, ut sentiat se mori.. » Ed.

181. *Avulsæ cecidere.* Bentleius reponit *micuere* et si quis dubitet, hunc scelestum in manes Lucani esse pronuntiat. Virgil. X, 395, de manu decisa : « Semianimesque micant digiti. » — *Exactaque lingua.* Bentl. Oudend. et MSS. multi *exsecta* vel *execta.* Sed *exacta* non mutandum est : non ferro resecta lingua, sed vi avulsa. Ed.

182. *Muto motu.* Non vocali.

183. *Spiramina, etc.* Narium.

184. *Orbes.* Oculos κύκλους, Sophocles in Œdipo. Senec. Œdip. 966 : « Radice ab ima funditus vulsos simul Evolvit orbes. »

185. *Ultimaque effundit.* Sic bene Bipont. quum quidam habeant *effodit. Effundit* scil. homo. *Effodit* enim jam dictum est in versu præced. aliis verbis. Noster VII, 305 : « Et caput hoc positum rostris effusaque membra. » Ed. — *Spectatis.* Membris, sc. ab ipso Mario, antequam oculi effoderentur. Ed.

186. *Vix erit ulla fides.* Vix erit dignum fide, unum corpus capax fuisse tot pœnarum. Aliam distinctionem malit Bentleius : « Vix erat ulla fides tam sævi criminis, unum, etc. » Non malam : non enim *pœnas criminis* conjungendum, sed *fides criminis*. Vix credent posteri tam sævum crimen. Ed.

187. *Sic mole ruinæ.* Ædificio-

Nec magis informes veniunt ad littora trunci,
Qui medio periere freto. Quid perdere fructum
Juvit, et ut vilem, Marii confundere vultum?
Ut scelus hoc Sullæ, cædesque ostensa placeret,
Agnoscendus erat. Vidit Fortuna colonos
Prænestina suos cunctos simul ense recisos,
Unius populum pereuntem tempore mortis.
Tunc flos Hesperiæ, Latii jam sola juventus,

rum ruina sic corpora eliduntur.

189. *Nec magis informes, etc.* Non minus lacerum et deforme fuit Marii corpus, quam eorum qui collapsorum ædificiorum ruina attriti sunt; aut qui mersi, scopulis allisi et piscium esca facti, litus appellunt. — *Trunci.* Cadavera truncata.

190. *Fructum, etc.* Oculorum pabulum, et voluptatem, quam percepturus erat Sulla agnoscendo Marium.

191. *Ut vilem.* Ut vulgarem et incognitum. — *Confundere.* Deformare.

193. *Vidit Fortuna colonos.* Exprobratur Fortunæ Prænestinæ, ob illius templum in Præneste celeberrimo, cædes civium Præneste facta. Lucretius hac urbe recepta senatores omnes, qui Mario favissent, partim interfecerat, partim in vincula conjecerat. Adveniens Sulla quinque millia Prænestinorum, spe salutis per P. Cethegum data, extra mœnia municipii evocata, quum abjectis armis humi corpora prostravissent, interficienda, et per agros dispergenda curavit

194. *Ense recisos.* Alii habent *receptos*, quod non satis latinum. Manuscripti quidam habent *ense recepto*, id est, in corpora admisso. Certe aurem offendunt tot nomina in *os* exeuntia. Audacior vero *Jever*, qui refingit « Prænestina pios, jusso semel ense recepto, Unius passim pereuntes crimine mortis. » Appianus quidem de Bell. Civ. I, 94: « Sullam eos sagittis configi jussisse, ait. » *Recepto ense* fere mallem; nam homines *ense recisos* vix dici posse puto; eleganter autem dicitur recipere ferrum, qui vulneratur, vel occiditur. Sic Noster VI, 223: « Telumque irata receptum Impetit. » Heinsius pro *cunctos* reponebat *junctos*, quod probari potest, ut *jungi ense* dicantur qui simul occiduntur; et *junctam mortem* dixit Ovid. Met. V, 71. Sed *cunctos* omnes MSS. agnoscunt. Conf. poet. Lat. min. tom. III, p. 316, not. 1. Ed.

195. *Unius populum, etc.* Uno eodemque tempore, uno quasi ictu. Sic melius, quam, ut alii explicant, intra spatium, quo unus interfici possit. — Hic versus Gujeto suspectus est. Male quidam habent *noctis* pro *mortis;* sed hoc historiæ repugnat. Constat enim Prænestinos interdiu interfectos fuisse. Ed.

196. *Tunc flos Hesperiæ, etc.* Quatuor legiones contrariæ partis, et in his Samnites quam plurimos, namque ex Italis soli Mario et Cinnæ adhæserant, obtruncari jusserat.

Concidit, et miseræ maculavit Ovilia Romæ.
Tot simul infesto juvenes occumbere leto,
Sæpe fames, pelagique furor, subitæque ruinæ,
Aut cæli, terræque lues, aut bellica clades,
Numquam pœna fuit. Densi vix agmina vulgi
Inter, et exsangues immissa morte catervas,
Victores movere manus. Vix cæde peracta
Procumbunt, dubiaque labant cervice; sed illos
Magna premit strages; peraguntque cadavera partem

197. *Ovilia Romæ.* Ovilia erant in campo Martio loca septa et cancellis conclusa, in quæ per pontes, qui erant angustæ viæ, ibant centuriæ suffragia dicturæ. De hoc loco Noster VII, 306: « Septorumque nefas, et clausi prælia Campi. » Alii autem hæc *ovilia* putant esse *villam publicam*, in qua illos homines occisos esse omnes historici narrant. Florus III, 21: « Quatuor millia deditorum inermium civium in villa publica interfici jussit. » Sed poetica licentia potuerunt *septa* et *villa* confundi ob vicinitatem. Ed.

198. *Infesto leto.* Id est, violento, non naturali; vel etiam immaturo.

199. *Sæpe fames, etc.* Fame, tempestate, ruinis, terræ motu, peste, bello tot homines periisse accepimus.

200. *Clades. Cædes* MSS. duo. Male.

201. *Numquam pœna fuit.* Sensus est: Tanta hominum cædes, morbis aut aliis malis ἐπιδημικοῖς interdum, at numquam suppliciis imputata est. — *Densi vix agmina, etc.* Vix ob multitudinem cæsorum victores spatium habuerunt, ut manus moverent, ferrumque stringerent. *Victores* appellari hos carnifices indignatur Bentl. et velit *lictores*: ingeniosius quam verius. Eadem mala heu! passi sumus, an. 1793 et seq. et eorum auctores se vocabant *victores*. Ed.

202. *Immissa.* Eleganter de immissis militibus, mortem facientibus. Non igitur mutandum in *immissi*, ut Æneid. II, 496: « Immissi Danai. » — *Exsangues,* nondum mortuas, sed quasi exanimes ad conspectum mortis undequaque imminentis.

203. *Vix cæde, etc.* Putat Grotius *hi* substituendum, quia sequitur, *sed illos.* Male: nam sic effluit sensus. Vix procumbunt, vix spatium habent, quo procumbant. Sed *illos* ad eosdem pertinet. Vult poeta multos vulneratos non cecidisse statim ab ictu, sed huc illuc impulsos præ denso agmine labasse, et multitudine corruentium oppressos.

204. *Dubiaque.* Vacillanti et semiviva. — *Labant.* Nutant hac et illac. — *Illos.* Jam saucios et labantes.

205. *Magna premit strages.* Premuntur et dejiciuntur a strage aliorum cadaverum cadentium. Sic *peragunt cadavera partem cædis.* Nam mortui suo pondere vivos adhuc conficiunt. Similem cædem memorat Noster IV, 781. Et Silius Italic. IX, 321: « Nec morte peracta Arctatis cecidisse licet. » Idem IV, 555: « Nec arctatis locus est in morte cadendi. »

Cædis : viva graves elidunt corpora trunci.
Intrepidus tanti sedit securus ab alto
Spectator sceleris : miseri tot millia vulgi
Non piguit jussisse mori. Congesta recepit
Omnia Tyrrhenus Sullana cadavera gurges.
In fluvium primi cecidere, in corpora summi;
Præcipites hæsere rates, et strage cruenta
Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor,

Quæ Lucanum omnino explicant. Ed. — *Peraguntque cadavera.* Hoc est, mortui ipsi stragis causa fiunt.

206. *Elidunt.* Comprimunt, suffocant. — *Trunci.* Eorum, quibus capita erant abscissa.

207. *Intrepidus tanti, etc.* Ipse Sulla editiori loco sedebat otiosus spectator. Quibusdam male videntur conjungi duo adjectivi *intrepidus, securus*, sine copula. Ideo emendant *tantique sedet*, tempore quidem præsenti, ut *premit, peragunt.* — *Ab alto.* Alii capiunt de Capitolio, quod historiæ non consentit. Malim intelligere de æde Bellonæ, ubi Sulla senatum habuit, quum interea sex millia in circo congregatorum contrucidarentur; quorum civium quum questibus morientium senatores perterrerentur, ille constanti et nihil mutato vultu, dicere perrexit, subjungens: quosdam malos homines suo jussu castigari. Ed.

208. *Miseri tot millia, etc.* Centum civium M. in his senatores XC, consulares XV, equestris ordinis MM. DC.

209. *Non piguit.* MS. 7900 dat *timuit.* — *Congesta recepit, etc.* Cadavera in Tiberim projici jussa.

211. *In fluvium primi,* etc. Bentl. et Clercq. hunc versum pro interpolato habent : sed argumenta eorum non sufficiunt; et hic vs. cum cæteris hujus loci congruit. Recte scholion Lips. ita explicat : « Summi, ultimi, quia non poterant pervenire ad fluvium præ nimia multitudine occisorum. » Posterius injecta cadavera, prioribus supernatarunt, non flumine demersa.

212. *Præcipites.* Prono et secundo alveo discurrentes. — *Præcipites hæsere rates.* Hunc versum ut spurium Bentl. delet. Sed male : verba *præcipites hæsere*, quamquam vs. 216, repetita, offendere non debent. Magis fortasse v. *rates* displicet, cujus loco *aquæ*, *undæ* vel simile quid exspectamus; sed ex eo defendi potest, quod Lucanus, cæsorum multitudinem cum Tiberis impetu comparatam descripturus, primum *rates* ab rapidis undis impulsas hæsisse, tum amnem ipsum interruptum esse dixit. — *Hæsere.* In cadavera. *Sulpit.* — *Hæsere rates*, etc. Sic Juven. Sat. X, 185 : « Cruentis Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora. » — *Strage cruenta.* Ibi enim cruor aquas in mole seu strage hærentes, impulit; h. l. *strages* eorum est, qui in Tiberi cumulati sunt; v. *cruenta* verbo *strage* conjunctum, cæsos, corpora occisorum, ut infra IV, 570, notat.

213. *Interruptus aquis.* Id est, cujus undas moles cadaverum interrupit

Ad molem stetit unda sequens : jam sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
Præcipitique ruens Tiberina ad flumina rivo
Hærentes adjuvit aquas : nec jam alveus amnem,
Nec retinent ripæ, redeuntque cadavera campo:
Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
Sanguine cæruleum torrenti dividit æquor.
His ne, Salus rerum, Felix his Sulla vocari,
His meruit tumulum medio sibi tollere Campo?

Quidam, quos duo hi ablativi offendunt, reponunt *interruptus aquas.* Non male. Alii *interruptus aquæ*, ut *innocuus vitæ*. — *Prior amnis*. Pars amnis, quæ erat ante cadavera.

214. *Ad molem stetit unda sequens.* Ad cadaverum aggerem substitit, unda posterior. — *Sanguinis alti Vis sibi fecit iter.* Copia sanguinis impellit undas Tiberis, quæ antea mole cadaverum hærentes stagnabant, non fluebant. Hæc imitatus est Claudian. Honor. III, 100 : « Et frigidus amnis Mutatis fumavit aquis; turbaque cadentum Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis. » Ed.

218. *Redeuntque cadavera campo.* MS. Puteanor. *redditque*, ut ad amnem referatur, ut et quod sequitur verbum *dividit*. Solenne autem Lucano, et *que* ponere, pro *sed*, et tacite transire de casu in casum. Sensus ergo est : Amnem non retinent aut alveus, aut ripæ; sed ipse exundans campo reddit cadavera, et mare dividit sanguine. Ego hanc lectionem, cum MS. 7900, libens prætulerim; quamquam *redire campo* latinum sit, pro :in campum; ut apud Virg. G. III, 272 : « Vere calor redit ossibus. » Rectius tamen, opinor, *reddit*. Noster VIII, 437 :« Et nostra cadavera Tigris Detulit in terras ac reddidit; » et Silius X, 321 : « Sanguineus tumidas in campos Aufidus undas Ejectat, redditque furens sua corpora ripis. »

219. *Tandem Tyrrhenas.* Extremum conatum aquarum impeditarum in excurrendo pingit Lucanus. — Sensus est : ubi amnis luctando cum cadaveribus vix erupit tandem in mare Tyrrhenum, tunc æquora cærulea sanguine torrenti distinguit et dividit. Ed.

220. *Sanguine torrenti.* Alii explicant rubro, sed melius cruore, cum abundantia vehementiaque currenti. — Totus locus nimia describendi luxurie peccat. Ed.

221. *His ne, Salus rerum, Felix his Sylla vocari.* Valer. Max. IX, 1, de Sulla, « En quibus actis Felicis cognomen assequendum putavit! » *Rerum Salus*, nempe quod se Rempublicam constituere diceret. Martialis II, 91 : « Rerum certa salus, terrarum gloria, Cæsar. » — *Sulla* (inquit Solinus c. 7.) *dictus potius est, quam fuit felix.* Indignatus poeta exprobrat illi cognomenta antiphrastica, quibus se Conservatorem patriæ, Felicem, et Venustum dici voluit : liberos, Faustum Faustamque appellavit.

222. *Tumulum medio sibi tollere*

Hæc rursus patienda manent : hoc ordine belli
Ibitur : hic stabit civilibus exitus armis.
Quamquam agitant graviora metus, multoque coitur
Humani generis majore in prælia damno.
Exsulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit : nec plus victoria Sullæ
Præstitit, invisas penitus quam tollere partes.
Hos alio, Fortuna, vocas : olimque potentes
Concurrunt. Neuter civilia bella moveret,
Contentus quo Sulla fuit. » Sic mæsta senectus
Præteritique memor flebat, metuensque futuri.

Campo? Dictatura abdicata Puteolos secessit, ubi morbo pediculari interiit; magno honore in funus elatus, in campo Martio crematus est et sepultus. Pro *tollere* Oudend. putat elegantius scribendum *surgere*, nisi auctor voluerit Sullam sibi ipsi vivo extruxisse sepulcrum. Sed poetæ concedenda est locutio, *meruit sibi tollere*, pro *meruit ut sibi tolleretur.*

223. *Hæc rursus patienda manent.* Talia (inquit senex) nobis jam imminent, vel etiam graviora mala.

225. *Agitant graviora metus.* Mala graviora adhuc terrorem nostrum movent. Bentleius conj. *graviora metu*, et pro *agitant*, *aderunt*, ut exscripserit Noster quod dixit I, 635 : « Non fanda timemus, Sed venient majora metu. » — *Multoque coitur. Multumque* citat Priscianus, p. 798 : « Passivo verbi *coeo* usus est Lucanus, sed sciendum, quod *coitur* pro *colligitur*, et *convenitur* pro *exigitur* passivam vocem assumentia accipiuntur. » Unde apparet Priscianum sic verba construxisse : multum humani generis coitur (sive colligitur) in prælia, etc. Sed ex nostra lectione melior sensus enascitur : « Coitur in prælia multo majore damno humani generis. » Nempe prælia inter Pompeium et Cæsarem de summa rerum decertantes multo majus damnum inferent humano generi. Ed.

227. *Mariis.* Nempe patri et filio.

229. *Invisas.* Loquitur ex persona Sullæ. — *Tollere.* Evertere et delere Marianos.

230. *Hos.* Pompeium et Cæsarem. — *Alio.* Ad majora facinora. — *Olimque potentes.* Si vera est lectio, explico : Marii et Sulla invicem oppressi pro vita et potestate pugnabant, sed hi pariter opibus florentes, non nisi in perniciem reip. concurrunt. Ingeniosissima tamen videtur Oudendorpii conjectura legentis : *orbemque petentes*, quam ut ductibus literarum in MSS. aptet, Jever refingit *Soliumque petentes*, i. e. regnum, quod minus antiquitatem sapit, nec a Lucano profectum videtur. Ed.

232. *Contentus, quo Sulla fuit.* Bentl. emendat : « Contentus quo, Sulla, loco. » Certe elegantius. Ita locus primus, locus princeps. Sed hic magis ad avaritiam, quam ad gloriam

At non magnanimi percussit pectora Bruti
Terror, et in tanta pavidi formidine motus
Pars populi lugentis erat; sed nocte sopora,
Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes,
Atria cognati pulsat non ampla Catonis.
Invenit insomni volventem publica cura
Fata virum, casusque Urbis, cunctisque timentem,
Securumque sui; farique his vocibus orsus :
« Omnibus expulsæ terris, olimque fugatæ
Virtutis jam sola fides, quam turbine nullo
Excutiet fortuna tibi; tu mente labantem
Dirige me, dubium certo tu robore firma.

respicit Lucanus. Ed. — *Sic mæsta senectus*, etc. In hunc modum, inquit Poeta, senex aliquis memoravit præterita, metuit futura.

234. *At non.* Eadem transitione utitur Claudiao. In Rufio. I, 261 : « At non magnanimi virtus Stilichonis eodem Fracta metu. » Ed. — *Pectora Bruti.* Fuit hic M. Brutus Junii Bruti F. propter ingenium, studia et mores a Cicerone multum laudatus, postea percussor Cæsaris.

235. *Et.* Pro *nec*, ex more Lucani *non* primi coli in secundo subiutelligentis; itaque *et non pars erat.* — *Pavidi formidine motus.* Bentl. uegat motum ipsum *pavere* posse; ideo reponit *formidine mundi* : inepte : quid enim hæc essent: In formidioe *mundi*, non erat pars *populi* lugentis? *Pavidi* poetice, qui pavebatur. Ed.

236. *Nocte sopora.* Noctu : ursa majore, circumvolvente sua plaustra, ἅμαξαν, vel polum. Fuit autem Helice seu Calisto filia Lycaonis regis Arcadiæ, in qua Parrhasium oppidum; uude Parrhasis, i. e. Arcadica.

238. *Cognati pulsat.* Avunculi : erat enim Brutus Catonis ex Servilia sorore nepos. — *Non ampla Catonis.* Utpote hominis contioentis et frugalis, plane Stoici; infra vs. 384 : hic postea Uticæ sibi mortem conscivit.

241. *Securumque sui.* De se minime sollicitum, ut consummatum Stoicum decuit.

242. *Omnibus expulsæ*, etc. Consulit hac oratione Brutus Catonem, Cæsaremne an Pompeium debeat sequi; an (quod satius innuit) continere se in otio, et pacem tueri : de ejus consilio alterum se sequuturum.

243. *Virtutis jam sola fides.* O solum virtutis, jamdudum expulsæ, his in terris pignus : quo unico relicto exemplo, credant homines esse virtutem. — *Quam* virtutem *turbine, etc.* Horat. Carm. III, 3: « Justum et tenacem propositi, etc. »

245. *Dirige.* Bentl. mallt *erige* non male, et quidam MS. favent. *Erige* enim mentem, si labat; *Dirige*, si errat. Ed. — *Robore firma.* Vi et auctoritate consilii tui.

Namque alii Magnum, vel Cæsaris arma sequantur :
Dux Bruto Cato solus erit. Pacemne tueris,
Inconcussa tenens dubio vestigia mundo?
An placuit, ducibus scelerum, populique furentis
Cladibus immixtum, civile absolvere bellum?
Quemque suæ rapiunt scelerata in prælia causæ :
Hos polluta domus, legesque in pace timendæ,
Hos ferro fugienda fames, mundique ruinæ
Permiscenda fides. Nullum furor egit in arma.

246. *Magnum, vel Cæsaris arma sequantur.* Alii *sequentur*; sed parvi refert. Dicit Brutus se quidquid agant alii et quemcumque sequantur, solius Catonis se consilio ductum iri. Ed.

247. *Dux Bruto Cato solus erit.* Tu mihi solus eris dux; unde melius forsan *eris*, nam sequitur *tueris*. — *Pacemne tueris.* Num a bello et partibus omnino abstines, in proposito constans, quum cæteri omnes labent.

249. *An placuit*, etc. An potius visum est te civili huic bello immiscere, et sic bellum civile innocens facere : defensio enim erit omnium ad hæc bella venientium, si idem fecerit Cato. Miror Oudendorpium maluisse alio sensu τοῦ *absolvere* uti ; et exponere perficere bellum civile, i. e. ejus omnes implere partes. Hic autem pro certo habeo, *absolvere bellum civile*, idem esse ac excusare, auctoritate sua quasi justum et pium facere. Quo sensu Plin. Hist. XIII, 5 : « Quo dedecore tota absoluta proscriptio est. » Bene autem opposuit Lucanus *scelera ducum* et *clades populi*, ut Voltaire, *Henriade, I*, 14 : « Dis les malheurs du peuple et les fautes des princes. » Male igitur Bentl. velit reponere *vicibus scelerum*, quod totius loci vim et eloquentiam corrumpit. Ed.

251. *Rapiunt scelerata in prælia causæ.* Alium propter flagitia domestica, inopiam et æs alienum, timor judiciorum et legum, quas bello eludat, in arma rapit.

252. *Hos polluta*, etc. Domus stupris et adulteriis cooperta.

253. *Mundique ruinæ*, etc. Alios æs alienum, in bellum trudit, nempe ut privatam suæ fidei ruinam publicæ permisceant. Sic melius exponendum, quam capere de fide conjuratis servata cum mundi ipsius ruina. Bene hic Scholiastes : « Ut qui fidem servare noluerint, velint eam penitus exstinguere cum mundi labe. » Hoc illustrant versus clarissimi vatis P. Corneille, *Cinna, acte V*, sc. 1 : « Un tas d'hommes perdus de dettes et de crimes, Que pressent de mes lois les ordres légitimes, Et qui désespérant de les plus éviter, Si tout n'est renversé, ne sauraient subsister. » *Cf.* Cic. pro Sextio, c. 46. Ed.

254. *Nullum furor egit in arma.* Nullus mente cæca et belli libidine actus : sed omnes præmio ducti. — *Nullum furor egit in arma.* De verbo *nullum* potest dubitari. Initio enim Lib. I, poeta exclamavit : « Quis furor, o cives? et supra *populique furentis.* » Unde qui-

Castra petunt magna victi mercede : tibi uni
Per se bella placent? Quid tot durasse per annos
Profuit immunem corrupti moribus ævi?
Hoc solum longæ pretium virtutis habebis?
Accipient alios, facient te bella nocentem.
Ne tantum, o Superi, liceat feralibus armis,
Has etiam movisse manus : nec pila lacertis
Missa tuis cæca telorum in nube ferantur;
Nec tanta in casum virtus eat. Ingeret omnis
Se belli fortuna tibi. Quis nolet ab isto
Ense mori, quamvis alieno vulnere labens,
Et scelus esse tuum? Melius tranquilla sine armis
Otia solus ages; sicut cælestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.

dam reponunt *illos furor.* Waddelus legebat *illum* : et quidem *hos* bis positum aliquam relationem ad alios habere videtur. Ego aliter sentio. *Nullum* potest intelligi per oppositionem præcedentibus : quemque suæ rapiont causæ : *nullum* agitat sola belli libido.

255. *Magna victi mercede.* Mercedem dixit illam causam, qua ducuntur ad bellum. — *Tibi uni*, etc. Tu vero Cato, nulla privata causa, ipsius belli civilis amore bellum geres?

259. *Accipient alios*, etc. Alii nocentes ante bellum; tu non nisi cum bello, et per bellum.

260. *Ne tantum*, etc. Precatur Deos, ne Catonem virum integrum malis misceri sinant. — *Feralibus armis.* Lib. I, 200 : « Non te furialibus armis Persequor. » Sed nihil ideo mutandum. Ed.

261. *Has etiam.* Tam sanctas et castas manus excitare. Ed.

263. *Nec* (alii *ne*) *tanta in casum.* In incertos belli casus et scelera. Vulgo *incassum;* sed cum Burm. Cortium sequimur. — *Ingeret omnis*, etc. Non, ut quidam volunt, omnes in te incurrent, ut a te potius occidantur; sed omnis belli eventus tibi attribuetur et deputabitur.

265. *Ab isto Ense.* I. e. a tuo. Alii *in isto* quos redarguit Burm. — *Quamvis alieno vulnere labens.* Etsi alia manu vulneratus, tibi mortem suam exprobrabit; tuum scelus esse volet.

266. *Melius tranquilla*, etc. Optime feceris, si omnino a bello abstinueris, intra otium tuum securus, supra mortalia ista subvectus; non secus ac cælestia illa corpora, immotus, imperturbatus. Senec. Ep. LIX. « Talis est sapientis animus, qualis mundi status supra Lunam. Semper illic serenum est, etc. » Vid. Senec. philos. nostr. ed. tom. I, pag. 123. Jever *cælestia sidera* interpretatur *Deos* ipsos, et ut hanc sententiam

Fulminibus propior terræ succenditur aer,
Imaque telluris ventos, tractusque coruscos
Flammarum accipiunt : nubes excedit Olympus
Lege Deum. Minimas rerum discordia turbat;
Pacem summa tenent. Quam lætæ Cæsaris aures
Accipient tantum venisse in prælia civem!
Nam prælata suis numquam diversa dolebit
Castra ducis Magni. Nimium placet ipse, Catoni
Si bellum civile placet. Pars magna Senatus,
Et duce privato gesturus prælia Consul
Sollicitant, proceresque alii : quibus adde Catonem
Sub juga Pompeii; toto jam liber in orbe
Solus Cæsar erit. Quod si pro legibus arma

fulciat, locum omnino sic mutat : Inconcussa pio solvuntur sidera luxu. Quæ mera somnia sunt. Virgilium autem exprimit, Æn. IV, 524: «Quum medio volvuntur sidera lapsu.»

269. *Fulminibus propior*, etc. Infima aeris regio proxima terræ vexatur ventis, tempestatibus, fulmine : montes vero, qui nubes cacumine transcendunt, in tuto positi inferiora despiciunt. Sic tu sine infimos bello civili turbari : altus vero et magnus in tempestate civili esto securus.

273. *Pacem summa tenent.* Quidam *magna tenent*, sed *summa* citat Servius ad Æneid. I, 62; VIII, 454. — *Quam lætæ Cæsaris aures*, etc. Quam gratum credis fore Cæsari, si te e tranquillæ pacis proposito ad bellum civile protraxerit, etiamsi ad partes sibi adversas?

276. *Nimium placet ipse.* I. e. sibi ipse satis placebit Cæsar, si Catoni placet civile bellum, quod ipsius Cæsaris opus est.

279. *Sollicitant.* Sensus obscurus. Quem sollicitant senatus, consules et alii proceres? alii volunt : *me Brutum*, male : nam de Catone agitur. Alii : *te Catonem* instigant, ut una capessas arma, sed hoc non cohæret cum sequentibus : *quibus adde Catonem.* Malim igitur cum Mycillo : « Sollicitant et impellunt omnes ad arma capessenda ; quibus si tu quoque accesseris, etc. » Tollit difficultatem Bentl. reponens : « *Militat, ac proceres alii.* » Denique *Jever* se putat mentem poetæ assequutum exponendo : « *Sollicitant*, i. e. movent Cæsarem, ut hoc optet. » *Optet* vero quid? Catonem nempe vel castra Pompeii suis prætulisse. Quæ explicatio pejor omnibus mihi videtur. Ed.

280. *Liber in orbe Solus Cæsar erit.* Quia cæteri erunt sub jure Pompeii.

281. *Quod si pro legibus arma*, etc. Si vis, o Cato, legum et patriæ assertor esse, si hæc sola armis defendenda putas, habebis Brutum non nunc hostem Cæsaris vel Pompeii, quippe

Ferre juvat patriis, libertatemque tueri :
Nunc neque Pompeii Brutum, neque Cæsaris hostem,
Post bellum victoris habes. » Sic fatur : at illi
Arcano sacras reddit Cato pectore voces :
« Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur;
Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur :
Crimen erit Superis et me fecisse nocentem.
Sidera quis mundumque velit spectare cadentem
Expers ipse metus? quis, quum ruat arduus æther,
Terra labet, mixto coeuntis pondere mundi,
Compressas tenuisse manus? gentesne furorem

alterutrius victoria nihil patriæ et legibus profutura est, sed, post bellum, victuris. Hic recte Scholiastes : « Innocentiæ est, quod bellis civilibus non vult interesse : virtutis quod post bellum se spondet victoris inimicum. » Ed.

284. *Post bellum victoris habes.* Alii malunt *habe*, quod minus animosum videtur. Ed.

285. *Arcano sacras.* Quasi ejus verba sint oracula, ex divino sacrario profecta. Sic Lib. IX, 565, *dignas adytis voces* vocat.

286. *Summum Brute nefas.* Cato Bruti argumenta de abstinendo ab armis civilibus diluit. Opponit, honestum, necessarium et pium, patriæ libertatem defendere. Fatetur quidem civile bellum nefarium esse; sed scelus transfert in fatalem necessitatem.

287. *Virtus secura sequetur.* Sed virtus mea nil sibi metuens, fato parebit.

289. *Sidera quis*, etc. Quis in tantum Stoicus est, ut terram cælo misceri et omnia ruere videat, ipse interim securus et otiosus maneat. Ed.

290. *Expers ipse metus?* Metus hic non timor, sed sollicitudo. Non enim sibi timet sapiens. Supra v. 240 : « Cunctisque timentem Securumque sui. » Immo Horat. Carm. III, 3 : « Si fractus illabatur orbis Impavidum ferient ruinæ. » Male ergo Jever de metu non voluntario interpretatur. Ed.

291. *Terra labet.* Hunc versum Bentl. damnat, quasi inanis ejus sit sensus, et v. *mundi* ex vs. 289 repetitum displiceat. Sed repetitio ejusdem vocis Lucano solennis est, et sibi respondent *æther ruat* et *terra labet*, in quibus noster ex more suo variat quæ dixit, *sidera mundumque cadentem.* — *Coeuntis.* Sc. commixti et se in semet confundentis. Ed.

292. *Compressas.* Alii multi *complosas* male. *Compressis manibus sedere* proverbialiter, Liv. VII, 13 : « Quid enim aliud esse causæ credemus, cur veteranus dux fortissimus bello, compressis, ut aiunt, manibus sedeas. » *Complodere manus* autem scenicum est, Quintil. Inst. XI, 3; et summum affectum indicat, vel gaudii vel metus, quorum neutrum convenit. Ed. — *Gentesne furorem*, etc.

Hesperium ignotæ, Romanaque signa sequentur,
Deductique fretis alio sub sidere reges?
Otia solus agam? procul hunc arcete furorem,
O Superi, motura Dacas ut clade Getasque,
Securo me, Roma cadat. Ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulum jubet ipse dolor; juvat ignibus atris
Inseruisse manus, constructoque aggere busti
Ipsum atras tenuisse faces: non ante revellar,

Gentesne exteræ et remotæ venient in partes. — *Furorem Hesperium.* Civile bellum Romanum, recte *furorem* vocat, quo cives inter se, et in se mutuo arma induunt. Sic III, 249: « Tunc furor extremos movit Romanus Oretas. » Male igitur Bentl. *laborem* ut repetitioni τοῦ *furorem* v. 295 medeatur. Sed vix notandæ in Lucanu repetitiones, et quis dixit *laborem sequi*. Ed.

294. *Deducti.* Alii malunt *diducti*, id est, divisi, fretis separati; sed hoc quoque sensu *deducti*. Ed.

296. *Motura Dacas.* Sarmatiæ populum, quem et *Dacos* quoque dici Calepinus putat. Sunt tamen qui nolint Lucano syllabam in *Dacas* corripi, quod forsan fererit Virgil. Æn. VIII in fine: « Indomitique *Dacæ* ». Itaque substituunt *Dahas*, populum ad mare Caspium, de quo Plin. Hist. VI, 17. De his Strabo, XI: « τὸ Κάσπιον πέλαγος παροικοῦντας νομάδας, Δάας οἱ νῦν προσαγορεύουσι. » Hanc certe lectionem prætulerim. Vix enim admitto eumdem populum *Dacum* et *Dacam* esse, ita ut in priore *a* producatur, in secundo corripiatur. Tunc apud Virg. loc. cit. legendum erit *Dahæ* vel *Daæ* ad scripturam Græcam propius. Certum est in *Dacia* primam semper produci. Sensus est: procul a me absit hæc vecordia, ut non movear exeidio Romæ, cujus clades longinquissimos et olim infensos populos ad miserationem et auxilia ferenda excitatura sit. De Dabis vide Senec. nost. ed. in Thyest. 370, tom. I, p. 251.

297. *Ceu morte parentem.* Non hoc dabo patriæ, quod pater liberis? Pulcherrima comparatio cum funere filii a patre ad tumulum producto.

298. *Producere.* Vid. ad Livium, nost. ed. Lib. XL, c. 56, not. 3.—*Producere funus.* Comitari longam pompam exsequiarum.

300. *Inseruisse manus, etc.* Id est, curam de comburendo corpore suscepisse. Hoc in universum dicit poeta, et mox more suo variat et explicat per sequentia: *constructoque aggere, etc.*

301. *Ipsum atras tenuisse faces.* *Ipsum* per emphasin dictum. Consuetudo erat, ut patres ponerent primas faces, quum comburerentur filii. Conf. VI, 534. — *Non ante.* Non prius. De hac negandi forma conf. Senec. Herc. fur. v. 372 sq.

Exanimem quam te complectar, Roma ; tuumque
Nomen, Libertas, et inanem prosequar umbram.
« Sic eat : immites Romana piacula Divi
Plena ferant : nullo fraudemus sanguine bellum.
O utinam, cælique Deis, Erebique liberet
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas !
Devotum hostiles Decium pressere catervæ :
Me geminæ figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat : cunctis ego pervius hastis
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat sanguis populos : hac cæde luatur,
Quidquid Romani meruerunt pendere mores.
Ad juga cur faciles populi, cur sæva volentes

302. *Exanimem.* Dirutam et deletam. Senec. de Constant. sapient. c. 2 : « Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem. »

303. *Nomen, ... et inanem umbram.* His ostendit se in Pompeii partes iturum. Infr. 319 : « Quin publica signa ducemque Pompeium sequimur. *Prosequar* recte ; non *persequar*, ut multi habent. Parens enim prosequitur funus, non *persequitur. Nomen* et *inanem umbram* jungit, ut Plinius, Epist. I, 23 : « Quid esse tribunatum putas ? inanem umbram et sine honore nomen ».

304. *Sic eat.* Sit ita, ut Dii velint sibi litari universo Rom. sanguine : cur meum morer? Eleganti hac formula iterum utitur V, 297 : « Sic eat, o Superi. »

305. *Plena ferant.* Scil. Nemo desit civilibus bellis. Schol.

306. *Liberet.* Usitata devotionis formula, qua pro patriæ salute morti se offerens, Deos superos inferosque precatur, ut sua morte contentis libeat illis cæteros servare. Alii malunt *liceret;* quod si verum est, tunc intelligendum esset, lege fatorum, qua etiam ex dogmate Stoico Dii tenentur. Hunc sensum Scholiastes amplectitur. Tertia denique explicatio Jeveri, « Utinam *mihi* liceat caput devotum Deis exponere, etc. » quæ minime placebit. — *O Utinam.* Vid. Senec. Thyest. 321 et 996. Ed.

307. *Decium.* Decii duo se devoverunt : alter Latino bello, alter Saguntino. Ed.

309. *Geminæ figant acies.* Hinc Pompeiana, illinc Cæsariana.

310. *Rheni turba petat.* Rheni accolæ, Germani, Galli, qui Cæsaris signa sequuntur. — *Pervius.* Per cujus pectus oporteat omnium tela transire. Ed.

312. *Hic.* Meus.

313. *Romani meruerunt, etc.* Flagitiosi mores Romanorum.

314. *Ad juga cur faciles.* Pronos in servitutem, et regno paratos non

Regna pati pereunt? Me solum invadite ferro,
Me frustra leges et inania jura tuentem :
Hic dabit, hic pacem jugulus, finemque laborum
Gentibus Hesperiis : post me regnare volenti
Non opus est bello. Quin publica signa, ducemque
Pompeium sequimur? nec, si fortuna favebit,
Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi
Non bene compertum est : ideo me milite vincat,
Ne sibi se vicisse putet. » Sic fatur; et acres
Irarum movit stimulos; juvenisque calorem
Excitat in nimios belli civilis amores.
Interea, Phœbo gelidas pellente tenebras,

necesse est occidere, me vero solum obstantem tyrannidi. Hæc plane Catoniana sunt, et indignationis plena. Ed.

315. *Me solum. Me*, *etc.* Mirum in modum concitat affectus, geminatione particulæ *me*, et pronominis demonstrativi *hic*.

318. *Post me regnare, etc.* Neque enim me exstincto invenietur, qui libertatem armis tueatur. — *Regnare*. Atroci verbo et invidioso utitur, *regnare :* quum regni affectatores, Sp. Melium, Saturninum et alios nonnullos, vel ex levissima suspicione ad cædem rapere solerent. Hort.

319. *Quin publica signa.* Epilogus, quo hortatur Brutum, ut consociatis animis et armis, auspicia senatus, et Pompeii sequantur. Ea *publica* quasi populi Romani vocat, quum Cæsaris *hostilia* sint. Hostis enim judicatus erat.

320. *Nec... non bene*, etc. Quamquam duplex negativa unius vim interdum habeat, hic tamen affirmari crediderim : fieri potest, ut Pompeius, si vicerit, principatum et dictaturam affectet; ideo, etc. Tunc enim per me reipublicæ, non sibi vicisse putabit. At si cum aliis reponas: *Nam, si fortuna, etc.* sic forsan minus bene sententia se habet. Nam si incertum est Pompeium affectare tyrannidem, minor necessitas incumbit Catoni pro illo stare, ut reipublicæ partes tueatur. De locutione *sibi vincere* vid. Justin. Lib. II, c. 8 : « Sed Pisistratus, quasi sibi, non patriæ, vicisset. » Claudian. in Rufin. II, 249 : « Non est victoria tanti, Ut videar vicisse mihi. »

323. *Ne sibi se, etc.* Justa causa est, cur Pompeio militem ; ut vel hinc intelligat, causam agi non suam, sed publicam.

324. *Irarum movit stimulos.* Bentl. *admovit* male, nam tunc dicendum esset, cui *admovit.* Tacitus, Hist. V, 16 : « proprios deinde stimulos legionibus admovebat.» — *Juvenisque*. Bruti.

325. *Excitat, etc.* De hoc versu quidam dubitant. Vid. Disquis. var.

326. *Phœbo*. Oriente sole.

Pulsatæ sonuere fores : quas sancta relicto
Hortensî mærens irrupit Marcia busto;
Quondam virgo toris melioris juncta mariti :
Mox ubi connubii pretium, mercesque soluta est,
Tertia jam soboles, alios fecunda penates
Impletura datur, geminas e sanguine matris
Permixtura domos. Sed postquam condidit urna
Supremos cineres, miserando concita vultu,
Effusas laniata comas, concussaque pectus
Verberibus crebris, cineremque ingesta sepulcri,
Non aliter placitura viro, sic mæsta profatur :
« Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi

327. *Relicto Hortensî mærens irrupit Marcia busto.* Cato Marciam uxorem, ex qua tres susceperat filios, jamque gravidam Hortensio oratori cessit; quo defuncto eamdem recepit. Quod illi exprobravit Cæsar : inescandi (inquiens) Hortensii causa dimisit pauperem, quam postea reciperet ditatam. *Relicto Hortensî busto*, cui modo suprema solverat. Decessit enim sub initium civilis belli. — *Irrupit.* Ingressa est. Hanc poeta fingit, sua sponte Catonem adiisse, non accitam : et erudite in Marciæ prosopographia immoratur.

329. *Quondam virgo*, *etc.* Meliorem maritum vocat Catonem, cui prius nupta fuerat.

330. *Pretium*, *mercesque soluta est.* Ubi est matrimonii officio satisfactum, et proles suscepta, quæ est matrimonii præmium; nam ad eam suscipiendam inventum fuit.

351. *Fecunda.* Aut, quæ prolem adhuc posset gignere; aut potius, jam gravida, fetumque in aliam domum illatura.

332. *Geminas e sanguine matris.* Nam Catonis et Hortensii domus cognatione junctæ sunt, ob communem matrem Marciam.

334. *Supremos cineres.* Cineres mariti Hortensii. — *Concita vultu.* *Concita* hic perturbationem vultus exprimit ; et male Bentleius reponit : *sordida cultu.*

335. *Concussaque.* MSS. quidam forte rectius *contusaque.* Noster supra : « Nunc, ait, o miseræ contundite pectora matres. » Et Virgil. Æn. I, 481 : « tunsæ pectora palmis. » Ed.

336. *Ceneremque.* Aspersa cineribus mariti. Negat tamen Bentl. potuisse spargi cineribus sepulcri, quippe *urna* jam *conditi erant.* Miram sagacitatem! Ideo reponit, *crinesque inspersa favilla*, audacius quam eleganius. Ed.

337. *Non aliter*, *etc.* Inculta, neglecta et mærens, sic placitura rigido Catoni. — *Mæsta.* Ipsa scilicet, non verba hæc mæsta.

338. *Dum sanguis inerat.* Exten-

Jussa, Cato, et geminos excepi feta maritos.
Visceribus lassis, partuque exhausta, revertor
Jam nulli tradenda viro; da fœdera prisci
Illibata tori : da tantum nomen inane
Connubii : liceat tumulo scripsisse, CATONIS
MARCIA : nec dubium longo quæratur in ævo,
Mutarim primas expulsa, an tradita, tædas.
Non me lætorum comitem, rebusque secundis
Accipis : in curas venio, partemque laborum.

ditur ultima in *sanguis*. Sic X, 128: « Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas. » — *Vis materna*. I. e. idonea concipiendo et pariendo. Hæc imitatus esse videtur Valer. Flacc. II, 325 : « Dum vires utero, maternaque sufficit ætas. »

339. *Jussa Cato*. Tua, qui me tradidisti Hortensio. Captat sic benevolentiam a persona sua. Ideo minus bene putat Gronovius, Observ. I, 13 et IV, 6, hic requiri *justa peregi*, id est, legitima munera conjugialia, et officium matrisfamilias. Nam proprie paruit Catoni, quum ipse Marciam Hortensio petenti sobolis gratia, consentiente Marciæ patre Philippo, tradidit. Hoc confirmant sequentia : *Feta*, id est, prægnans, geminos maritos excepi. Hoc non est justa peragere, hoc vero est, quod jusserat Cato. Errorem Gronovio fecit, quod Marciam repudiatam putavit; ipsa autem semper verbo *tradere* utitur : « Jam nulli tradenda viro . . . expulsa an tradita ? » Ed.

340. *Visceribus lassis*. *Lassa viscera* sunt effeta, et conceptui non sufficientia. Plin. Epist. VI, 21 : « Quasi lassa et effeta natura, ut nihil jam laudabile pariat. » Claudianus de Raptu Proserp. I, 124 : « Fessaque post primos hæserunt viscera partus. » Ed.

341. *Da fœdera, etc.* Recipe me in torum pudicum, ἀναφρόδιτον. Sic infra 378 : « Nec fœdera prisci Sunt tentata tori. »

342. *Illibata*. Scil. casta, utpote quæ non concubitus causa eam rem petat. — *Nomen inane*. Ut Catonis uxor solummodo dicatur.

343. *Liceat tumulo, etc.* Ut sepulcro meo inscribatur : MARCIA CATONIS. Hoc erat solenne in uxorum inscriptionibus. Ed.

344. *Nec dubium, etc.* Ne in dubio sit apud posteros. Ideo mallem reponere *Ne dubium*.

345. *Mutarim tædas, etc.* Mutarimne primas nuptias repudiata; an ex utriusque consensu *tradita* amico Hortensio.

346. *Non me lætorum*. Neque venio particeps futura rerum lætarum. Eleganter Tibull. Eleg. III, 3, 7 : « Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ. » Imitatus est Valer. Flacc. : « Me quoque, ait, casus comitem, quicumque propinquat, Accipies. » Ex quo patet verum esse *comitem*, quamquam alii dent *lætorum sociam*. Ed.

Da mihi castra sequi : cur tuta in pace relinquar,
Et sit civili propior Cornelia bello? »

Hæ flexere virum voces; et tempora quamquam
Sunt aliena toris, jam fato in bella vocante,
Fœdera sola tamen, vanaque carentia pompa
Jura placent, sacrisque Deos admittere testes.
Festa coronato non pendent limine serta,
Infulaque in geminos discurrit candida postes,
Legitimæque faces, gradibusque adclinis eburnis
Stat torus, et picto vestes discriminat auro;

348. *Da mihi castra sequi*. Periculorum etiam comitem ad Corneliæ imitationem se offert.

349. *Cornelia bello?* L. Scipionis filia, quam post mortem Juliæ duxit Pompeius. Hanc quidem sub initium belli Mytilenen ablegavit : victus autem fugiensque in Ægyptum, eam receptam fugæ comitem habuit. Vid. V, 722.

351. *Sunt.* Alii *sint*, sed cum utroque construitur *quamquam*. — *Aliena toris, etc.* Non contrahendis matrimoniis apta, imminente jam civili bello.

352. *Fœdera sola tamen*. Conjugii fides, citra pompam celebrem et cærimonias nuptiarum, quas deinde describit. De nuptiis autem et de earum ritibus, vid. Rosin. Antiquit. Rom. L. V, c. 37; et Turneb. p. 929. Ed.

353. *Deos admittere testes*. Quinque Deos, nuptiarum præsides : Jovem et Junonem, Venerem, Suadam, Dianam. Quinus numerus in nuptiis solennis. Vide Plutarchum Rom. Quæst. 2 : τελείους πέντε δεῖσθαι θεῶν τοὺς γαμοῦντας οἴονται.

354. *Festa coronato, etc.* In celebritate nuptiarum postes et januam floribus et ramis laureis ornabant. Juvenal. Sat. VI, 79 : « Ornentur postes et grandi janua lauro. »

355. *Infulaque*. Novæ nuptæ ad limen mariti ubi venissent, postes, priusquam ingrederentur, laneis vittis et fasciis redimibant, oleoque ungebant. *Infulaque*. Conjunctiva copulatio *que* pro *nec*, ut supra v. 35.

356. *Legitimæque faces*. Sic Euripides in Phœnissis : φῶς νόμιμον ἐν γάμοις. Legitimæ sunt matrimonio propriæ. Præibant novæ nuptæ tres juvenes, quorum unus *funale* tenebat. Nuptiæ autem maxime in nocte celebrabantur. Unde Virgil. Eclog. : « Mopse, novas incide faces, nova ducitur uxor. » Quinque faces adhibebantur in nuptiis. Rationes lege apud Plut. l. c. supra not. 353, et Augustin. de Civit. Dei, VI, 9 et VII, 24. — *Gradibusque, etc.* Neque lectus in honorem Genii sternitur in aula. *Adclinis*, id est, fultus, nixus gradibus eburnis, stragulo acu picto auroque intertexto tectus.

357. *Discriminat*. Dividit et variat limbis, et lineis aureis. Toros nuptiales purpureis vestibus consterni

Turritaque premens frontem matrona corona,
Translata vetuit contingere limina planta.
Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus :
Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,
Colla monile decens, humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

solitos notum est. Arnobius, Lib. II : Quum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos. Citatur hic versus cum pluribus aliis ad Stat. nost. ed. Tom. I, p. 605. Ed.

358. *Turritaque premens, etc.* Neque Cybele turribus coronata, quæ eadem est cum Vesta, vetuit hanc nuptam contingere limen pedibus. Varro enim, ut refert Servius ad Virgilii Eclogam VIII, testatur, ideo sponsas limen non tetigisse, ne a sacrilegio inchoarent, si depositure virginitatem calcarent rem Vestæ, id est, limen, quod illi consecratum erat. Ideo dicit *translata planta*, quod novam nuptam non fas erat limen tangere pedibus, sed in transgressu a pronubis supportabatur, aut transiliebat. Sic Plautus in Casina : « Sensim super attolle limen pedes nova nupta. » Male quidam pro *vetuit* habent *vitat*, quod tamen Grotius probavit, intelligens *matrona*, non de Vesta, sed de ipsa nova nupta. Qui autem hæc poterat jam dici matrona, et de hac *turrita corona*, quis unquam in novis nuptiis mentionem fecit ? Bentleius quoque probat *vitat*, et *matrona* intelligit de Pronuba. Vulgatam *vetuit* servandam putavi, et *matrona* de Vesta ipsa interpretari ; quæ explicatio huic loco lucem affundit. Ed.

360. *Non timidum, etc.* Non operta fuit flammeo, velo luteo, seu rubro, quo novarum nuptarum capita tegebantur ad designandam pudoris læsionem. Sulp. Sev. Sacræ Hist. Lib. II de Nerone : « Post etiam Pythagoræ cuidam..... nuberet, inditumque Imperatori flammeum. » Dicebatur quoque *flammeolum*. Juven. Sat. X, 333 : « Sedet illa parato Flammeolo. » *Tectura pudorem*. Sic Claud. Rapt. Pros. II, 325 : « Flammea sollicitum prævelatura pudorem. » Quod in moribus quoque nostris receptum est.

362. *Balteus, etc.* Non zona gemmis distincta cinxit vestes ; non monile ornabat collum. — *Balteus*.... et infr. *suppara*. Conf. Poet. Lat. min. tom. III, p. 348, sq. Ed.

363. *Humerisque... primis*. Hinc suppara vestem superiorem fuisse apparet, et primis humeris hæsisse.

364. *Suppara*. Supparum, subuculæ seu tunicæ genus pectora complexum. Ald. Manut. lib. Quæsit. per Epist. III, 2 ; et Oct. Ferrarius de re Vest. c. 20, qui male putat Lucanum dicere Marciam supparo fuisse indutam, et ex hoc loco probare conatur supparum etiam matronarum vestimentum fuisse. Contrarium vult Lucanus, nam ante hæc omnia particula negativa est repetenda. *Supparus* erat novæ nuptæ conveniens vestis. Festus : « Supparus est vestimentum puellare lineum, quod subucula, id

Sicut erat, mæsti servans lugubria cultus,
Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
Obsita funerea celatur purpura lana:
Non soliti lusere sales; nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui:
Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.
Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore

est, camisia dicitur. Afranius dixit: « Puella non sum, supparo si induta sum. » Poeta autem per *suppara* indicat maniculas, quæ a summo humero ad imum brachium anguste producuntur. Tertullianus, adversus Gentes, vexillorum vela transversis hastulis adligata *suppara* vocat, et *stolas crucium* appellat. *Supparum* Nonius interpretatur: « Linteum femorale usque ad talos pendens, dictum, quod subtus appareat. » At Varro, Lib. IV de L. L. a subucula distinguit; et ab eo deducit, quod est supra: « Alterum genus, inquit, quod subtus, a quo subucula; alterum quod supra, a quo supparus. » Quod verisimilius. Cur autem dicatur *nudos lacertos* cinxisse? Ea causa est, quod Marcia recens a funere Hortensii mariti, nudis ad planctum pectore et lacertis veniebat. v. 365. Ed.

365. *Sicut erat.* Ita Bip. Bene et sic MSS. 7900, 8040. Alii *Sic, ut erat.* Ed.

366. *Quoque modo natos.* Scil. amplecteretur. Hoc *natos* non agnoscit Jever, et reponit *manes*, id est, eodem vultu quo suprema marito solverat, Catonem amplectitur: ingeniose quoad sensum, sed *amplecti manes* vix dici recte videtur; et optime se vulg. habet. Ed.

367. *Obsita funerea, etc.* De hoc versu dubitat Bentleius, quia de ornamentis novæ nuptæ desiit loqui. Sed non eadem nunc ratio: jam poeta viduæ pullam vestem pingit.—*Purpura.* Male hanc vocem Bentl. coarguit, ut in paupere et parca domo Catonis incognita; sed ditissimæ Hortensii domo convenit. Nec rectius vox *obsita* reprehenditur. Livius II, 23: « Obsita erat squalore vestis, etc. » Ed.

368. *Non soliti lusere sales, etc.* Non occinebantur, more Sabinorum seu Fescenninorum, dicteria in conjuges; unde *tristis*, mæstus, commotus; vel, ut vult Sch. MS. 7900, *severus.* Ed.

370. *Pignora nulla.* Non liberi.

371. *Taciti.* Sine pompa et strepitu cærimoniarum. — *Contentique auspice Bruto.* Adhibito tantum Bruto quasi auspice et paranympho. Val. Max. Lib. II, c. 1, et ita Cicero: « Nubit genero, nullis auspicibus. » Laudat hunc l. Bentl. ad Horat. Od. I, 7, 27, et alterum Senec. Troad. 862: « Quicumque hymen funestus... Est auspice Helena dignus. » Ed.

372. *Horrificam.* Id est, horrentem, neglectam, intonsam. Senec. Troad. 884 de Polyxena: « Dedisce captam: deprime horrentes comas. » Hæc erant luctus insignia, quæ Cato, ut primum bellum civile parari vidit, præ se tulit.

Cæsariem, duroque admisit gaudia vultu :
Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mæstamque genis increscere barbam.
Uni quippe vacat studiis odiisque carenti,
Humanum lugere genus : nec fœdera prisci
Sunt tentata tori ; justo quoque robur amori
Restitit. Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam ;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulæ, vicisse famem; magnique penates,
Submovisse hiemem tecto; pretiosaque vestis,

373. *Duroque.* Id est, nec *duro* ex more Lucani. *Durus vultus* est severus, rigidus. Ovid. Heroid. XVI, 10 : « Nec vultu cætera duro Perlege. » Id. XVII, 16 : « Nec sedeo duris torva superciliis. » Ed.

377. *Uni quippe, etc.* Alii partim studiis, vel odiis occupantur : solus ille de communi malo humani generis cogitat, instantis belli scelera luget; non, ut quidam exponunt, philosophiæ studiis vacat; quæ docent se noscere, suasque deplorare miserias.

379. *Robur amori Restitit.* Constans immotusque animus, ne legitimo quidem amori cedit.

381. *Secta fuit.* Stoica. — *Finemque tenere.* Sulpit. explicat, prospicere finem, et ad eum omnia referre. Oudendorpius melius interpretatur, intra justos recti terminos manere. Sic enim *modus* et *fines* conjunguntur, ut in notissimo illo vs. Hor. Sat. I, 1, 106 : « Est modus in rebus, sunt certi denique fines. » Hoc confirmat MS. 8040 qui habet *finesque tenere.*

382. *Naturamque sequi.* Exponit hæc Horat. ipse Epl. I, 10, 12 : « Vivere naturæ si convenienter oportet ».

384. *Huic epulæ, vicisse famem, etc.* Pro deliciis habuit omne id quod famem pellebat : pro luculentis ædibus tectum, quamvis modicum ac tenue, sub quo adversus cæli injuriam latitaret. Splendidum satis ducebat amictum penulam villosam et hirtam contra frigus et aeris inclementiam. — *Huic epulæ, etc.* Vide tamen quid de illius potationibus ad auroram protractis scribat Plutarchus in vita ejus, quod et illi objectum a Cæsare. — *Magnique penates.* Sic v. 238 : « Atria cognati pulsat n .n ampla Catonis. » Hæc *magnique... tecto* deleri vult Gujetus. Sed non video cur, quum poeta epularum et vestium meminisset, domicilium non commemoraverit. Immo omnia Lucanea sunt. Conf. V, 537 *angusti Penates*, et X, 483 : « vastos Penates, etc. » *Magni* autem respondet v. *epulæ* et verbis *pretiosa vestis.* Ed.

Hirtam membra super, Romani more Quiritis,
Induxisse togam : Venerisque huic maximus usus,
Progenies; Urbi pater est, Urbique maritus :
Justitiæ cultor; rigidi servator honesti ;
In commune bonus ; nullosque Catonis in actus
Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas.

Interea trepido discedens agmine Magnus,
Mœnia Dardanii tenuit Campana coloni.
Hæc placuit belli sedes; hinc summa moventis
Hostis in occursum sparsas extendere partes,
Umbrosis mediam qua collibus Apenninus

386. *More Quiritis.* Interpretes volunt : More veterum Romanorum, qui dicebantur Quirites, vel a Curibus, vel a Romulo Quirino dicto, quod bastam, quæ Sabinis Quiris est, gestare solebat. Non tamen ad antiquitatem refero Quiritis ; sed ea vox notat plebeium, vilem Romanum, quemlibet e populo Romano. Ovidius, Amor. I, 7, 29 : « Minimum de plebe Quiritem. » Juvenal. Sat. VIII, 57 : « Ima de plebe Quiritem. » Hinc per metaphoram apium *regem* et *parvos Quirites* distinguit Virgil. Georg. IV, 201. Interpretor ergo, plebeia vulgarique toga induebatur. Ed.

387. *Maximus usus.* Id est, solus, unicus. Venere tantum usus est ad sobolem procreandam. Ed.

388. *Urbi pater est.* Id est, propter Urbem : ut Æneid. XI, 472 : « Generumque adsciverit Urbi. » Priscianus quoque exponit, *ad utilitatem urbis, et pater fieri passus est, et maritus.* Alii int. tantam urbis curam gessit, quantam pater liberorum et maritus uxoris. Prorsus male. Ed.

391. *Subrepsit.* Subintravit : nunquam enim in sua vita, et in actibus suis voluptatem admisit. — *Sibi nata voluptas.* Pro se ipsa quæsita. Homo *sibi natus* est qui sibi vivit, qui se unice amat.

392. *Interea trepido*, etc. Pompeius perterritus rumore adventantis Cæsaris, Capuam ex Urbe profugit.

393. *Dardanii.* Capuam, a Capy Trojano, ut quidam volunt, conditam.

394. *Belli sedes.* Hic delectu habito copias colligere, exercitum conscribere, Cæsari resistere placuit. *Belli sedes* recte dicitur. Tacit. Hist. I, 65 : « Irent ultores, exscinderent sedem Gallici belli. » — *Summa moventis.* Nempe Cæsaris regnum affectantis, summa molientis. Male Bersm. hoc ad Pompeium referens tentat *moventem.* Bentl. refingit *signa moventem* sc. Pompeium. Ed.

395. *Sparsas extendere partes.* Mittere et dividere cohortes et copias. Sulpit. — *Sparsas extendere partes.* Copias suas longe lateque spargere, ut ita distineret hostem. Ed.

396. *Umbrosis mediam*, etc. In regione plana, qua Apennini latus modice assurgit.

Erigit Italiam, nulloque a vertice tellus
Altius intumuit, propiusque accessit Olympo.
Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni Superique maris, collesque coercent
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Pisæ,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vastis immensos concipit amnes,
Fluminaque in gemini spargit divortia ponti.
In lævum cecidere latus, veloxque Metaurus,

399. *Mons inter geminas*, etc. Est autem Apenninus, mons, qui Italiam in longitudinem tanquam spina dorsi secat, a sinistra parte mare Hadriaticum, seu Superum spectans; a dextra mare Tyrrhenum, seu Inferum respiciens.

400. *Collesque coercent*, etc. Cujus colles et latera signat coercetque a dextra in imo sinu Tyrrheni maris urbs Pisæ; a sinistra, Ancona Piceni urbs in Hadriatico mari, ventis et fluctibus e Dalmatia advenientibus exposita; est enim ἀγκὼν ulna cubiti, ceu sura potius Italiæ in tibiæ formam porrectæ. — *Coercent*. Constringunt utrimque.

402. *Dalmaticis*. Hadriaticis : sumpto epitheto ab ora adversa litoris Illyrici, circa quam Dalmatia est, quæ Pannoniæ pars est, spectans ad Hadriaticum mare. Alias hoc epitheton ad ventum transtulit de Gargano loquens, qui, ut Ancona, in eodem Ausoniæ litore situs est, exadversum Dalmatiæ, V, 379 : « Dalmatico Boreæ Calabroque obnoxius Austro. » *Obnoxia*, ait vetus Schol. bene dicitur quippe fluctibus vicina, et quia alluitur a Dalmatico mari. Ed.

403. *Fontibus hic vastis*. Sic bene MS. 7900 ; alii *Montibus;* pessime *Pontibus*. Ex hoc Apennino oriuntur multi celebres amnes. Ovid. quidem Remed. am. 95 : « Flumina pauca vides magnis de fontibus orta. » Sed hic non de primis fontibus agitur, et sic IV, 117 : « Vastos obliquent flumina fontes. » — *Concipit*. Recte ut passim edi et nasci de fluviis; infr. III, 257. Hi duo versus desunt in Amstel. Ed.

404. *In gemini spargit*. Fundit flumina, quæ delabuntur hac illac in *geminum mare*, duo maria, superum et inferum. *Divortia aquarum* sunt, inquit Turneb. Adv. Lib. XIV, c. 11, juga e quibus aquæ in diversa labuntur. Hinc Noster dixit *divortia ponti*, nempe diverticula maris Mediterranei, quod hinc et illinc Italiam alluit. Durior quidem locutio quam captavit Lucanus, quum recte fluminum ex Apennino venientium *divortia* dici debuissent. Cicer. in Orat. Lib. I : « Ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium jugo, sunt doctrinarum facta divortia. » Male autem Jever *spargit* ; et *concipit* refert ad Italiam, non ad Apenninum, quasi *hic* sit adverbium loci.

405. *In lævum cecidere latus*. Ad sinistram Apennini, i. e. in Superum mare, seu Hadriaticum, *golfo di Venezia*. — *Metaurus*. Umbriæ fluvius

Crustumiumque rapax, et junctus Sapis Isauro,
Sennaque, et Hadriacas qui verberat Aufidus undas:
Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem,
Eridanus, fractasque evolvit in æquora silvas, 409
Hesperiamque exhaurit aquis. Hunc fabula primum
Populea fluvium ripas umbrasse corona:
Quumque diem pronum transverso limite ducens,

Asdrubalis elade notus. Sil. VIII, 449.

406. *Crustumiumque rapax.* Fluvius in Flaminia. — *Et junctus Sapis Isauro.* Ambigitor an legeodum sit *Sapis*, vel *Isapis.* Prior exstat apud Plio. III, 15: sed in Strabone, Hist. Nat. Lib. III, c. 5, Versellanus testatur se legisse Καισῖνα πρὸς τῷ Ἴσαπι ποταμῷ. Alii autem aliter legunt: de loco Plinii nulla est cunctatio. Immo Silius, VIII, 448: « Hos Æsis Sapisque lavant. » — *Isauro.* De hoc quoque fluvio dubitatur. Certe aliis *Pisaurus* vocatur: unde Vossius tentabat, *et junctus Sape Pisaurus.* Videtur autem nomen ex duobus illis conflatum. Fluvius est in Piceno. MS. 7900, *et juncta* dat.

407. *Sennaque.* Melius forte *Sena:* qood firmaret Silius Ital. VIII, 453: « Et Clanis, et Rubico, et Senonum de nomine Sena. » — *Verberat Aufidus.* Cum impetu influit. Horat. Carm. III, 30: *Violens obstrepit Aufidus.* Apuliæ fluv. Cannensi clade memorabilis, nunc l'*Offanto*.

408. *Quoque magis*, etc. Padus *Pò*, totius Europæ amniom longe maximus, circa ostia, excepto Danubio. Virg. Georg. I, 481: « Proluit insano contorquens vortice sylvas Fluviorum rex Eridanus. » Non antem oritor ex Apennino, uti nec alii quidam fluvii quorum fontes poeta Apennino tribuit. — *Quoque magis.* Verba satis intricata sunt: Terra non se solvit magis in nullum amnem, i. e. nullum majorem amnem admittit. Æquor quidem terras solvere dicitur, quum irrumpit: quam imaginem ad ostia fluminis transfert Lucanus. Eridanus autem e monte Vesulo, qui pars est Alpium, nascitur.

409. MS. 7900: *Fractas devolvit.* *Evolvit* recte: nam agitur de fluvio, qui ad ostia sua de alveo suo in mare aufert. Virg. Æn. V, 807: « Atque evolvere posset In mare se Xanthus. »

410. *Hesperiamque exhaurit aquis.* Amnes navigabiles et lacus immensi in Padum se exonerant, ita ut flumina triginta in Hadriaticum effundat. Ergo quidquid aquarum est in Italia secum videtur arripere. Contrario sensu *Jever exhaurit* explicat *vastat*, damnum infert Italiæ aquarum eluvionibus: contorte satis, nam quis unquam demersa fluctibus *exhauriri aquis* dixit? Melius opinor, solita jactatione et magniloquentia, Lucanum hoc de variis fluviis, quos absorbet Eridanus, dixisse. Ed. — *Hunc fabula primum*, etc. Fabula seu fama est, Phaethontis sorores versas fuisse in populos ad ripas hujus fluvii, etc. Ovid. Met. II.

412. *Diem pronum.* Solem præcipitem. — *Transverso limite.* Transversa via currum egit Phaethon, id est, a recta via deerravit. Ed.

Succendit Phaethon flagrantibus æthera loris,
Gurgitibus raptis penitus tellure perusta,
Hunc habuisse pares Phœbeis ignibus undas.
Non minor hic Nilo, si non per plana jacentis
Ægypti Libycas Nilus stagnaret arenas.
Non minor hic Histro, nisi quod, dum permeat orbem
Hister, casuros in quælibet æquora fontes
Accipit, et Scythicas exit non solus in undas.
Dexteriora petens montis declivia Tibrim

413. *Flagrantibus loris.* Habenis et curru ardentibus.

414. *Gurgitibus raptis*, etc. Cæteris fluviis exhaustis et dessiccatis, Eridanum parem fuisse exstinguendis ignibus solis. — *Par* dicitur is qui colluctando resistit. Ed.

416. *Non minor hic Nilo.* His dicit Padum non *minorem* esse Nilo, si alveum utriusque spectes: sed *minus stagnare*, quia Ægyptus planior est quam regio circumpadana. Frustra igitur hæc carpit Scaliger, ut contraria cum vers. præced. 408. *Stagnare* neutr. de Nilo dixit Virgilius, Georg. IV, 288: « Accolit effuso stagnantem flumine Nilum. » Sed Tacit. Annal. I, cap. 76: Tiberis auctus plana urbis *stagnaverat.* » Quod activum, ut in Nostro. Ed.

418. *Histro, nisi quod*, etc. Non minor Histro, si nativas Histri aquas spectaveris, nec alias illi adnumeres, quæ aliunde in eum deferuntur e regionibus diversissimis; non ut in Padum, qui quidquid aquarum accipit suis montibus Apennino ac Alpibus debet. Hister maximus Europæ fluvius, cujus superior pars Danubius, inferior Hister vocatur, *Don*, *Danaw*, qui ex agro *Furstembelgensi*, non Abnoba monte, (ut olim creditum) ortus, in Pontum defertur per sex ostia. Hunc quoque versum carpit Scaliger injustissime: pauciores, inquit, in Histrum amnes. Immo Plinius, III, 20: « Padus, omni numero *triginta* flumina in mare Hadriaticum defert, » et IV, 24: « Danubius per innumeras lapsus gentes, et unde primum Illyricum alluit, Hister appellatus, *sexaginta* amnibus receptis, medio ferme eorum numero navigabili, in Pontum evolvitur. » Ergo amnes in Histrum duplo plures, quam in Padum.

419. *Casuros in quælibet æquora fontes Accipit.* Hoc est, alios amnes ab Histri fontibus remotissimos, qui quovis potius fluxuri videantur, quam in Histrum, adeo ut pæne ad angulos rectos in eum incidant. Hæc nisi in cursu suo obvium haberent Danubium, casura essent in quælibet alia maria: sed interrumpit Hister eorum cursus, et cum suo alveo avertit in Pontum Euxinum. *Casuri* hic debet capi pro, qui casuri essent. Ed.

420. *Accipit.* Recte de fluviis. Sic Ovid. A. A. II, 345: « Quaque vehit multas accipit amnis aquas. » Ed. — *Scythicas undas*; mare Ponticum.

421. *Dexteriora petens montis*, etc. A dextra parte Apennini in mare Tyrrhenum defluunt Tiberis per Etru-

Unda facit, Rutubamque cavum. Delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, et umbrosæ Liris per regna Maricæ
Vestinis impulsus aquis, radensque Salerni
Culta Siler, nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ procurrit in æquora Lunæ.
Longior educto qua surgit in aera dorso,
Gallica rura videt, devexasque excipit Alpes.

riam, Romam alluens; et Rutuba, quem Vibius agnoscit in Tiberim influentem. Est et alius hujus nominis Liguriæ fluvius, de quo Plin. III, 5.

422. *Cavum.* Propter riparum altitudinem.

423. *Vulturnusque celer.* Fl. Campaniæ. — *Nocturnæque editor auræ Sarnus.* Fl. qui per Lucanos, Picentinos, et Campanos labitur, in paludes diffusus, opacas et tetras exhalat nebulas. — *Nocturnæ auræ.* Sic in Pervigilio Veneris, v. 15: « Ruris lucidi, noctis aura quem relinquit. » Quod de Sarno dicit, et de Vulturno dicere poterat. Vid. Front. Strat. II, 257.

424. *Umbrosæ.* Silvosæ. De Lire quoque Martialis, XIII, 83: « Liris quem silva Maricæ Protegit. » Claudian. cons. Prob. et Olyb. v. 259: « Flavæque tenens querceta Maricæ. » — *Liris per regna Maricæ.* Liris fluv. Campaniæ Minturnas præterfluens. Minturnensium autem numen, nympha Marica, uxor Fauni, mater Latini regis, quæ prius Circe fuerat. De hac vid. Æn. VII, 47, et Hor. Carm. III, 17, 7. Lactant. fals. relig. I, c. 21. *Liris*, hodie *Garigliano.*

425. *Vestinis impulsus aquis*, etc. Interpretes explicant: in quem se exonerant flumina Vestinorum. Sed Benleius malit *Vescinis*, quod et Cluverio placuit. *Vescia* est urbs apud Livium, VIII, 11; Stephano Βεσκια et Livius X, 20, memorat Vescinos populos Campaniæ, ubi Liris, proximus. Vestini autem longe hinc siti erant, ultra Apenninum, versus Hadriam. *Sinuessa* in Campania quoque *sinus Vescinus* dicitur. Ed.

426. *Siler.* Sive Silarus, Campaniæ fluv. qui alluit agros Salerni opp. Picentinorum. — *Macra moratus.* Fluvius Liguriam ab Etruria disterminans, et in mare delabitur juxta Lunam portum Etruriæ. Ordo verborum est: Macraque, qui procurrit in æquora vicinæ Lunæ, nullas alnos (i. e. naves, rates) vado moratus. Parvum enim est flumen vadosum et innavigabile.

428. *Longior.* Sc. Apenninus, qua in longitudinem exporrectus per totam Italiam. Male Bentl. reponit *celsior.* Nam hoc redundaret cum *educto dorso* et *surgit. Dorsum* de longo jugo montium passim obvium: *educto* eleganter de omni re in altum surgente. Æn. II, 186: « Cæloque educere jussit. »

429. *Gallica rura videt.* Galliam prospicit, nempe Transalpinam. *Devexas*, i. inclinatas; Alpes enim in Italiam descendunt et Apennino junguntur. Sic VI, 576: « Qua juga de-

Tunc Umbris Marsisque ferax, domitusque Sabello
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latii populos, non deserit ante
Hesperiam, quam quum Scyllæis clauditur undis,
Extenditque suas in templa Lacinia rupes,
Longior Italia, donec confinia pontus
Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor.
At postquam gemino tellus elisa profundo est,

vexus Pharsalia porrigit Hæmus. » *Excipit* eleganter, hoc sensu: incipit, ubi Alpes finiunt. Sic *excipere sermonem*. Phædr. Fab. II, 8, 10: « Spatium diei noctis excipiunt vices. » Oud. tamen præfert *adspicit*, ita ut dicatur Apenninus Alpes devexas, et sub se jacentes despicere. Vulgatam cum MS. 7900 præferendam puto. Ed.

430. *Umbris Marsisque ferax*. Hunc colunt Umbri, Marsi. — *Sabello*. I. e. *Sabinorum*; sic Virgilio *Sabellicus sus*. Ed.

432. *Indigenas*. Amplectitur quoque Aborigenes, antiquissimum Latii populum. Hi autem fuere Œnotrii, Græca gens ex Arcadia duce Œnotro profecti, qui inde ex nomine terræ quam occupaverant, Latinos sese adpellarunt.

433. *Non deserit ante Hesperiam*. Per totam Italiam continuatur, donec *Scyllæis undis*, id est, freto Siculo, interrumpitur. Male Cortius tentabat *Scylaceis* falso, nam ad Scylaceum sinum mons non finitur. Conf. VI, 421: « Qui mox Scyllæis exsul grassatus in undis. » Alii male reponunt *antris*. Ed.

434. *Extenditque*. Apenninus nempe in duo se dividens brachia, altero extenditur in Rhegium promontorium Bruttiorum in Siculo mari, quod significavit v. superior: altero autem in Lacinium promontorium juxta Crotonam, hodie *Cabo delle Colonne*, ob columnas et templum Junonis Laciniæ, sic dictæ, quia ei constituit Hercules, Lacinio latrone illic occiso et sepulto. Ed.

435. *Longior Italia, etc.* Scilicet se quondam Apenninus extendebat ulterius, quam nunc est Italia, continuatus junctusque Siciliæ, sed, ut memorat Virgilius, Æneid. III, 416: « ... venit medius vi pontus, et undis Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes Litore diductas angusto interluit æstu. » Cf. Claud. XXXIII, 142. *Pontus*. Mare Ionium et Siculum. Varie hanc vocem sollicitant Bentl. et Oudend. Vide Disquis. var.

436. *Solveret*. Dissolveret vicinitatem; scil. mare Tyrrhenum vicinam Siciliam suo æstu ab Apenninis jugis abrumperet, et sibi viam faceret inter Italiam et Siciliam, quæ conjunctæ aliquando fuerunt; sed ipsum pelagus a Sicilia suum nomen retinuit. — *Terrasque repelleret*. Id est, loco moveret, expelleret; nec necesse est mutare in *revelleret*. Sic apud Sil. Ital. III, 591, Hannibal Latio *repulsus* dicitur. Ed.

437. *Gemino...profundo, etc.* Hinc Ionio, inde Tyrrheno mari.

Extremi colles Siculo cessere Peloro.
Cæsar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias, quod non terat hoste vacantes
Hesperiæ fines, vacuosque irrumpat in agros,
Atque ipsum non perdat iter, consertaque bellis
Bella gerat. Non tam portas intrare patentes,
Quam fregisse, juvat; nec tam patiente colono
Arva premi, quam si ferro populetur et igni.
Concessa pudet ire via, civemque videri.
Tunc urbes Latii dubiæ, varioque favore
Ancipites, quanquam primo terrore ruentis

438. *Extremi colles Siculo, etc.* Extrema pars Apennini locum dedit Peloro, promontorio Siciliæ, quod Italiam prospicit, in cujus appellationem et ipse cessit. Hodie *Cabo di Faro*. — Pelorus, inquit Scholiastes, gubernator Hannibalis fuit; qui dum ab eo duceretur per Siciliæ fretum, credidit se ad tales angustias per insidias devocatum, et Pelorum occidit. Sed quum agnovisset iter tale esse, tumulum ai construxit, et nomen loco dedit.

439. *Cæsar in arma furens, etc.* Varie hic implicitæ sunt conjunctiones et negationes *nullas*, *nisi*, *non*. Sensus est: Cæsar armis potius rem peragi quam pacate exoptans; ut I, 146: « Acer et indomitus, quo spes, quoque ira vocasset, Ferre manum, et nunquam temerando parcere ferro.... gaudensque viam fecisse ruina; » gaudet nullas habere vias, nisi sanguine fuso. — *Habere vias*, est iter per eas facere. Non gaudet, si præsidiis vacuos irrumpat agros, nec vastandi occasionem offendat.

440. *Quod non terat, etc.* Gaudet hoc ipso, quod non inveniat Italiam, vacantem defensoribus.

442. *Non perdat iter.* Perit iter Cæsari, in quo nullus hostis occurrit. Ita infra III, 365: « Sic hostes mihi deesse nocet, damnumque putamus Armorum, nisi qui vinci potuere rebellent. » Sic et *perdere letum* III, 706. — *Consertaque bellis.* Connexa, ut uno nondum finito inciperet aliud.

444. *Patiente colono, etc.* Non tam juvat terram *premere* ingressu et itinere placato, sine præliis et pugna, incolis non impedientibus, transitum permittentibus. Ed.

445. *Populetur*, ipse Cæsar. Alii, e quibus MS 8040, habent *populentur*, id est, arva; forma passiva a *populo*. Sic Æn. I, 527: «... ferro Libycos populare penates. » Sed in MS. 8040 *n* erasum est. Ed.

446. *Concessa pudet ire via.* Hostiliter grassari mavult.

447. *Varioque favore Ancipites*, etc. Cæsaremne reciperent, an senatus Pompeiique auctoritatem tuerentur. In MS. 8040 *furore*, sed supra eadem manu *favore*. Ed.

448. *Quanquam.* MS. 8040 mendose *quemquam*, ab recenti manu cor-

Cessuræ belli; denso tamen aggere firmant
Mœnia, et abrupto circumdant undique vallo;
Saxorumque orbes, et quæ super eminus hostem
Tela petant, altis murorum turribus aptant.
Pronior in Magnum populus, pugnatque minaci
Cum terrore fides: ut quum mare possidet Auster
Flatibus horrisonis, hunc æquora tota sequuntur:
Si rursus tellus, pulsu laxata tridentis
Æolii, tumidis immittat fluctibus Eurum,
Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem

recto *a.* — *Ruentis.* Ingruentis belli.

449. *Cessuræ.* Defecturæ, sese dedituræ.

450. *Abrupto*, etc. Ita constructo, ut solent abrupti esse montes, rupes, etc. Burmannus tamen probat *obducto*, ut festinatæ et subitæ munitioni melius conveniat; sed et hoc sensu *abrupto* potest intelligi. Confer. III, 455, et vide Sallust. Jugurth. c. 23, init. ibique notas. Adde Tacit. Ann. V; Folard, *Traité de l'attaque des Places*, c. 10, tom. II, p. 488; Guischardt, tom. II, pagg. 6, 15, 30. Ed.

451. *Saxorumque orbes.* Saxorum acervos, vel saxa rotunda tormentis emittenda. — *Et quæ super:* volebat Cortius *et quis super*, i. e. *tela, quibus hostem petant*; ut v. 309: « Me barbara telis Rheni turba petat »; sed et ipsa tela poetice possunt dici *petere hostes.* Ovid. Am. III, 3, 28: « Nos petit invicta Palladis hasta manu. » Hic ergo sensus: turribus, quæ mœnia protegunt, aptant tela, sive tormenta, quibus eminus in hostes tela dejiciantur. Ed.

453. *Pronior in Magnum populus.* Et post varios conflictus mentis, hinc studiorum et fidei erga Pompeium, inde metus Cæsaris: vicere tandem studia et fidem metus fortunaque Cæsaris. In hac comparatione itaque Austrum cape Pompeium, Eurum Cæsarem, mare populum. — *Pugnatque minaci*, etc. Bene Scholiastes: Fide populus adhærere volebat Pompeio, sed terrore Cæsaris prohibebatur. — *Minax* vero inique de Cæsare dicit Noster, nam verius minatus erat Pompeius, qui ex urbe profecturus edicto pronunciasset, se pro hoste habiturum, quicumque sua castra non esset sequutus.

454. *Possidet Auster.* Imitatur Propertium El. I, 18, 2: « Et vacuum Zephyri possidet aura nemus. »

456. *Tellus pulsu*, etc. Per *tellurem*, Omnibonus intelligebat speluncam subterraneam, qua Æolus ventos coercet. Sulpitius intelligit insulam Strongylen, antrum Æoli, quo « Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit» Æolus, etc. Eo enim respicit poeta. Totius vero comparationis sensus est: Si semel Auster flatu vehementi possederit mare, licet Æolus immittat alium ventum, Eurum, hunc quidem re-

Æquora, nubiferoque polus quum cesserit Euro,
Vindicat unda Notum. Facilis sed vertere mentes
Terror erat, dubiamque fidem fortuna ferebat.
Gens Etrusca fuga trepidi nudata Libonis,
Jusque sui pulso jam perdidit Umbria Thermo.
Nec gerit auspiciis civilia bella paternis,
Cæsaris audito conversus nomine, Sulla.
Varus, ut admotæ pulsarunt Auximon alæ,
Per diversa ruens neglecto mœnia tergo,

giooes ætherias et superiores movere, ut se seqnantnr, sed æquora tamen tenere priorem ventum, Austrum scil. ita nt duos diversos simnl ventos in æthere et in æquore esse pntes. Sic V, 571: « Nnbibus et cælo Notus est: si murmura ponti Consnlimus, Cori verreut mare. ». Vid. autem Disquis. var. Ed.

459. *Polus.* Aer.

460. *Vindicat.* Acqnirit, retinet. — *Vertere mentes.* Prior qoidem Pompeius mentes et favorem incolarum occupaverat, sed mutavit adventantis Cæsaris terror. *Vertere*, id est, ἀνατρέπειν, evertere.

461. *Fidem fortuna ferebat.* I. e. totam auferebat, nt non dnbia esset deiode, sed omnis in Cæsarem conversa. Sic Virg. Ecl. IX, 50: « Omnia fert ætas, animnm qnoque. »

462. *Gens Hetrusca.* Etruria primo a Scribooio Libone deserta occupatur. Is enim quom videret eos, quibus præerat, in favorem Curioois esse paratos, timeos ne Cæsari proderetur, fugit. Flor. IV, 2, 19: « Tum pulsus Etroria Libo, Umbria Thermus. » Ad honc missom Caninium Revilum legatum colloquii causa de pace conciliando, meminit Cæsar de Bel. Civ. Lib. I; is quoque fuit Achaiæ ac Liburnicæ class. præfectus.

463. *Jusque sui pulso*, etc. Adveotu Curionis cognito, e Tignio cohortes eduxit, et profugit Thermus. Vid. de Bell. Civ. I. Sed ubi Tigninm sit, non ita facile. Firmium forte, ant alind opp. Umbriæ. Tignia est Picenorum fluv. At Pighios rectins præfecturam Thermi Iguvinm fuisse docet. Hic vero non de sola hac nrbe, sed de Umbria omni agitnr, quæ in potestatem Cæsaris devenerat. Sic alibi loqnitur Noster, VIII, 611, « Phariamque ablatus in alnum Perdiderat jam jura sui. » Ed.

464. *Nec gerit auspiciis*, etc. Faustns Sulla, Lucii filius, degenerans a patris fortitndine et fortnna, fogam cepit.

466. *Varus*, etc. Atios Varns, decurionibus Auximi Picenorum opp. ad Cæs. inclinantibns, præsidium ex oppido ednxit, et profugit, etc. de Bell. Civ I, 13. — *Alæ.* Equitum proprie vexillationes.

467. *Neglecto mœnia tergo.* Hosti in fuga exposito. Hoc in proverbinm fluxit. Gallice *tourner le dos.* Jever tamen dubitat et refingit *neglecto bello*, id est, omissa oppidi defensione. Omnino male: cnr enim addidisset hoc Lucaous post *per*

Qua silvæ, qua saxa, fugit. Depellitur arce
Lentulus Asculea. Victor cedentibus instat,
Devertitque acies : solusque ex agmine tanto
Dux fugit, et nullas ducentia signa cohortes.
Tu quoque nudatam commissæ deseris arcem,
Scipio, Luceriæ; quamquam firmissima pubes
His sedeat castris, jampridem Cæsaris armis

diversa ruens ? Quid autem *ruens per diversa mœnia ?* Interpretor per diversas ab hoste portas, quod fateor durius dictum. Ita autem effuse, ut nec tergum tegeret. MS. 7900 *nec lecto* pro *neglecto*.

468. *Depellitur arce*, etc. Asculum, Piceni oppidum, Lentulus Spinther cum decem cohortibus tenebat : qui Cæsaris adventu cognito, profugit ex oppido : cohortes secum abducere conatus, a magna parte militum deseritur. De Bell. Civ. Lib. I, c. 15.

469. *Asculea.* Alii *Esculea*, quod correxit Gujetus: dubia videtur fuisse orthographia. Ed. — *Victor.* Cæsar persequitur Lentulum et suos fugientes. Nam Lentulus primo cum militibus *cessit* retro, deinde solus fugit, suis se Cæsari tradentibus.

470. *Devertitque acies.* Id est, a duce ad se avocat : sed quia in tali re Tacitus utitur verbo *avertere* (Hist. IV, 13.) mallet Bentl. *Avertitque acies.* Sed sic VI, 318 : « Teutavere .... comites devertere Magnum. » Jever conjicit *Prævertitque acies.... Dux fugit heu ! nullas ducens ad signa cohortes.* — *Solusque.* Traditis copiarum reliquiis Vibullio Rufo.

471. *Dux fugit.* Lentulus. — *Et nullas.* Explicabimusne : fugiunt cum duce *signa*, seu signiferi, qui deserentibus Lentulum militibus, eum tamen comitati sunt ? Tunc autem non fugit *solus*. An ipse Lentulus signa abstulit ? In hac ambiguitate potest placere Jeveri emendatio uot. superiore. Schol MS. 7900 : « solus fugit cum signis, quæ Domitio retulit ad Corfinium. » Ed.

473. *Luceriæ. Nuceriæ* legit Micyllus et habet MS. 8040, quæ in Umbria, ubi jam erat Cæsar, et in Piceno. Verum hac in parte sæpius excusandus est poeta, ut qui neque temporum, neque rerum servet ordinem. Nam post discessum Pompeii, qui, quum Corfinium captum esset, Luceria profectus est Canusium, atque inde Brundusium, Scipio Luceriæ in præsidio relictus profugit. Fuit autem hic L. Scipio socer Pompeii. —*Firmissima.* Sic MSS. 7900, 8040 et Vett. Codd. id est, præsidium firmissimum. Alii male *fortissima*, quod fuse refellit Oudend. Poterat addere Cæsar. B. C. III, 88: « Has (cohortes) firmissimas se habere Pompeius existimabat. »

474. *His sedeat castris.* Intelligo de hibernis, quæ et sedes vocantur. MS. 8040 hic præbet *Insideat*, sed recentiori manu scriptum supra *His sedeat.* — *Jampridem Cæsaris*, etc. Ad Cæsaris vires minuendas Marcellus auctor fuit patribus Senatusconsulti, quo decernebatur ut Bibulo (quem in Parthos, post cædem Crassi mittendum præ se ferebant)

Parthorum subducta metu : qua Gallica damna
Supplevit Magnus, dumque ipse ad bella vocaret,
Donavit socero Romani sanguinis usum.
At te Corfini validis circumdata muris
Tecta tenent, pugnax Domiti ; tua classica servat

Pompeios legionem unam, Cæsar alteram cederet. Cæsar itaque quum unam pro se traderet, Pompeius repetiit ab illo alteram, quam post Titorii Cottæque, Cæsaris Prætorum, acceptam cladem, utendam illi dederat, ita utramque Cæsar soppeditavit. Has legiones habuisse Scipionem refert poeta. Conf. Dio. Lib. LX, et Appian. de Bell. Civ. Lib. II.

475. *Subducta.* MSS. 7900 et 8040 *seducta* : minus bene, fraus enim Pompeii in hoc fuit, ut Cæsaris vires minuerentur. Aliter *subducere*, est in tutum ducere clam hostibus. Sic apud Liv. VII, 34, spatium consuli dedit, ad *subducendum agmen in tutiorem locum.* Hic autem *subducta* est subrepta, fraudibus abstracta. Sic Ovid. Metam. XIII, 61 : « Ergo aut exsilio vires subduxit Achivis, Aut nece. » Horat. Carm. I, 3, 29 : « Post ignem ætheria domo Subductum. » Denique Sil. Ital. XV, 468 : « Illum Supposito mater raptu subduxerat olim. » — *Qua.* Sc. hac pube ; i. e. hanc legionem quam Pompeius in supplementum cohortium in Gallia cæsarum ad Cæsarem miserat. — *Gallica damna* cædem Titorii et Cottæ designat. Ed.

476. *Dumque ipse ad bella vocaret.* Vult Bentleius : « dumque ipse ad bella vacaret, » i. e. donec Pompeius a civilibus muneribus liber bello Parthico vacaret. Sed non est mutandum ; nam ea vis est τοῦ *ipse*, ut intelligendum sit *sua bella :* donec Pompeio iis legionibus opus esset ad bella.

477. *Donavit socero.* I. e. Cæsari. Nescio quomodo Hortensius intellexerit L. Scipioni itidem Pompeii socero. Sed vere ex serie orationis constat hac legione ad Cæsarem missa usum Romani sanguinis illi fuisse donatum.

478. *At te Corfini*, etc. MS. 8040 habet *Corfinii.* Idem a manu prima ut videtur, *Tecta tenes.* L. Domitius Ænobarbus successor Cæsari in Galliis S. C. delegatus, se receperat in Corfinium Pelignorum oppidum cum XX cohortibus ; hunc Cæsar insequitur.

479. *Pugnax Domiti.* Immo pusillanimis et minime militaris fuit. Sed Poeta noster, pronioris semper in Pompeium studii, Pompeianos extollit, Cæsarianos deprimit. Alia est verisimilis sententia has laudes Domitio tribuisse Lucanum, et illam ejus magnificam orationem finxisse, ut gratiam iniret a Nerone qui ab hoc Domitio genus ducebat, teste Suetonio, Ner. I. Simili adulatione fingit Lucanus, VII, 599. Domitium, in acie Pharsalica dextro cornu præfuisse et fortissime pugnasse, quem tamen constat, nec dextro cornu præfuisse nec in prælio occubuisse, sed cum reliquis fugisse, et ab equitibus Cæsaris interfectum esse. Hic tamen Domitius a Suetonio, Neron. II, dicitur *truci ingenio* fuisse, quod timidum non arguere videtur. — *Tua classica*, etc. Tu, Domiti, accepisti cohortes, quibus Pompeius forum sepserat

Oppositus quondam polluto tiro Miloni.
Ut procul immensam campo consurgere nubem,
Ardentesque acies percussis sole corusco
Conspexit telis, « Socii, decurrite, dixit,
Fluminis ad ripas, undæque immergite pontem.
Et tu montanis totus nunc fontibus exi,
Atque omnes trahe, gurges, aquas, ut spumeus alnos
Discussa compage feras. Hoc limite bellum
Hæreat; hac hostis lentus terat otia ripa.
Præcipitem cohibete ducem : victoria nobis

in quæstione de Clodio a Milone cæso. Vid. I, 323.

480. *Oppositus quondam*, etc. Cur enim Milo pollotns? accnsatum sciont omnes, et forum cohortibus militaribus circumseptum. Legendum putat Dempster. *Oppositus quondam pullato tiro Miloni*. At Gojet. servat *polluto* et explicat, Scil. cæde Clodii : contra *puras manus* ionocentes dicontur babere. Τῷ *pullato* nihil infelicius poterat cogitari ; non petit Milo, nt sibi boc crimen propter multa præclara in Rempnbl. merita condonetnr ; neqne nt mors Clodii, quæ salns erat eivitatis, suæ potius virtuti, qnam felicitati popnli Romani adsignetnr : sed insidias sibi a Clodio factas contendit, atque adeo Clodinm jnre cæsum, qnum ab inimicorum audacia telisque vitam impune liceat defendere.

481. *Ut procul*, etc. Domitins cohortes qninque præmisit ex oppido, qnæ pootem fluminis, quod erat ab oppido III M passunm, interrnmperent, ubi cum antecursoribus Cæsaris prælio commisso, celeriter Domitiani a ponte repulsi, se in oppidum receperunt.—*Nubem*. Pulverem a cohortibus excitatnm. Cf. Virg. Æn. IX, 33.

482. *Ardentesque*, etc. Ad solem fulgentes. Sic VII, 214 : « Miles adverso radiatns ab ictu. »

483. *Socii decurrite*. Recte : nam ex urbe jubet ad ripas fluminis descendere. Vid. IV, 366. Ed.

485. *Et tu montanis*, etc. Aversio ad amnem, nt, quantum possit, eum omnibus fontibos e montibos delapsus, et agros inundet, et disturbet pontem.

486. *Trahe*. I. e. contrahe. Frigide Oudend. malit reponere *Atque omnes fer gurges aquas*, nt vers. seq. habeat *trahas*. Sed bic *ferre* recte pro violenter rapere snmitur, nt Georg. I, 482 : « Camposque per omnes cnm stabolis armenta tulit. » Ed. — *Alnos*. Soblicas et tigna pontis ex alno, vel alio quovis ligno.

487. *Discussa compage*. Dissolutis jnnctoris pontis. — *Hoc limite*, etc. Pons interruptus moretnr et retardet festinantem Cæsarem.

489. *Victoria nobis*, etc. Hic moram trahere coactus Cæsar nobis pro victoria sit. Simili locutione v. 708 infra : « Exigua est fugiens victoria Magnus. »

Hic primum stans Cæsar erit. » Nec plura loquutus,
Devolvit rapidum nequidquam mœnibus agmen.
Nam prior e campis ut conspicit amne soluto
Rumpi Cæsar iter, calida prælatus ab ira:
« Non satis est muris latebras quæsisse pavori?
Obstruitis campos, fluviis arcere paratis,
Ignavi? non si tumido me gurgite Ganges
Submoveat, stabit jam flumine Cæsar in illo,
Post Rubiconis aquas. Equitum properate catervæ:
Ite simul pedites: ruiturum adscendite pontem. »
Hæc ubi dicta, levis totas accepit habenas

490. *Stans.* I. e. hærens, progredi nequiens. Silius XII, 41: « Stabat Cannarum Graia ad munimina victor. » Et infr. v. 497.

491. *Devolvit rapidum*, etc. Emittit quinque cohortes ex oppido. Alii *evolvit*, ut ad evolutiones in re militari respiciatur, quum se explicare jubentur agmina densiora. Sed ut ante *decurrite* dixerat, ita hic *devolvit* servandum.

492. *Amne soluto*, etc. Ponte interrupto, qui fluvium coercebat: nam *ligatus* dicitur fluvius, qui pontem supra se habet. Pontes quoque sæpe *juga* fluviorum dicuntur, quibus hi quasi vinciuntur, et in potestate habentur; igitur amnis *solvi* potuit dici a ponte liberatus. *Soluto* autem hic est pro, *si solutus* fuisset, nam impediit Cæsar propero adventu suo, ne solveretur.

493. *Prælatus.* Sic Bip. alii *prolatus*, quod Gujeto placuit. Bentleius hic somniat *proclamat ab ira*. Elegantissima lectio *prælatus*; equo scilicet sequens, quos præmiserat, et eos prævectus, quod τὸ *prior* etiam postulat. Calida autem ira eum prævehebat, nec patiebatur milites quos ad pontem occupandum jusserat ire, priores eo venire. Ed.

496. *Ganges.* Indiæ fluvius qui Cyro et Alexandro moram injecit. Sensus est, si Ganges me transitu prohibere non posset, multo minus hic fluvius meum impetum sustinebit; nec in illo stabo, post transitum Rubiconis. A majori ad minus.

497. *Stabit jam*, etc. Jever locum mendosum putat, et reponit: « Non, si tumido *vel* gurgite Ganges »; hoc sensu: « jam, postquam Rubiconem transierit, Cæsar, in nullo flumine stabit, licet *vel* tumidus Ganges ei oppositus fuerit. » Levis sane mutatio, et sensus elegantior. Ed.

498. *Post Rubiconis.* Postquam transierim Rubiconis aquas. Lib. I, vs. 185. Hoc autem referri debet non ad aquarum magnitudinem, sed ad ducis audaciam. Nam fluvium parvum et vadosum conferre Gangi tumido omnem stultitiam superaret.

499. *Ruiturum.* Quem diruere parant.

500. *Totas... habenas.* Imitatur Ovid. Metam. I, 180: « Fluminibus

In campum sonipes : crebroque simillima nimbo
Trans ripam validi torserunt tela lacerti.
Ingreditur pulsa fluvium statione vacantem
Cæsar, et ad tutas hostis compellitur arces.
Et jam moturas ingentia pondera turres
Erigit, et mediis subrepsit vinea muris.
  Ecce, nefas belli! reseratis agmina portis
Captivum traxere ducem, civisque superbi
Constitit ante pedes. Vultu tamen alta minaci
Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.

vestris totas immittite habenas. » Hic autem nova ratio loquendi, ut equus dicatur accipere totas habenas, pro, laxas. Silius XV, 724 : « Totas largitus habenas Livius acer equo. »

501. *Simillima nimbo*. Non *vento*. *Nimbus* enim, *nubes*, *imber* telorum passim occurrunt.

503. *Pulsa statione*, etc. Domitianis militibus in fugam versis

504. *Et ad tutas*, etc. Legionibus adductis ad Corfinium quo hostis se receperat, constitit. *Tutæ* hic munitæ sunt. Sic infr. 609 : « Brundusii tutas concedit Magnus in arces. »

505. *Turres*. *Moturæ pondera* dicuntur, quia inde missilia librabantur. Ordo est : erigit turres moturas pondera, i. e. projecturas saxa.

506. *Subrepsit*. Omnes fere rescribunt *subrepit*, quia *erigit*, præsenti tempore est. — *Vinea*. Genus machinæ contra muros. Solet plurali numero dici *vineæ*, apud soluti sermonis scriptores. Vid. infr. III, 487.

507. *Ecce, nefas belli*, etc. Domitius ad Pompeium in Apuliam literas miserat, ut quanta posset celeritate obsesso subveniret, Cæsarem intercluderet; rescripsit Pompeius id se facere non posse, ita ut Domitius se cum copiis clam Corfinio subtraheret. Literis acceptis, Domitius dissimulans, in concilio pronunciat Pompeium brevi esse adfuturum; ipse cum paucis consilium fugæ capit; id militibus suboluit, qui legatos ad Cæsarem mittunt sese paratos esse portas aperire, imperata facere, et L. Domitium vivum in ejus potestatem tradere; quod proximo die factum. — Hæc est veritas historica, quam in gratiam Neronis negligit Lucanus. *Nefas belli!* per exclamationem, scelus, quod bellum civile suasit. Noster, IV, 549 : « Bellorum fecere nefas. » Ed.

508. *Civisque superbi*, etc. Cæsaris, cui noster usque malevolus. *Superbi*, regem se quasi gerentis.

509. *Constitit*. Non procubuit, ut supplices solent. — *Vultu minaci*. Intrepido et imperterrito. — *Alta*. Epitheton nobilitatis. Ovid. Trist. IV, 4 : « In quo pars altæ nobilitatis erat. » Ideo male apud MS. 7900 *ante minaci*. Ed.

510. *Recta cervice*. Pergit poeta imbelli isti Domitio magnanimitatem et nobilitatem adfingere. *Recta cervice* non demisso capite, aut vultu,

Scit Cæsar pœnamque peti, veniamque timeri.
« Vive, licet nolis, et nostro munere, dixit,
Cerne diem : victis jam spes bona partibus esto,
Exemplumque mei : vel, si libet, arma retenta,
Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor. »
Fatur; et adstrictis laxari vincula palmis
Imperat. Heu quanto melius, vel cæde peracta
Parcere Romano potuit fortuna pudori!
Pœnarum extremum civi, quod castra sequutus

quod pusillanimem arguit. Couferri potest hic constantia Corœbi apud Stat. Theb. I, 641. Juvenal. VI, 402: « Ipsa loqui recta facie strictisque mamillis. » *Nobilitas* autem ad solum Domitium refer; non intellige, ut quidam volunt, de nobilibus, equitibus Rom. tribunis, senatorum liberis, senatoribusque, quos quidem Cæsar dimisit incolumes. Ed. — *Poposcit.* Nil necesse est *reposcit*: *poposcit* satis generosum animum, quem fingit poeta Domitio fuisse, indicat. Vid. not. 479. Ed.

511. *Veniamque timeri.* Recte: non *timere*, ut quidam codd. e quibus MS. 8040.

513. *Cerne diem.* Fruere lucis usura et vitæ. Alii *carpe diem.* Sed *cernere* et *videre diem* obvium et Homericum. Immo *diem videre* pro *vivere* simpliciter sæpe occurrit. Alio sensu *carpere diem* sumitur (Horat. Carm. I, 11), est paullatim per partes consumere, illo frui, dum licet. — *Spes bona.* Nempe ut alii quoque veniam sibi sperare possint.

514. *Mei.* Clementiæ meæ. Scholiastes : quod ita sim donaturus vitam aliis victis. Proponit Burm. *Exemplumque meis*, sc. ut inde mei discant non imitari Pompeianorum crudelitatem, sed meam clementiam. Optime, si quid mutandum est. Ed. — *Arma retenta.* Elegantissime. Victus et depositis armis mihi traditus resume arma, si libet, et iterum tenta contra me fortunam belli. Ovid. Ep. X, 11 : « Referoque manus iterumque retento. » Ed.

515. *Et nihil hac venia.* Hanc veniam dando tibi, non eamdem paciscor mihi, si tu victor fueris. Hoc eleganter dicit Justin. Lib. XI, c. 13 : « In dubios belli exitus, aut in pacis leges lenocinia quærere. » Ed.

517. *Heu! quanto.* MS. 8040 *quantum*; sed præfero *quanto*, ut mollius. Ovid. Epist. XV, 191 : « At quanto melius jungi mea pectora tecum. » Quanto majori honori fuisset, morte affici, quam vita donari, quæ dedecus summum, immo supplicium maximum erat, ignosci civi Romano, quod patria et publica arma privatis prætulerit.

519. *Castra sequutus.* Multum æstuat Oudendorpius, ut defendat lectionem *signa sequutus.* Et plura affert exempla. Supra v. 319 : « Quin publica signa ducemque Pompeium sequimur » et v. 531 infra hoc libro: sed parum refert quid legas : nam X, 407 : « Qui castra sequuntur. » Tib.

Sit patriæ, Magnumque ducem, totumque Senatum,
Ignosci. Premit ille graves interritus iras;
Et secum : « Romamne petes, pacisque recessus
Degener? in medios belli non ire furores
Jamdudum moriture paras? rue certus, et omnes
Lucis rumpe moras, et Cæsaris effuge munus. »
Nescius interea capti ducis arma parabat
Magnus, ut admixto firmaret robore partes.
Jamque sequuturo jussurus classica Phœbo,

II, 6, 1 : « Castra Macer sequitur; » Propert. III, 10, 2 : « Miles et Augusti fortia castra sequi. » Ed.

521. *Premit.* Supprimit, dissimulat.

522. *Et secum.* Supple, loquutus est. Sic Virg. Æn. I, 41 : « Hæc secum : Mene incepto, etc. » Ed. — Ita hæc referunt historici : Domitium cæterosque productos Cæsar a contumeliis militum conviciisque prohibet : pauca apud eos loquitur : pecunias, quas in publicum deposuerat allatas ad se a Corfiniensibus, Domitio reddit, permittitque illi ire, quo libuisset. Ille autem Massiliam, atque hac devicta se ad Pompeium contulit, ceciditque in acie Pharsalica. — *Pacisque recessus.* Id est, latebras, ubi bella vitem. Vetus codex *pacemque posces* mendosissime. Ed.

524. *Jamdudum moriture.* Qui jamdudum statueris pugnando mori in armis, vel potius, quem jam pudet vivere. Male Sulpitius intellexit de brevitate vitæ. Explicat Weber : cur non festinas in bellum ruere, quum vita tua jamdudum morti debeatur; recte, ex sententia Domitii vitam a Cæsare redditam spernentis. — *Rue certus.* Hortatur seipsum, ut transeat, vel cum mortis periculo, in castra Pompeii, utcumque casura sit belli alea.

525. *Lucis rumpe moras.* Vitam, quæ ab hoste donata, non est munus : ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. — *Cæsaris effuge munus.* Simili elegantia apud Stat. Theb. I, 663 : « Tristemque viro submissus honorem Largitur vitæ... » *Munus* metonymice pro vita a Cæsare concessa; sed cædes Pompeii dicitur munus Ptolemæi, IX, 268. Post hunc versum in Lips. cod. leguntur duo versus : « Hæc ait, et tumidos pepulit de corde furores, Thessalicisque suum finivit robur in arvis. » Hos recte spurios et ineptos esse demonstravit Weber, et ideo ortos, quod interpolator hæc de Domitio addenda existimaverit. Ed.

526. *Nescius interea.* Pompeius interim ignarus eorum, quæ Corfinii gesta sunt, exercitum conscribebat, et intendebat Domitio, quem nondum victum et captum sciebat, novos milites et auxilia mittere.

527. *Ut admixto.* MS. 7900 et 8040 habent *immixto* non male. Hoc enim est, veteribus novos in supplementum addere, exercitum supplemento augere. Ideo *immixto* non mutari debuerat. Ed.

528. *Sequuturo jussurus*, etc. Si-

Tentandasque ratus moturi militis iras,
Adloquitur tacitas veneranda voce cohortes :
« O scelerum ultores, melioraque signa sequuti,
O vere Romana manus, quibus arma Senatus
Non privata dedit, votis deposcite pugnam.
Ardent Hesperii sævis populatibus agri :
Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes :
Jam tetigit sanguis pollutos Cæsaris enses.
Dii melius ! belli tulimus quod damna priores;
Cœperit inde nefas. Jamjam me præside Roma

gnum daturus movendi postero die castra, militum animos in pugnam explorat.

529. *Moturi.* Putat Bentleius unum ex tot futuris *sequuturo*, *jussurus moturi* amoliendum et reponit *tentandas ... mature militis iras*, id est, pridie, quia crastino die signa moturus. Hoc risu dignum; videtur enim Bentleius non intellexisse *movere* absolute poni posse. Sed sic occurrit apud Sueton. Cæsar. c. 51, et alias. *Moturus miles*, est iter ingressurus, castra moturus.

531. *Scelerum ultores.* Armorum impie a Cæsare patriæ illatorum, ut mox v. 539. — *Melioraque signa sequuti.* Pro patria militantes cum coss. et senatu.

532. *Romana manus.* Exercitus vere Romanus, quippe pro Roma et republica armati.

533. *Non privata dedit.* Ut Cæsaris sunt. — *Votis deposcite pugnam.* Alacri animo et cum acclamatione poscite signum pugnæ. Inde patet jam minus alacres fuisse Pompeii milites. Quis enim imperator diceret *votis deposcite pugnam?* qui vere fidit suis, ait : *deposcitis.* Ed.

534. *Ardent Hesperii*, etc. Ferro et flamma vastatur Italia. *Ardere* bello, populationibus, non modo urbes et tecta, sed et agri et regiones eleganter dicuntur. Cic. ad Att. VI, 5 : « Ardebat bello Syria. » Claudian. Ruf. I, 9 : « Bellis accendere terras. » Virg. VII, 644 : « quibus Itala terra arserit armis. »

535. *Gallica ... rabies.* Galli furibundi a Cæsare immissi.

536. *Jam tetigit*, etc. Et jam Cæsar sanguine imbuit bellum.

537. *Dii melius*, etc. Diis gratias habemus, quibus placuit, a Cæsare potius quam a nobis incipere nefaria hæc bella. Formula *Dii melius* non semper de futuris, sed et de præteritis, quæ recte et ex sententia nostra evenerunt, licet aliter optassent alii. Sic Helena Paridi, Ovid. Ep. XVII, 29 : « Quæ tua nequitia est, non his contenta fuisset. Dî melius ! similis non fuit ille tui. » Id est, Dii melius consuluerunt mihi. Hic ergo sententia est : « Dii melius, » scil. fecerunt, consuluerunt, quod non ego prior intulerim arma, sed nos priores affecti simus injuria. Et hic bene Scholiastes: Innocentior enim est, qui prior accepit injuriam.

538. *Cœperit.* Est concedentis et

Supplicium, pœnamque petat. Neque enim ista vocari
Prælia justa decet, patriæ sed vindicis iram.
Nec magis hoc bellum est, quam quum Catilina paravit
Arsuras in tecta faces, sociusque furoris
Lentulus, exsertique manus vesana Cethegi.
O rabies miseranda ducis ! quum fata Camillis

omen inde in futurum de successu captantis. Bene est, gaudeo illum priorem cœpisse nefas ; quare jamjam, confestim, celeriter Roma supplicium, me præside, petat de tam nefando homine. Ideo non mutandum *cœperit ... dum jam*, ut male conjicit Bentleius. Ed.

539. *Neque enim ista*, etc. Ostendit, non debere hoc certamen susceptum contra nefarios cives bellum appellari; justum enim prælium dicitur, quum inter se hostes, salvo jure gentium, dimicant. Ed.

541. *Quam quum*. MS. 8040 *quam quod*. Male. Hæc præfatur Pompeius, ut jure videri possit sævire in Cæsarianos, ut in hostes judicatos, cum quibus nullum jus belli esset, sed qui ut Catilinarii deberent haberi, et in vindictam patriæ necari, ex vi senatusconsulti, quo contra Cæsarem hostem judicatum armati erant consules et magistratus.

542. *Arsuras*. Non *arsuras in tecta*, sed *paravit in tecta* conjunge. Sic Æn. II, 46 : « Aut hæc in nostros fabricata est machina muros. » *Arsuras* dixit non otioso epitheto, quia et sunt *sine luce faces*, Ovid. Amor. III, 9. Fax nihil aliud est, quam fustis incisus, et ita comparatus, ut flammam, si ita usus postulet, concipere possit. Virgilius, Georg. I, 292 : « Ferroque faces inspicat acuto. » Ejusmodi ligna apud Græcos γράβια vocabantur. Confirmat Phædr. fab. I, 28, 8 : « Vulpes ab ara rapuit ardentem facem. » Ed.

543. *Exsertique manus vesana Cethegi*. Ipse Noster infra VI, 794 : « Nudique Cethegi. » Recte notavit Sulpitius, *exsertum* eum dici, qui habet humerum et brachium dextrum nudatum. Etsi brachium porrigere extra togam veteres *exserere* et ideo *exsertum brachium* dicerent ; *exsertos* tamen proprie eos appellarunt, qui sine tunica, nudoque humero et brachio extra togam porrecto incederent. Hoc Cethegorum peculiare ac gentile fuisse scriptores docent. Ut et Horat. de Arte poet. v. 50 : « Fingere cinctutis non exaudita Cethegis. » *Cinctuti* dicuntur, quod loco tunicæ cinctum gestarent, hoc est, subligaculum, sive campestre, quod solas partes infra pectus velabat. *Ferrarius*. — *Exsertique manus*, etc. Antiqui Cethegi, inquit Turnebus, Adv. XIX, cap. 9. Barthius autem explicat *implacabilis, strictus*. Ego malim ex his quæ præcedunt pugnacem exponere, vel paratum ad pugnam, ad cædem, ad incendium.

544. *O rabies miseranda*. Bentl. reponit *infanda* : nam, inquit, rabies odio et vindicta, non miseratione excipienda est. Sed audacior Jever. negat *ducis* posse de Cæsare intelligi, quia hunc ipsum alloquitur Pompeius. Tunc *fata* absurdum

Te, Cæsar, magnisque velint miscere Metellis,
Ad Cinnas, Mariosque venis. Sternere profecto,
Ut Catulo jacuit Lepidus, nostrasque secures
Passus, Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro,
Quique feros movit Sertorius exsul Iberos.
Quamquam, si qua fides, his te quoque jungere, Cæsar
Invideo, nostrasque manus quod Roma furenti
Opposuit. Parthorum utinam post prælia sospes,

pronuntiat, quia *fata* immutabilia sunt. Ergo reponit : « O rabies miseranda! *piis* quum *facta* Camillis Te, Cæsar, magnisque *queant* miscere Metellis, etc.» Et optimam medicinam se invenisse putat. Hæc autem, ut sunt, facile explicantur. *Ducis* est Cæsaris. *Quum fata velint*, i. e. quum possis et debeas, Camillum et Metellos imitatus, servare patriam: turpiter descendis ad pestes et eversores patriæ, Cinnam et Marium. Ita scripserat Brutus ad Atticum de Antonio, et sic Plutarch. in Vita Bruti de eodem Antonio: ὃς ἐν Βρούτοις καὶ Κασσίοις καὶ Κάτωσι συναριθμεῖσθαι δυνάμενος προσθήκην ἑαυτὸν Ὀκταβίῳ δέδωκεν. — *Camillis*. Furius Camillus urbem a Gallis captam, Capitolium obsessum, exsul, creatus dictator liberavit pulsis Gallis. Alii mutant ordinem, et *magnis* conjungunt cum *Camillis*, imitatione Propertii, III, 7, 31 : « Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos. »

545. *Miscere*. Æquiparare. — *Metellis*. Numidico, Pio, Cretico, Balearico.

546. *Sternere profecto*. Sed dabis hujus amentiæ pœnas victus a me, ut a Catulo Lepidus, qui coss. inter se disceptarunt. Lepidus acta Sullæ rescindere conatus, e Gallia quam provinciam sortitus est, et ubi res novas moliebatur, revocatus a senatu, cum exercitu ad Urbem rediit; sed a Catulo collega in campo Martio superatus, in Sardiniam fugit; ibique non multo post, periit.

547. *Nostrasque*, etc. Cn. Papirius Carbo tertium cos. cum Mario creatus, reverso e bello Mithridatico Sulla, Urbe profugit : sed a Metello Pio prope Faventiam superatus, in Siciliam fugit : a Pompeio captus, et damnatus capitis, securi percussus est.

548. *Sicanio sepulcro*. Pompeius Carbonem media fuga interceptum in Melita insula occidit. Ideo dictum est *Sicanio sepulcro*. Alii male reponunt *Sicano*; sed Virg. Æneid. III, 692 : « Sicanio prætenta sinu.» Adde Æn. VIII, 416; et Nostr. VI, 66.

549. *Quique feros movit Sertorius*, etc. Q. Sertorius a Sulla proscriptus Hispanos ad arma movit, contra quem missus Q. Metellus cos. mox Pompeius, ancipiti acie sæpius pugnarunt. Sertorius tandem domestico scelere et insidiis exstinctus est in convivio a Perpenna belli socio.

550. *Quamquam, si qua fides*. Expono : Attamen mihi crede, o Cæsar, doleo, mihi grave est te his

Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris,
Ut simili causa caderes, qua Spartacus, hostis.
Te quoque si Superi titulis accedere nostris
Jusserunt, valet in torquendo dextera pilo :
Fervidus hæc iterum circa præcordia sanguis
Incaluit ; disces non esse ad bella fugaces,
Qui pacem potuere pati. Licet ille solutum
Defectumque vocet, ne vos mea terreat ætas.

viris jungere, iisdem te pœnis afficere ; ægre fero Romam me furenti et insanienti opposuisse. Nota diversitatem constructionis *invideo jungere*, et *quod opposuit*. Conf. supra v. 440. Hæc autem insolentiæ plena, ut Cæsarem eum mancipio et gladiatore conferat, nec eum cum Carbone aut Sertorio comparare dignetur.

553. *Scythicis*. Pro *Parthicis*. Parthi enim a Scythis oriundi dicuntur. Sic VIII, 302 : « Experti Scythicas, Crasso pereunte, pharetras. » Burmannus tamen conjicit *Syriis*, et hoc adjectivum gentile in usu fuit ; I, 105 : « Assyrias Latio maculavit sanguine Carras. » Hoc autem dicit : « Utinam Crassus victor remeasset, ut ab eo ita compressus fores, sicut Spartacus fuit, ne meæ manus in te polluerentur. » — *Ab oris*. MS. 8040 *ab arvis*.

554. *Ut simili causa caderes*. Nempe eadem manu. — *Qua Spartacus*. Spartacus, Thrax gladiator, e ludo Lentuli Capuæ cum 70 sociis effugit, servis ad partem vocatis armatisque exercitum 70 M. confecit, legatos, prætores, coss. Rom. devicit, a M. Crasso tandem devictus cæsusque est. Distinguo post *Spartacus*, *hostis*. Languidum enim sit conjungere *Spartacus hostis*, quum Spartacum nomine appellasse sufficiat. Intelligendus autem est Cæsar, hostis nimirum patriæ judicatus.

555. *Si Superi*. Id est, quoniam Dii jusserunt, etc. — *Titulis accedere*, etc. Victoriis meis addi de te victoriam. Ovid. Her. IX, 1 : « Gratulor Œchaliam titulis accedere vestris. »

556. *Valet in torquendo*. Laudat se a viribus corporis, quibus præter ætatem valeat ; et confirmat milites collatione ducum et utriusque exercitus.

557. *Fervidus*. Bentleius reponit *frigidus*, quia sequuntur *iterum incaluit*. Male. Nam qui olim fervidus fuit, potest iterum incalescere.

558. *Disces*. Alii *discet*. Nempe Cæsar. MS. 7900 *discent*. Nempe Cæsariani. Parum refert. Oudendorpius tamen præfert *discet*, scil. ille, cum contemptu, ut respiciat ad illud Cæsaris I, 311 : « Veniat longa dux pace solutus. » Ed.

559. *Pacem potuere pati*. In pace vivere. Vide quæ ad V, 314 : « Disce sine armis Posse pati. » Bene dixit *pati*, tamquam necessitate, deficientibus hostibus ; sed qui in pace fuerit semper paratus ad prælium. Schol. — *Solutum Defectumque*. Dissolutum viribus et debilitatum.

Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.
Quo potuit civem populus producere liber,
Adscendi, supraque nihil, nisi regna, reliqui.
Non privata cupit, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire parat. Hinc Consul uterque,
Hinc acies statura ducum. Cæsarne Senatus
Victor erit? non tam cæco trahis omnia cursu,
Teque nihil, Fortuna, pudet! Multisne rebellis
Gallia jam lustris, ætasque impensa labori
Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis,

561. *Dux sit in his*, etc. Senectus in *duce* prudentiam, in *milite* virium exhaustarum debilitatem notat. Ed. Quintil. Declam. CCCXVII: «Itaque hercle militem legimus robustum, legimus juvenem: imperatorem facimus senem.» Ed.

562. *Quo potuit*, etc. Dicit se quidem adscendisse ad usque gloriæ fastigium summum; ac supra se nihil nisi dominationem ac tyrannidem reliquisse. — *Populus liber*. Libertatem suam retinens, non delata ulli imperii summa. — *Producere*. Sic Bipont. Alii *perducere*. Fere semper hæc verba permutantur. *Producere* præfero, quia agit de magistratibus et imperiis, ad quæ evectus fuit: in qua re hoc verbum proprium est. — *Civem*. Id est, qui civem vult se gerere, nec debet plus cupere, etiamsi populus velit illi dare. Ed.

564. *Non privata cupit*. Non civis esse vult, sed tyrannus, etc. Multi habent *cupis* et *paras*, sed vulgatam malo. Cur enim diceret *quisquis* Cæsarem alloquens. Conf. IX, 27: «Nec regnum cupiens gessit civilia bella.» — *Romana ... urbe*. MS. 8040 a man. sec. *Romanam ... urbem*. Bentleius mutat *Romano ... in orbe*. Non feliciter. Ed.

565. *Hinc*. A partibus nostris. — *Consul uterque*. L. Lentulus et C. Marcellus coss. A. U. 705.

566. *Acies ..... ducum*. Scil. pro me stabit exercitus, in quo proceres et senatores militant. — *Cæsarne*. Ad invidiam unum nomen hominis toti senatui confert.

567. *Non tam cæco trahis*, etc. Fortunam dicit tam cæcam non fore, ut id fieri patiatur. — *Cæco trahis... cursu*. Bentl. et Jev. *cæco rapis...casu*. Nempe quia infra VII, 446: «Quum cæco rapiantur sæcula casu.» Sed alia sententia est.

568. *Teque nihil*. Et hic, more Lucani, supplendum est *non tam*. Sc. non verum est, adeo te nihil pudere. Ed. — *Multisne*. Invidiose: duobus, neque exactis iis. Hoc tamen non sensit Bentl. et emendat *geminis*. — *Rebellis*. Ut adhuc victa non sit. Laudem Cæsaris minuit. An adeo tumet, quod multos annos cum Gallis semper rebellantibus bella gesserit, et in hoc labore nondum peracto vitæ partem consumpserit? Ed.

570. *Rheni gelidis*, etc. Cæsar

Oceanumque vocans incerti stagna profundi,
Territa quæsitis ostendit terga Britannis?
An vanæ tumuere minæ, quod fama furoris
Expulit armatam patriis e sedibus urbem?
Heu demens! non te fugiunt, me cuncta sequuntur:
Qui quum signa tuli toto fulgentia ponto,
Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,

Germanos ferro et igni popolatus, in hostico per dies 18 moratus, rediit in Galliam, reseisso post se ponte, quem in Rheno struxerat, ne Germanis osui esset. Hanc Pompeius fugam calumniator. — Pro *gelidis*, Bentl. *trepidus*, scil. Cæsar. Nempe ut vitetur repetitio versu abhinc qointo decimo: «*gelidas* ad Phasidos undas.» Id sane curabat Lucanus! Ed. — *Fugit.* Exprobrat invidiose breves trans Rhenum et in Britanniam excursiones, unde re fere infecta rediit.

571. *Oceanumque vocans incerti*, etc. Et quod causatus oceanum Britannicum esse Gallici maris æstuaria, repulsus est a Britannis, quibus ultro bellum intulerat. — *Incerti profundi.* Sic Tacit. Annal. XI, 20, regiones inter Mosam Rhenumque *incerta Oceani* dixit, propter æstum maris venientis et recedentis. Idem, Ann. I, 70, *incerta solidis* opponit, et sic Noster dixit dubiam incertamque Syrtin. Vid. I, 686; IX, 861. — *Quæsitis ... Britannis.* Causa inferendi belli Britannis erat, quod satis compertum haberet, ab iis auxilia Gallis missa fuisse. *Quæsitis* dixit, ut Florus III, 8: «Quærendi fuerunt, ut vincerentur.» Et imitatus est Claudianus, (Carm. XXIII) Stil. III, 149: «Vincendos alio quæsivit in orbe Britannos.»

573. *An vanæ tumuere.* Inefficaces et sine viribus; quasi ejus adventu territi urbem deseruerint cives, quum Pompeii signa sint sequuti.

574. *Armatam ...urbem. Armatam*, paratam ad bellum gerendum. *Urbem* pro civibus dixit.

576. *Qui quum signa tuli*, etc. Qui intra spatium duorum mensium, piratas Cilicas coercui; et captis, ne ad piraticam relaberentur, agrum assignavi. — *Toto...ponto.* Sic infr. v. 726: «Super æquora toto Prædonem sequerere mari.» Male igitur Bipont. dat *Ponto*.

577. *Ante bis exactum. Orbem* non de ipso disco Lunæ, sed de menstruo cursu, quem antequam bis peregisset Luna, parta victoria est. *Exacta* autem omnia perfecta et finita dici constat. Infra lib. V, 44: «Exacto jus clauditur anno.» Possit tamen *orbis* proprie sumi, si eum vet. Msto legas *exhaustum*, quod probavit Bersm. Ed.

578. *Metuens pelagi.* Non conjungendum *pirata pelagi*, ut quidam volunt. Nam non sunt *piratæ terræ*, sed *metuens pelagi*. Sic VIII, 811, dixit eosdem Cilicas *pavidos maris*, et supra, v. 233, *metuens futuri*. Ed.

Angustaque domum terrarum in sede poposcit.
Idem per Scythici profugum divortia Ponti
Indomitum regem, Romanaque fata morantem,
Ad mortem, Sulla felicior, ire coegi.
Pars mundi mihi nulla vacat : sed tota tenetur
Terra meis, quocumque jacet sub sole, tropæis.
Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas
Arctos habet : calida medius mihi cognitus axis
Ægypto, atque umbras nusquam flectente Syene.

579. *Angustaque in sede.* Intelligit Solos, nrbem Ciliciæ, quo piratas deduxit, et qoæ Pompeiopolis dicta est. Post *terrarum* MS. 7900 omittit *in*. Bentl. poerilem antithesin quærens reponit, *Angustamque domum terrestri in sede poposcit.*

580. *Idem per*, etc. Alii *Idem ego;* quod supraseriptum est in MS. 7900. — *Divortia Ponti.* Per diverticula et transversas semitas sui regoi fugientem in Armeniam, Colchos, Albanos, etc.

581. *Indomitum regem, Romanaque.* Mithridatem, qui 40 annos cnm Romanis bella gessit. — *Fata morantem.* Conf. *Racine, Mithridate*, act. II, sc. 3, v. 2 : « Cet heureux Mithridate, Qui de Rome toujours balançant le destin, Tenais entre elle et moi l'onivers incertaio.»

582. *Mortem.* Male veneoo tentatam, sed ferro exactam.— *Felicior, ire coegi.* Allusum ad cognomen Sullæ Felicis, qui Mithridatem attriverat, ot et Lucollus.

583. *Pars mundi mihi nulla vacat.* Hoc potest videri obscurum. Alio enim seosu *vacat*, VIII, 801 : « Et juga tota vacaot Bromio », id est, ipsi soli sunt possessa, dicata. Sed hic, ubi agitur de victoriis, qoibns totom orbem peragravit, debet significare nullam esse partem, quam non perdomuit ; et ita nolla pars vacavit Pompeio, id est, caruit Pompeii victoris præsentia, sed tota tenetur ejos tropæis. Similis locutio II, 56 : « Nulla vacet tibi, Roma, manus. » Id est, nollus tibi toto orbe hostis desit, sed omnes io te arma capiaot. » Mart. V, Ep. 75, de Pompeio : « Quid mirum toto si spargitur orbe. » Ed.

585. *Phasidos undas.* Flovius maximus Colchidos, qoo Mithridatem Pompeius insequntus est.

586. *Arctos habet.* Pars Septemtrionalis sobjecta Arcto, nrsæ majori. — *Medius mihi cognitus axis.* Pars mundi meridionalis ; datus enim fuerat a senatu tutor pueri regis Ægypti Ptolemæi ; item ibi sub Sulla fuerat.

587. *Syene.* Civitate, qoæ Thebaidos principium est, et snb ipso æstivo tropico sita. Igitur eo die, quo sol certam partem Cancri ingreditur, hora diei sexta, quoniam sol tunc super ipsum invehitur verticem civitatis, nulla illic potest in terris de qnolibet corpore umbra jactari. Sed nec stylus hemisphærii monstrantis horas, quem gnomona vocant,

Occasus mea jura timet, Tethynque fugacem
Qui ferit, Hesperius post omnia flumina Bætis.
Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces
Heniochi, notique erepto vellere Colchi.

tunc de se potest umbram creare: et hoc est, quod Lucanus dicere voluit. — *Nusquam*, hoc est, nec ante, nec post, nec ad dextram, nec ad sinistram umbras flectente. Veteres tamen legebant *numquam*, et Macrobius diserte Lucanum reprehendit quod dixerit *numquam flectente*, cujus verba sunt Somn. Scip. c. 7: « Rem quidem (Lucanus) attigit, sed turbavit verum; non enim numquam flectit, sed uno anni tempore. » Recte sane censuisset Macrobius, si auctor dedisset *numquam*; sed codices vetusti Puteaneus et Harleianus cum magna aliorum turba, *nusquam* habent; et vere. Nisi enim *nusquam* posuisset Lucanus, non dixisset: flectente umbras, sed faciente umbras. *Nusquam* igitur flectit umbras Syene, scilicet ipso meridie solstitiali, sive solstitii die medio. Inique vero Macrobius: loca quædam Ascia (sine umbra) dicuntur. An ulli Ascii sunt, nisi semel vel bis in anno? et tamen licuit magnis scriptoribus absolute Ascios dicere. Plinius Hist. II, 75: « Onesicritus, dux Alexandri Magni, scripsit, quibus in locis Indiæ umbræ non sint, Septemtrionem non conspici, et ea loca appellari Ascia. » Eadem utrumque facie generaliter dicitur, et umbras non esse, et umbras *nusquam* flecti: licet semel hoc tantum, vel plurimum bis quotannis contingat. »

588. *Occasus mea jura timet.* Hispania, cujus extremus fluvius Bætis, *Guadalquivir*, in fretum Gaditanum infunditur: quod et ipsum effluit in Oceanum Atlanticum. Pro *timet* Bentl. *tremit*, quia sequitur v. 593: « Cappadoces mea signa timent. » Sed ibi eodem jure posset reponi *tremunt*. Alii et hoc versu *timent*, ut sit occasus plurali numero, ut aliis auctoribus solet. Ovid. Met. II, 190: « Prospicit occasus, interdum respicit ortus. » Ed.

590. *Cognovit Arabs.* Expertus est: circa Amanum montem in expeditione ad rubrum mare.

591. *Heniochi*, cum aspiratione scribendum. Sunt autem Heniochi populi Pontici, vicini Colchis, et Hiberis. Dicti ἀπὸ τῶν ἡνίοχων, hoc est, aurigis Castoris et Pollucis, Rheca scilicet et Amphistrato, qui eo loco post raptum velleris aurei consedere, gentemque eam de suo nomine condiderunt, ut auctor est Strabo, Lib. XI. Cæterum has gentes omnes pervagatus est Pompeius bello Mithridatico, quando Pontum, Armeniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Colchiden, etc. subegit. De Heniochis III, 270: « Hinc Lacedæmonii moto gens aspera freno Heniochi. » Confer. Avien. Descript. Orbis, v. 8. Poet. min. t. V, p. 269: « ... juxta gens aspera degit Heniochi, *Zygiique.* » Hausit ex Dionysii Periegesi, v. 687: Ἡνίοχοι Ζύγιοί τε Πελάσγιδος ἔκγονοι αἴης. Alii hos populos e Telechio et Amphyo ortos dicunt. — *Notique erepto vellere Colchi.* Hinc enim Jason pellem auream Phryxei arietis abstulit. Schol. —

Cappadoces mea signa timent, et dedita sacris
Incerti Judæa Dei, mollisque Sophene.
Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.
Quod socero bellum, præter civile, reliqui? »
Verba ducis nullo partes clamore sequuntur,
Nec matura petunt promissæ classica pugnæ.
Sensit et ipse metum Magnus, placuitque referri
Signa, nec in tantæ discrimina mittere pugnæ

Noti. Sic Senec. Thyest. 379 : « Seres vellere nobiles. » Tentat tamen Bentl. reponere *nudique*, quod rejiciendum videtur. Ed.

592. *Cappadoces mea.* Asiæ minoris populus, per quos fluit Halys fluvius. Ed. — *Et dedita sacris Incerti Judæa Dei.* Primus Romanorum Cn. Pompeius, quum ex Asia victrices circumageret copias, debellatis in transitu Judæis, templi penetravit intimos recessus. Ex illo tempore vulgatum est, inquit Tacitus, « vacuam esse sedem et inania arcana. » Ideo autem *deus Judæorum incertus* dicitur, quia Romani, quum nullas apud eos imagines deprehendissent, ignorabant quem Deum colerent. Hinc Juvenal. Sat. XIV, 97 : « Nil præter nubes et cæli numen adorant. » Aristobulus autem at Hircanus inter se de Imperio dimicantes occasionem præbuere Romanis, ut Judæam invaderent. Itaque Pompeius Hierosolymam veniens, capta urbe, reseratoque templo usque ad Sancta Sanctorum accessit. Aristobulum vinctum secum abduxit, pontificatum Hircano confirmavit. Deinde Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium procuratorem Palestinæ fecit.

593. *Mollisque Sophene.* Alii *mollesque Sophenæ.* Male. Regio enim Sophene, populi Plinio Sopheni dicuntur, lib. VI, 9. Græci Σωφηνὸὶ quod notandum, nam Latini τὸ ω corripiunt. Claudian. quoque has regiones conjungit, in Eutrop. I, 220 : « In mercem veniunt Cilices, Judæa, Sophene. » *Mollis* dicitur propter calorem regionis, vel luxuriam. Ed.

594. *Armenios*, etc. Has gentes pervagatus devicit bello Mithridatico. — *Taurosque.* Tauri montis accolas. Sic fere omnes. Credo tamen potius hic Tauros esse populos Scythicos in Chersoneso Taurica. Juvat locus Claudian. in Eutrop. I, 249 : « Extra Cimmerias Taurorum claustra paludes. » Ed.

595. *Socero bellum.* Cæsari, cujus filiam duxerat Pompeius.

596. *Verba ducis nullo partes*, etc. Milites non excipiunt orationem Pompeii cum plausu et acclamatione.

597. *Matura.* Id est, propera, non dilata. Milites non petunt, ut sine mora promissæ pugnæ signum detur. Promissa autem pugna est orationis exordio, v. 533 : « Votis deposcite pugnam. »

598. *Sensit et ipse metum.* Pompeius ipse silentio et torpore militum territus est. — *Placuitque referri.* Retro Brundusium duci cohortes.

599. *Nec in tantæ discrimina*, etc. Neque emittere exercitum suum, jam

Jam victum fama non visi Cæsaris agmen.
Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exsul in adversis explorat cornua truncis;
Nec redit in pastus, nisi quum cervice repleta
Excussi placuere tori; mox reddita victor
Quoslibet in saltus comitantibus agmina tauris

consternatum, fama et metu Cæsaris nondum visi, in discrimen pugnæ. Notandum hic præcedere forma passiva *referri*, et jungi *mittere*. Vide X, 347. Hoc non videns Jever reponit *referre*, et *tantæ pugnæ* mutat in *certæ cladis*, elegantius quam verius. Ed.

601. *Pulsus ut armentis*, etc. Sumpta comparatio e Virg. Georg. III, 224.

603. *In adversis explorat cornua truncis*. Conf. Virg. Georg. III, 232: « Et tentat sese, atque irasci in cornua discit Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit Ictibus, etc. »

604. *Nec redit in pastus*, etc. Virgil. loc. cit. v. 235: « Post ubi collectum robur viresque receptæ. » Unde quidam dederunt *cervice recepta*, quod Hortensius explicat, viribus cervicis rursum collectis; quippe cui omne robur in cervice ac cornibus situm sit. Sed ex vetust. codd. et Bipont. repono *repleta*. Sueton. Calig. c. 3: « Gracilitas crurum repleta assidua equi vectatione post cibum. » Unde *plenus* pro pingui dicitur. Possit tamen *recepta* defendi e quibusdam MSS, et 7900, quia et *amittere* corpus dicitur, pro macrescere, quod *recipit*, qui iterum pinguescit: sed hoc nondum legi, et facilius dixeris *vires*, *sanguinem*, etc. quam *cervicem recipere*. Aliam lectionem affert Jever: *Cervice refecta*. Id est, animo et viribus receptis, ceu patet ex loco Virgilii adducto. Victi tauri cervicem dejiciunt, quod pudoris est. *Demissis cervicibus ire* eleganter dicit Propertius Eleg. XI, v. 11. *Celsa* contra cervix datur forti et magnanimo tauro. Senec. in Troad. v. 539: « Cervice tumida celsus et fronte arduus. » *Refecta* igitur et ad spem victoriæ *erecta cervice* redit ad hostem. Ed.

605. *Excussi...tori*. Hic debent capi ut *excusso lacerto*, I, 424. Virgil. Æn. XII, 7: « Excutiens cervice toros. » Propert. Eleg. II, 13, 27: « Barbarus excussis agitat vestigia lumbis. » Possit etiam *excussi tori* capi pro *examinatis*, an sufficere pugnæ jam possent. Vel quia tauris domitis et aratro adhibitis cervix et tori solent decrescere; nunc pulsus armentis et in silva pascens recepit cervicem pleniorem, et toros ante latentes quasi excussit. Ed. — *Placuere*. Imitatus est locum Stat. Theb. II, 321: « Quum profugo placuere tori, cervixque recepto Sanguine magna redit. » — *Tori*. Pulpæ, musculi, et densitas quædam carnis in collo et cruribus, et etiam in brachiis hominum, in qua quidem esse dicuntur vires. Virgil.: « Luxuriatque toris animosum pectus. » — *Reddita victor*. Recepta armenta, devictis aliis tauris, ipse ducit.

606. *Comitantibus tauris*. Signum victoriæ, quum et ipsi agmen possent

Invito pastore trahit : sic viribus impar
Tradidit Hesperiam, profugusque per Appula rura
Brundusii tutas concedit Magnus in arces.
Urbs est Dictæis olim possessa colonis,
Quos Creta profugos vexere per æquora puppes
Cecropiæ, victum mentitis Thesea velis.
Hanc latus angustum jam se cogentis in arcum
Hesperiæ, tenuem producit in æquora linguam,

ducere. Ingeniose Jever. pro *tauris* reponit *vaccis :* nam reddita agmina, i. e. armenta, si trahit secum hic taurus, necesse est tauros esse comites; vaccas autem non libenter pastores vident cum tauris pasci, qui ideo tauros *in sola pascua relegant*, ne frequenti coitu vires exhauriant, et debilitentur. Alicui si placeat sensus, levis est mutatio. Minus feliciter Bentl. conjiciebat *parvis*, id est, vitulis. ED.

607. *Sic viribus impar*, etc. Sic Pompeius se imparem Cæsari sentiens, Italia cedere, ipse per Apuliam profectus, Brundusium, hinc in Macedoniam navigare, instituit.

609. *Concedit.* MSS. 7900 et 8040 *concessit.* Oudend. præfert *conscendit* quod optime convenire dicit τῷ *arci.* Virg. Æn. III, 292 : « Buthroti adscendimus arcem. » Burmanno placebat *condit se Magnus i. a.* quæ lectio profugo aptissima, et τῷ *tutas* convenit.

610. *Urbs est*, etc. Brundusium urbs ad oras Hadriatici maris, condita fuit a Cretensibus quibusdam, qui Atheniensibus advecti navibus profugerunt e Creta cum Theseo reduce Minotauri victore. Isid. Lib. XV, c. 1 : « Brundusium autem est dictum græce quod brunda caput cervi dicatur. Sic est enim, ut et cornua videantur, et caput, et lingua in positione ipsius civitatis. » Vide v. 613. — *Dictæis.* Cretensibus, a Dicte, oppido Cretæ.

612. *Cecropiæ.* Athenienses, a Cecrope primo Atheniensium rege. — *Mentitis Thesea velis.* Nigris, præ festinatione et nautarum oblivione; iisdem quibus solverant Athenis, contra mandatum patris Ægei, qui præceperat, ut si victor rediret filius, alba suspenderent carbasa. Nigra ergo mentita sunt, opinionem falsam injecerunt Thesea superatum esse a Minotauro. Norunt autem omnes eum ad Cretam missum, ut comederetur a Minotauro, in Minois ultionem, cujus filium Androgeum Athenienses occiderant. ED.

613. *Hanc latus*, etc. Sensus est : Latus Hesperiæ, quæ hic in arcum cogitur, producit in æquora hanc terram ad formam linguæ, hoc est, terræ se in mare extendentis et paullatim deficientis; quæ curvato sinu prætenditur mari Hadriatico, ita ut portus frequenti utrimque flexu repræsentet cornua capitis cervini, unde et nomen : namque Messapiorum lingua, ἡ κεφαλὴ τοῦ ἐλάφου καλεῖται βρενδέσιον. 8040 *in æquora sulcum;* supra scr. *linguam* eadem manu. — *In arcum.* Bipont. male *in arctum.*

Hadriacas flexis claudit quæ cornibus undas.
Nec tamen hoc arctis immissum faucibus æquor
Portus erat, si non violentos insula Coros
Exciperet saxis, lassasque refunderet undas.
Hinc illinc montes scopulosæ rupis aperto
Opposuit natura mari, flatusque removit,
Ut tremulo starent contentæ fune carinæ.
Hinc late patet omne fretum, seu vela ferantur
In portus, Corcyra, tuos, seu læva petatur
Illyris Ionias vergens Epidamnus in undas.

615. *Claudit.* Recte, nam portum facit. — *Cornibus.* Rupibus exporrectis in formam cornuum.

616. *Nec tamen*, etc. Neque tamen satis fidus foret hic portus, nisi objecta insula fluctus ventosque exceptos frangeret.

617. *Coros.* Ventos ab occasu solstitiali flantes.

618. *Refunderet.* Remitteret fluctus, quibus feritur. Recte *refunderet*, non *retunderet*, ut ipse volebat Cortius: nam undæ jam lassæ non vehemen terirruunt. Refunduntur undæ, quum recedunt, ut *refusus* oceanus, Lib. VIII, 797; Virg. II, 163; Plinius, Panegyr. c. 30, de Nilo: « Non placido se mollique lapsu refusum abstulerat. » — *Lassas*, non *laxas*, ut molti. Ovid. Epist. Her. IX, 56: « Qui lassas in se sæpe retorquet aquas. »

619. *Hinc illinc montes.* Offendere potest *montes rupis*, unde quidam, probante Oudendorp. malebat *moles.* Sed poetæ sæpe in montibus rupes et scopulos tamquam partes agnoscunt, et ita *mons rupis scopulosæ*, non terrenus, sed in quo rupes et scopuli eminent, est capiendus Ovidius Met. XIV, 181: « Vidi, quum monte revulso Immanem scopulum medias permisit in undas. »

620. *Flatusq. removit.* Ventos arcuit.

621. *Contentæ fune.* Male Bentleius ad Horat. Carm. I, 14, 7, putat hic *funem* pro *anchora* capere deberi, neque hic, neque V, 514, anchora potest intelligi, sed funis, sive πρυμνήσια, quibus ad rupes erat navis alligata. Vix enim puto *funem* simpl. pro *anchora* fuisse usurpatum ab auctoribus; et quum fune dicant navem retentam, loquuntur de funibus ad terram et litus revinctis, non de anchora in arena vel fundo impressa. Quare passim *funes* et *vincula* ab *anchora* distinguunt. Iliad. A, 436: Ἐκ δ' εὐνὰς ἔβαλον, κατὰ δὲ πρυμνήσι' ἔδησαν. Ubi recte Scholia, πρυμνήσια τὰ ἀπόγεια σχοινία, οἷς ἐκ τῆς πρύμνης προσδεσμεῖται ἡ ναῦς πρὸς τῇ γῇ. Neque aliter sumi potest Stat. Lib. III, Silv. 240: « ... ratem terris divisit fune soluto Navita. » — *Tremulo.* Non multum tenso, ob clementiam venti. Et eo magis manifestum est naves non indigere anchora. Quod omnes periti nauticæ norunt. Ed.

623. *Corcyra, tuos.* Insula *Corfu*,

Huc fuga nautarum, quum totas Hadria vires
Movit, et in nubes abiere Ceraunia, quumque
Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.
Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis,
Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
Quum mediæ jaceant immensis tractibus Alpes :

a dextra, in Hadriatico mari. — *Læva petatur Illyris.* Non hic de regione Illyride agitur, sed *Illyris* adjective ponitur pro *Illyrica*, ut sit sensus : seu navigantibus ad lævam Brundisii petatur Illyrica Epidamnus vergens ad Ionias undas. Epidamnus, seu Dyrrhachium, hodie Durazzo in Macedonia, quæ urbs, anno Christi 1499, a Turcis erepta Venetis fuit. Alii tamen legunt *Epidaurus*, quod non omnino contemnendum, nam duæ quidem Epidauri fuere. Altera in Peloponneso, de qua hic nullo modo agi potest ; altera autem in Dalmatia quæ Illyrici pars fuit. Et illa quidem urbs læva est Brundusio solventibus. Non tamen admittenda lectio ob verba : *Vergens in undas Ionias*, quæ Epidauro neutiquam convenire potest. Ea enim multo interius sita mari Hadriatico adjacet, Epidamnus autem media quasi est inter Hadriam et Ionium. Restat ut probem τὸ epitheton *Illyris* et huic Epidamno convenire : in quo adjutorem habeo Thucydidem, L. I, qui meminit eam civitatem a Corcyrensibus conditam, postea a Taulantiis, Illyrica gente, habitatam esse. Feminino autem genere effertur Græcorum exemplo, qui hoc nomen usurpant contra Latinorum consuetudinem. Sic enim Strabo, Lib. VII : Ἐπίδαμνος Κερκυραίων κτίσμα ἡ νῦν Δυῤῥάχιον ... λεγομένη. Et optimæ notæ MSS. 7900 et 8040 *Epidaunos*, forte *Epidamnos*, græca terminatione habent. Ed.

625. *Huc fuga nautarum.* In portum Brundusii. — *Quum totas Hadria vires.* Quando in Hadriatico tempestas exoritur.

626. *Et in nubes*, etc. Et nubibus involuti præ aere procelloso non apparent montes illi Epiri.

627. *Calaber perfunditur æquore Sason.* Insula in Hadriatico, inter Epirum et Brundusium, sed Epiro propior. Hic tamen *Calaber* dicitur, quia Brundusium spectat. *Perfundi* dicitur *æquore*, quia humilis est insula.

628. *Ergo ubi nulla fides.* Postquam sensit Pompeius Cæsarem jam consequi, et nullam spem restare, vel Romam redeundi, vel Domitio auxilium ferendi, denique Italiæ tenendæ, quæ Brundusium fugienti-bus erat a tergo.

629. *Nec licet ad duros*, etc. Neque posse jam bellum transferri in Hispaniam longe dissitam, at que Alpibus interclusam, quam tenebant Petreius et Afranius Pompeii legati. Id autem ne proposuisse quidem sibi Pompeium, sed longe alia agitasse, in Ciceronis ep. ad Att. IX, 11, apparet. Hic versus in Amstelod. cod. omittitur male. *Duri Iberi* enim dicuntur VI, 258; confer. VIII, 223; et bene de hominibus malorum et labo-

Tunc sobole e tanta natum, cui firmior ætas,
Affatur : « Mundi jubeo tentare recessus.
Euphraten, Nilumque move, quo nominis usque
Nostri fama venit, quas est vulgata per urbes
Post me Roma ducem ; sparsos per rura colonos
Redde mari Cilicas : Pharios hinc concute reges,
Tigranenque meum. Nec Pharnacis arma relinquas,
Admoneo, nec tu populos utraque vagantes
Armenia, Pontique feras per litora gentes,
Rhipæasque manus, et quas tenet æquore denso
Pigra palus, Scythici patiens Mæotica plaustri.

rum patientibus hoc epitheton diei solet. Nec nostra adnotatio versum damnat : sæpius enim in singulis Lucanus a vero recedit. Ed.

631. *Sobole e tanta.* Non plures duobus filios Pompeius habuit, Cneum et Sextum. Posset ergo hic *tanta* ad claritudinem generis spectare. Burmannus non audet reponere *sancta*, et viri modestiam probo : Bentl. tamen non dubitat *gemina* reponere. Ed. — *Cui firmior ætas.* Cn. Pompeium filium natu majorem, missurus ad devictas a se gentes auxilia petitum.

632. *Recessus.* Loca remota.

633. *Euphraten.* Armeniam, unde oritur ; Syriam, quam præterlabitur Euphrates. — *Nilumque.* Ægyptum, quam Nilus rigat.

634. *Quas est vulgata*, etc. Ad quas Romanum nomen propter me victorem pervenit.

635. *Sparsos per rura.* Vid. quæ notavimus ad v. 576.

636. *Redde mari.* Illos ad bellum maritimum revoca, etiam ad piraticam exercendam. Ed. — *Pharios.* Ægyptios, a Pharo insula. MSS. 7900 et 8040 *Parthos* : sed manifestum est *Pharios* et *Tigranen* respondere prioribus verbis *Euphraten Nilumque move.* — *Concute.* Alii *excute*, sed Lib. I, 5 : « Concussi viribus orbis. » Ed.

637. *Meum.* Beneficio meo in pristinum fortunæ habitum restitutum. Val. Max lib. V, c. 1. — *Pharnacis.* Filii Mithridatis, cui a patre deficienti Pompeius confecto bello Bosphorum concesserat.

638. *Utraque.* Majori et Minori. — *Vagantes*, etc. Scythas vagos ἁμαξοβίους.

639. *Pontique feras*, etc. Maris Euxini, ἀξένου prius dicti, propter immanitatem accolarum.

640. *Rhipæasque manus.* Incolas Rhipæorum, montium Scythiæ. Sic scribe non *Rhiphæas* : Græce enim vocantur hi montes ῥιπαῖοι. Male Servius ad Georg. III, 382, deducit a ῥιφή. — *Quas tenet*, etc. Accolas Mæotidis paludis, cujus undæ sunt gelu constrictæ et induratæ, ita ut per eam onusta agantur vehicula.

Sed quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
Bella feres, totoque urbes agitabis in orbe
Perdomitas : omnes redeant in castra triumphi.
At vos, qui Latios signatis nomine fastos,
Primus in Epirum Boreas agat : inde per arva
Graiorum Macetumque novas adquirite vires,
Dum paci dat tempus hiems. » Sic fatur : et omnes
Jussa gerunt, solvuntque cavas a litore puppes.

642. *Sed quid ... moror?* Enumerationem in compendium contrahit, ut per totum Orientem imperii Rom. regibus, dynastis, provinciis et liberis populis denuntiet bellum populo Rom. esse, et auxilia equitum ac peditum suo nomine iis imperet.

643. *Bella feres.* Sic bene MSS. 7900 et 8040. Quidam male *seres;* Pompeius imperat filio, non ut bella serat inter populos Orientis, id est, ut inter se committat eos, sed ut excitet ad arma pro se capienda et jungendas secum vires et copias. Hinc *concute* et mox *agitabis;* quæ ostendunt illas gentes nunc quietas, per quas bella feres, id est, dices pacem esse ruptam et bellandum esse. Sic *ferre verba, voces, nuntium ad aliquem*, et similia. Aut *afferes* communicabis *mea bella*, eos quiete rupta in prælia quæ meditor, trahendo. Ed.

644. *Triumphi.* Auxilio mihi adsint reges omnes et gentes, de quibus ego nostrique triumphavimus.

645. *Qui Latios,* etc. Consules, quorum nomina in Fastis præfigebantur suis annis. MSS. 7900, 8040, *Latio.* Sed quid erat opus *Latiu nomine*, quum omnes coss. haberent Romana nomina. Sed unaquæque gens quum suos fastos haberet, quos alii aliorum magistratuum nomine, Romani vero consulum, signabant, recte Lucanus *Latios* dixit. Sic *Latios fasces* III, 87. Sæpe fastos dicit Noster simpliciter, non addens *Romanos* vel *Latios*, quod per se satis cognoscitur, sed non raro etiam additur, III, 309, *Latiis annalibus;* VII, 409, *Romanis fastis.*

646. *Primus in Epirum*, etc. Quum primum flabit Boreas, in Epirum navigate, sollicitaturi Græcos et Macedonas. Sic *primo Aquilone* Virg. Æn. VII, 361.

647. *Macetumque.* Pro Macedonum, a recto *Maceles. Adquirite vires.* Imitatur Ovid. Met. VII, 459: «Ante tamen, bello vires adquirit amicas.»

648. *Dum paci dat tempus hiems.* Credit Burmannus olim fuisse : *Dum pacem dat tempus iners*, id est, inutile ad bellum. Alii velint *dum pacis stat tempus hiems*, id est, adhuc est, perstat; sed vulgata explicari potest : dum hiems sinit adhuc pacem durare. Ed.

649. *Jussa gerunt.* Verbum *gerere* commune cum *agere* vim habet. Paullum alio sensu apud Stat. Theb. II, 2, Mercurius dicitur *Jussa gerens Jovis*, id est, legatus, nuntius a Jove missus. — *Solvunt.... a litore.* Quippe fune tantum retinebantur. Conf. not. 621 supr. Ed.

At nunquam patiens pacis, longæque quietis
Armorum, ne quid fatis mutare liceret,
Adsequitur, generique premit vestigia Cæsar.
Sufficerent aliis tot primo mœnia cursu
Rapta, tot oppressæ dejectis hostibus arces;
Ipsa caput mundi, bellorum maxima merces,
Roma capi facilis: sed Cæsar in omnia præceps,
Nil actum credens, quum quid superesset agendum,
Instat atrox; et adhuc, quamvis possederit omnem
Italiam, extremo sedeat quod litore Magnus,
Communem tamen esse dolet; nec rursus aperto
Vult hostes errare freto, sed molibus undas

650. *At nunquam patiens pacis.* Pax sæpe pro otio. Cæsar nihil detrectans, omni in re properans, solitus « Successus urgere suos; instare favori Numinis, etc. (I, 148). »

651. *Ne quid fatis.* Ne sors instabilis posset mutationem rerum afferre. Frustra Jev. tentat *nutare*. Ed.

652. *Adsequitur.* Alii proponunt *Insequitur* contra MSS.—*Generique,* etc. Pompeium propere sequutus, Brundusium cum sex legionibus venit.

653. *Sufficerent aliis.* Collatio Cæsaris cum ingeniis aliorum ducum. Eadem arte Achillis virtutem laudat Racine, *Iphigénie,* Act. I, sc. 3, vs. 5 et sqq. Ed.

654. *Dejectis hostibus.* Alii e quibus MSS. 7900 et 8040 *depulsis*, forsan bene; Seneca tamen Provid. 4: « præsidium loco dejiciunt. » Sed *oppressæ* bene se habet, non *obsessæ*. Cæsar enim mox *præceps* dicitur; ad obsidendum autem tempus longius requiritur; ideo impatiens moræ *opprimere* festinabat.

655. *Caput mundi*, etc. Summi imperii sedes, triumphati orbis caput.

656. *Cæsar in omnia præceps.* Cæsar, quum dubitaret quo animo Pompeius Brundusii remaneret, veritus ne Italiam ille dimittendam non existimaret, cupiensque simul bellum conficere, ut Pompeium interciperet, exitus Brundusini portus præcludere constituit.

657. *Nil actum credens*, etc. Hoc transcripsit Justinianus L. VI, C. de his, quibus ut indign.: « Nihil enim actum credimus, dum aliquid addendum superest. » — Voltaire, *Essai sur la poésie épique*, cap. IV: « Une seule ligne, telle que celle-ci, vaut bien assurément une description poétique. » Ed.

660. *Communem tamen*, etc. Non tulit Italiam sibi communem esse cum Pompeio; nec voluit eum expulsum aperto mari posse fugere.

661. *Molibus undas*, etc. Ipse Cæsar apud Cicer. ad Att. IX, 14, scribit, *se ab utroque portus cornu moles jecisse*, ut aut cogat quamprimum copias trajicere, aut exitu

Obstruit, et latum dejectis rupibus æquor.
Cedit in immensum cassus labor; omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque immiscet arenis:
Ut maris Ægæi medias si celsus in undas
Depellatur Eryx, nullæ tamen æquore rupes
Emineant, vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.
Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
Tunc placuit cæsis innectere vincula silvis,
Roboraque immensis late religare catenis.
Tales fama canit tumidum super æquora Xerxen

prohibeat Pompeium. Qua fauces portus erant angustissimæ, molem ab utraque parte litoris in vado jaciebat. Qua vero agger, propter altitudinem aquæ contineri non posset, rates terra, cratibus ac pluteis contectas, et turribus adversus impetum et incendia munitas collocavit.

663. *Cedit in immensum cassus labor.* Labor immensus cedit incassum. Hypallage. Vel, in profundum cadit, et absorbetur vanus labor.

664. *Immiscet.* Id est, immergit. Injectas moles absorbent arenæ.

665. *Ut maris Ægæi*, etc. Neque tamen moles illæ magis portum obstruunt, aut in mare eminent, quam si in lacu Averno demergatur Gaurus, mons Campaniæ, aut in Ægæo mari Eryx mons Siciliæ, qui quoniam procul distat ad Ægæo, Sabellicus et alii *Athos* legendum autumant. Alii tentarunt: *ut maris Hadriaci*, non rectius, nam Eryx magis propinquus fuit Tyrrheno vel Africo mari. Hic autem Burmannus putat per Ægæum mare non intelligi illud magnum, quod ita appellari solet, sed illam partem maris Mediterranei ubi sitæ sunt insulæ Ægates in conspectum Drepani, cui imminebat Eryx; hoc autem Stephanus non *Ægœum*, sed *Ægusœum* vocat. Forte hic nomina non proprie sumenda sunt, et locus intelligendus est quasi de monte quodam in quodvis æquor dejecto, nec ad mare complendum sufficiente. Dubito an placere possit conjectura *Ætnœi*, ut mare Siciliæ vicinum ab Ætna celeberrimo monte sic appelletur, quod, opinor, sine exemplo est. Ed.

669. *Ergo ubi* etc. Supra vidimus laborem in cassum cecidisse: Cæsar autem videns nullum esse fundum, in quo moles injectæ possent teneri, silvas et robora, poetice pro ratibus, ad exitum portus prætendit. Cicer. ad Att. IX, 12: « Affertur circumvallatum esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri. »

670. *Vincula silvis, Roboraque*, etc. Rates conjunctas, et quaternis anchoris ex quatuor angulis firmatas.

671. *Immensis catenis.* Id est, longua et perpetua serie connexis, ne possent discindi. Ed.

672. *Tales fama canit*, etc. Qua-

Construxisse vias, multum quum pontibus ausus,
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,
Non Eurum Zephyrumque timens; quum vela, ratesque
In medium deferret Athon. Sic ora profundi
Arctantur casu nemorum. Tunc aggere multo
Surgit opus, longæque tremunt super æquora turres.
Pompeius tellure nova compressa profundi
Ora videns, curis animum mordacibus angit,
Ut reseret pelagus, spargatque per æquora bellum.

liter Xerxes μέγα φρονῶν, olim in Hellesponti freto ponte ex navibus ducto, ab Abydo urbe Asiæ *in* Seston urbem Europæ, pedibus trajecit exercitum. Herodot. VII, Mela, L. II, c. 2. MS. 8040 *Xersen*, alii *Xercen*; sed durior versus, et libenter legerem *Persen*, si per MSS. liceret. Ed.

673. *Construxisse.* Bentl. reponit *constravisse*, quo verbo in hac historia scriptores utuntur, et *constratum, stratum* mare dixerunt. Plin. Hist. IV, 24: « Xerxes... constrato in navibus ponte. » Conf. Justin. II, 10; Auctor Culicis, v. 30; et Juven. Sat. X, 173: « Creditur olim Velificatus Athos ... constratum classibus isdem, Suppositumque rotis solidum mare. » Ed. — *Multum quum pontibus ausus.* Id est, quum multum confisus huic ponti. Hoc tamen languidum visum est Bentleio, qui tentat: *tum quum dementibus ausis*, vel, *olim quum ingentibus ausis.* Vide autem post eum Van Jever, Disquis. var. ad calcem hujus libri. Ed.

674. *Admovit.* Diversas jungendo Europæ et Asiæ terras.

675. *Incessitque.* Iniit super fretum rapidi Hellesponti. Bentl. reponit *Incessitque pedes.* Sed male; namque non pedites tantum habebat secum; et tunc mutandum est *rapidum Hellespontum.* Ed.

676. *Eurum*, etc. Venti tamen, concitato pelago, pontem disjecerunt. — *Quum vela*, etc. Quum montem Macedoniæ Athon a continenti abscindi jussum circumnavigaret, vel perfossum diductumque transfretaret.

677. *Sic ora profundi*, etc. Sic fauces portus Brundusini ratibus roboreis e silvis excisis et in mare dejectis coarctantur.

678. *Aggere multo*, etc. Trabibus terra constratis.

679. *Longæque tremunt*, etc. In quarta quaque ratium turres binorum tabulatorum excitatæ.

680. *Pompeius.* Ubi videt portus ostia et fauces aggere præclusas, omni studio et conamine laborat, ut ratibus Cæsaris perruptis refractoque aggere viam sibi aperiat Dyrrhachium trajecturo.

682. *Ut reseret pelagus.* Ut aperiat mare, et obices solvat. Sulp. — *Spargatque.* In Macedoniam per mare transferat bellum. Alii, machinas bellicas dissipet, minus bene. Sic enim

Sæpe Noto plenæ, tensisque rudentibus actæ,
Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
Discussere salo, spatiumque dedere carinis;
Tortaque per tenebras validis ballista lacertis
Multifidas jaculata faces. Ut tempora tandem
Furtivæ placuere fugæ, ne litora clamor
Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas,
Neu tuba præmonitos perducat ad æquora nautas,
Præcepit sociis. Jam cœperat ultima Virgo

III, 64: « Bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras. » Ed.

683. *Sæpe Noto plenæ.* Pompeius naves magnas onerarias turribus trium tabulatorum instructas ad opera Cæsaris disturbanda appellebat; sic quotidie utrimque fundis, sagittis, reliquisque telis pugnabatur; quæ naves, ut vult Lucanus, aggerem Cæsaris diruperunt. Auctor tamen Comment. dimidiam vix operis partem a Cæsare effectam refert. — *Noto plenæ.* Naves quarum vela vento inflabantur. Plin. IX, 25: « Navis plena vento. » Ed.

685. *Discussere salo.* Nempe in salum, in mare, effudere molem Cæsaris jussu exaggeratam. — *Spatiumque*, etc. Aperuere viam, qua Pompeius cum navibus evadere posset. Vult Jever.: « Discussere salo, spatiumque dedere ruinæ, » id est, ruinæ disjectæ molis spatium ad exitum fecere. Sic VI, 122: « Dedignatur iter, latis exire ruinis Quærit. » *Ruinæ* et *carinæ* sæpe in MSS. confusa. Vide Burm. ad VIII, v. 269, et IX, v. 33. Quidni in vulgata acquiescimus? Ed.

687. *Ut tempora*, etc. Pompeius tempus fugæ opportunum nactus, ne Cæsariani milites sub ipsa profectione oppidum irrumpant, portas obstruit, vicos plateasque transversis fossis et sudibus præacutis præsepit. Milites silentio naves conscendere jubet, etc. Conf. Cæs. Bel. Civ. I, 27.

688. *Clamor Nauticus.* Nautarum solventium et se invicem cohortantium κέλευσμα.

689. *Buccina.* Quæ vigiliarum distinctiones indicare solet.

690. *Neu tuba*, etc. Neu tuba signum profectionis canat. Tuba nautæ admonebantur ad vela et remos, quum e portu exeundum erat: Senec. Troad. 1042 « Et tuba jussi dare vela nautæ. » Hic Weber: « Bentl. male hunc versum pro spurio habet, verbis *ne... exagitet* male intellectis, in quibus nihil de relicto oppido, sed tantum ne clamor nautarum Cæsarianos qui in litore sint, excitet. » Credo versum genuinum esse, sed defensionem non probo, quæ Cæsarianos verbo *nautas* designari innuere videatur. Ed.

691. *Jam cœperat ultima Virgo.* Videtur poeta ex heliaci Virginis ortus notatione innuere Pompeium Brundusio discessisse sub æquinoctio autumnali circa medium Septembrem: quum ex Ciceronis epistolis et Commentariis de bello civili (Cæsarisne illi sint, Oppii vel Hirtii) constet cœptum hoc bellum post co-

Phœbum laturas ortu præcedere Chelas,
Quum taciti solvere rates. Non anchora voces
Movit, dum spissis avellitur uncus arenis:
Dum juga curvantur mali, dumque ardua pinus
Erigitur, pavidi classis siluere magistri:
Strictaque pendentes deducunt carbasa nautæ,

mitia, ineunte Januario; Ariminum et alia oppida capta a Cæs. in Februario; Pompeium excessisse Brundusio in Martio; rediisse ad Romam Cæsarem, devicisse Pompeii duces, Massiliam oppugnasse eadem æstate; sequente deinde anno in Pharsalicis campis depugnatum fuisse. Dio tamen scribit, *autumnum jam exiisse*. Lib. XLI. — *Ultima Virgo*. Ultima virginis signi Zodiaci pars, quam excipit Libra, quæ dicitur Chelæ, pendetque a prima Scorpionis parte. Hortens.

692. *Phœbum laturas*, etc. Hortensius explicat: sub auroram, seu potius una cum aurora, paullo ante exortum solis, Cæsarianorum stationes perrupit. Male, ut opinor, quum Appian. de Bell. Civil. Rom. Lib. II, Pompeium circa vesperam solvisse scribat, et Cæs. de Bel. Civ. Lib. I, dicat sub noctem naves solvisse. Sed indicatur anni tantum, non diei tempus, et describitur ortus Virginis heliacus. «Illud enim tempus erat, quando circa ortum diei Virgo cum Scorpione oritur, in qua erat Sol.» Sumpserunt Hortensius aliique *laturas* pro *allaturas ortu Phœbum*; quum sint jungenda *ortu præcedere*, et *laturas* sit gesturas, in signo Scorpionis nempe. Immo, licet jam primum ortum solis hæc verba significarent, non tamen erraret in eo Lucanus; nam apparatum profugiendi vespertinum, et nocturnum fuisse, satis clare dicit, et auroram demum fuisse, quum Pompeius plenum mare teneret, v. 720, etc. — *Chelas*. Scorpii brachia, quæ tribuuntur Libræ, quæ Virginem excipit.

693. *Quum taciti*. MS. *Tacitas*, non male, ut sit hypallage; sed imitatur Maronem, Æn. III, 667: «Tacitique incidere funem.» — *Non anchora voces*. A signis alti silentii in fuga Pompeii. *Voces movit*. Id est, clamorem non excivit; nam cum voce hortantium extrahi solet anchora.

695. *Dum juga*, etc. Dum antennæ inclinantur. — *Pinus*. Malus.

696. *Pavidi magistri*. Gubernatores navium Pompeianarum nullo hortamine, aut clamore usi sunt. Ed.

697. *Strictaque pendentes*. Extremum conatum nautarum oculis subjicit, in explicandis, evolvendisque velis, et velorum alis. Hortens. — Alii, *pandentes*. Sed MS. 7900, *pendentes*. Non quidem damnandum *pandentes*. Sic V, 429: «...summaque pandens Suppara velorum.» Sed quum idem sit, quod *deducunt*, præstare videtur *pendentes*. Eleganter sane, et ut ait Scholiastes, «pendentes in malo; gestum ostendit appendentium vela»; et sic alii quoque interpretes. Alias stantes in navi possent quidem demittere vela; sed hic ne stridorem emitterent magnum, in malo et funibus pendentes manu laxabant ea, et

Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes.
Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,
Quam retinere vetas, liceat sibi perdere saltem
Italiam. Vix fata sinunt; nam murmure vasto
Impulsum rostris sonuit mare, fluctuat unda,
Totque carinarum permistis æquora sulcis.
  Ergo hostes portis, quas omnes solverat urbis
Cum fato conversa fides, murisque recepti,

demittebant. *Pendere* autem pro quocumque modo inhærere sumunt poetæ. — *Deducunt*, etc. Explicant vela antennis substricta. Antiquorum vela ita erant malo accommodata, ut deduci deberent, quum expandebantur. Ovid. Metam. III, 663: « Velaque deducunt. » Valer. Flacc. II, 403: « primo deducere vela sereno. » *Stricta* autem carbasa, sunt constricta, adligata antennis, contraria *laxis*. Sic *strictissima janua* Ovidio pro *arcta*.

698. *Ne sibilet aura*. Ne concussorum rudentum sonitus fugam prodat.

699. *Dux etiam*, etc. Pompeius.

700. *Perdere*, etc. Absque jactura relinquere, tuto discedere, deserere. Vult Bentl.: « Liceat sibi *cernere* saltem Italiam. » Et sic explicat: desiderio patriæ ingenti ardebat Pompeius; invitus eam relinquebat; oculos, quandiu posset, satiare cupiebat visu patriæ. Optat igitur, ut *illam sibi saltem cernere liceat*. Hæc autem otiosa sunt, nec cum sequentibus cohærent. Ed.

701. *Vix fata sinunt*, etc. Non licet. Neque enim sine strepitu potuere tot naves remis velisque educi e portu.

703. *Totque carinarum...æquora*. Scil. fluctuant. Burman. imperfectum sensum sic refici voluit: « Totque carinarum *permiscent* æquora sulci. » Bentleius refingebat: ... fluctuat unda *Torta* carinarum permixtis *verbere* sulcis. » Jevero *mare, unda, æquora* in duobus continuis versibus Lucani manum non arguunt. Legendum putat: « *Tota* carinarum permixtis *ordine* sulcis. » Hoc sensu: « Et æquor totum fluctuat sulcis carinarum *ordine* navigantium. » Quis locum sanabit, si tamen corruptela laborat? Ed.

704. *Ergo hostes portis*, etc. Brundusini Pompeianorum militum injuriis atque ipsius Pompeii contumeliis permoti, Cæsaris rebus, nec fortunæ minus, faventes, Cæsarianos per admotas scalas ascendentes recipiunt; qui moniti, ut fossas et sudes præacutas caveant, longo itinere a Brundusinis circumducti ad portum perveniunt, duasque naves cum militibus, quæ ad moles Cæsaris adhæserant, scaphis deprehendunt. — *Omnes*. Parum refert, an omnes sint apertæ portæ, an quædam, dum Cæsar modo cum exercitu posset intrare. Unde Oudend. malit, ut in MS. 7900, *omnis*, id est, totius urbis.

705. *Cum fato conversa fides*. Poeta cum fato fidem mutatam esse dicit; nam cum fuga Pompeii Brundusini fidem mutarunt. Hortens.

Præcipiti cursu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusque dolent contingere classes.
Heu pudor! exigua est fugiens victoria Magnus.
  Angustus puppes mittebat in æquora limes,
Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.
Hic hæsere rates geminæ, classique paratas
Excepere manus; tractoque in litora bello,
Hic primum rubuit civili sanguine Nereus.
Cætera classis abit summis spoliata carinis:
Ut Pagasæa ratis peteret quum Phasidos undas,

706. *Cornua portus.* Portum cervi cornua referentem.

707. *Ora petunt.* Ostia portus. — *Classes.* Quot *classes?* rogat Bentl. et conj. *classem*, vel *classi* Ed.

709. *Limes*, etc. Limes ille, per quem exibant Pompeianæ naves, erat angustior Euripo, qua juxta Chalcida interluit Euboicam insulam et Bœotiam. MS. 8040 *quæ Calchida*.

711. *Classique paratas ...manus.* Passæ sunt uncos ferreos, ad naves retinendas fabricatos; quem sensum confirmat sequens *tracto.* Corrigit Bentl. « ... *cædique paratæ* excepere manus.» Quippe *excipere*, et hic, et apud Cæsarem, perinde est ac *occidere*. *Paratæ cædi* active, expeditæ ad cædem. Ut Æneid. II, 334: « ... stat ferri acies, mucrone corusco Stricta, parata neci.» *Cædi* mallem, si per MSS liceret; ne v. 707, *classes*, hic iterum *classi*, et mox 714, *classis* summo tædio inculcentur. Ed.

712. *Tractoque in litora bello.* Conserto prælio per noctem tumultuario cum Pompeianis, qui in duabus illis navibus pertrahebantur ad litus.

713. *Nereus.* Mare.

714. *Summis ... carinis.* Bip. corymbis, et malebat Heins. vel *coruchis*: ut omnes naves fuerint spoliatæ exstantibus ἀκροστολίοις, et ornamentis puppe dependere solitis, sicut Argo est spoliata puppe, concussione Symplegadum. Ingeniose sane; et hanc conjecturam probat Burmann. in Valer. Flacc. L. IV, 691: « Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis; Parsque (nefas) deprensa jugis.» Verum MSS. nihil mutant. Si cui ergo placet *carinis*, dicendum erit Lucanum instituere comparationem inter totam Pompeii classem, quæ duabus carinis *summis*, id est, *extremis*, *novissimis*, ut bene exponit Scholiastes, spoliata est, et unam navem Argo, quæ extrema sui parte sive puppe est privata. *Minor rapta puppe* dictum, ut apud Silium III, 42, *frontem minor*, truncus. Hic Bentleius reponit: « Cetera classis abit, *sociis* spoliata carinis.» Sociæ carinæ, ut socia arma, socia agmina, sociæ acies. Ovid. Metam. XIII, 352: « Nec tu quum socia clypeum pro classe tenebas.» Æneid. V, 35: « At procul e celso miratus vertice montis Adventum sociasque rates, occurrit Acestes.»

715. *Ut Pagasæa*, etc. Ut Argo

Cyaneas tellus emisit in æquora cautes,
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,
Et statura redit. Jam Phœbum urgere monebat
Non idem Eoi color ætheris, albaque nondum
Lux rubet, et flammas propioribus eripit astris;
Et jam Plias hebet, flexi jam plaustra Bootæ

olim, qua Jason cum Mioyis e Pagaso, Thessaliæ oppido, solventes petebaot Colchos Phaside fluvio celebres, transmissa per Cyaneas, seu Symplegadas insulas, quæ concurrere inter se fiuguntur, e collisione insularum deminuta est parte puppis extrema. Vide quæ ad Senecæ Medeam, 341, et Herc. Fur. 1210.

716. *Tellus emisit.* Tellus, quasi irata novis nautis, cautes emisit, ut naves transeuntes colliderent. — *Cyancas cautes.* Duæ insulæ vicinæ et parvæ in Ponto, coutra Thracium Bosphorum, quæ quia olim concurrere creditæ, dictæ sunt *Symplegades*, id est, concurrentes. SULP.

717. *Rapta puppe.* Alii *rupta.* — *Subducta est.* Liberata a concussu montium.

718. *Vanaque.* Iostabilis; vel potius, nihil nocens concurrendo. — *Percussit pontum.* Non navim. Imitatus est Valer. Flacc. IV, 221 : « Et ponto volitet Symplegas ioani. » BENTL. Hunc vero totum locum retractat Jever : Argo, inquit, et Pagasæa ratis, inepta ταυτολογίᾳ conjunguntur; idem dixero de cautibus, montibus et Symplegade. Præterea, quid in medio mari hic *tellus* faciat, videre nequeo, nec, quomodo illa Cyaneas in æqoora emittere potuerit? Igitur refingit : « Ut Pagasæa manus, » id est, Argonautæ. Dein : *Cyaneas æstus commisit cautes*, id est, collisit, committere fecit. Quæ ingeniosa sunt. ED.

719. *Statura.* Permansora immota. Cf. Val. Fl. IV, 708, sqq. ED. — *Jam Phœbum...* Jam Orientis rolore pullo in croceum, mox roseum mutatus, prænuntiabat solis ortum appetere.

720. *Albaque nondum.* Quæ solem jamjam emersurum antecedit, cujus accessu propiore stellæ obscurantur : illarum autem lucem *flammas* hoc loco nomioat poeta per similitudinem.

721. *Flammas propioribus*, etc. Major lux offuscat minorem, et eo citius, quo vicinior est.

722. *Plias*, vel *Pleias.* Vergiliæ, stellæ septem in humero, seu capite Tauri, obscurantur. — *Plaustra Bootæ.* Ursa major, cujus septem stellas lucidiores secundæ magnitudinis, plaustrum vulgo dictum Bootes sequi videtur, « custos Erymaothidos Ursæ Arctophylax formam terga sequentis habet. » Ovid. Fast. II, 190, al. — *Flexi.* Alii male *fessi*. *Piger* quidem et *tardus* recte dicitur Bootes, qui non longe a polo situs, in minore circulo tardius ire videatur necesse est. At cur *fessus* dicatur, qui æquali semper tenore circumagitur, nec ratio, nec exemplum est. *Flexi* habent omnes codices cum Rom. et Ven. *Flexi plaustra Bootæ*; quod explicari po-

In faciem puri redeunt languentia cæli,
Majoresque latent stellæ, calidumque refugit
Lucifer ipse diem. Pelagus jam, Magne, tenebas,
Non ea fata ferens, quæ quum super æquora toto
Prædonem sequerere mari. Lassata triumphis
Descivit fortuna tuis. Cum conjuge pulsus,
Et natis, totosque trahens in bella penates,
Vadis adhuc ingens, populis comitantibus, exsul.
Quæritur indignæ sedes longinqua ruinæ:
Non quia te Superi patrio privare sepulcro

test, vel poetice pro *flexa plaustra*; vel, quod verum est, quia, quibos neutrum sidus umqoam occidit, *flecti* et *verti* tam Bootes, quam plaustrum videtur. Noster IV, 523: « ... flexoqoe Ursæ temone paverent.» Ovid. Met. X, 447: « Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.» *Flexi* et 7900; sed 8040 *flexo .... Boote*.

723. *In faciem*, etc. Majori luce obscurata colorem ætheris induunt. — *Languentia*. Id est, paullatim deficientia.

724. *Majoresque latent stellæ*, etc. Ovid. Met. II, 114: « Diffugiunt stellæ, quarom agmina cogit Lucifer, et cæli statione novissimus exit. »

726. *Non ea fata*, etc. Non alios insequutus, ut olim piratas Cilicas, supra 576, sed fogiens. Audi Florum: « Et peractum fuerat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundusii opprimere, ut cœperat, potuisset. Sed ille per obsessi claostra portus oocturoa fuga evasit. Turpe dictu. Modo princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum a se mare lacerata et pæne inermi oave fugiebat.» — *Quum super*. Fere amplectar lectionem MS. 7900: *Quum super æquore toto Prædonem sequerere maris*. Sic enim tollitur ταυτολογία *super æquora* et *toto mari*, et eleganter jungitur *prædo maris* pro *pirata*. Livius enim VII, 25: « Prædones maritimi cum terrestribus. » Non tamen nego *prædonem* simpliciter pro *pirata* poni. *Tuto ... mari*, i. e. a piratis liberato, volebat Heinsius, male. Ed.

727. *Prædonem*. Cilicas.

728. *Descivit*. Id est, defecit et recessit. Alii male *Deseruit*; et MS. 7900 *Destituit*, non melius. Nepos in Datame, c. 7: « Ab hoc tamen viro Scismas maximus natu filius desciit.» Stat. Theb. II, 311: « Respiciens descisse Deos.» Ubi audiamus Lutatium hæc scribentem: « Descisse ergo, quasi ab amicitiis, ut civitas, quæ ad hostes decurrit, dicitur. Ut Lucanus: Lassata triumphis Descivit Fortuna tuis.» — *Conjuge pulsus*. Cornelia, supra v. 349.

729. *Natis*. Cneo et Sexto.

730. *Ingens*. Magnæ auctoritatis, propter comites coss. principem senatus partem, et exercitum.

731. *Quæritur indignæ*, etc. Conf. Mart. Lib. V, Ep. 74.

Maluerint; Phariæ busto damnantur arenæ:
Parcitur Hesperiæ, procul hoc ut in orbe remoto
Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus
Immaculata sui servetur sanguine Magni.

733. *Phariæ busto*, etc. Ægyptiaca arena destinatur sceleratæ cædi et tristi sepulcro Pompeii, « sed ipsum Terra tegit Libyes, si tamen ulla tegit. » Epigr. Mart. supr. citato. Vitiose alii dederunt *damnatur*. Sensus apertus est. Non ideo Ægyptia tellus condemnatur, et quasi in pœnam ei imponitur, ferre bustum tuum, quia Dii te voluerunt privare patrio sepulcro, sed quia parcitur Hesperiæ, etc. Sic VII, 847 : « Thessalia infelix, quo tanto crimine tellus Læsisti Superos, ut te tot mortibus unam, Tot scelerum fatis premerent? »

734. *Parcitur Hesperiæ*. Ne Italia tot Pompeii victoriis servata, tot triumphorum illius spectatrix, nunc eum cernat victum, aut cæsi sanguine contaminetur.

IN LIBRUM SECUNDUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

VERS. 28 sqq. *Cultus matrona priores...fudere comas.* Corruptus hic locus Jevero visus est, cui displicent *priores cultus*, de quibus antea loquutus non est: sed quod illæ mulieres mæstæ primum lacrimis spargunt Deos, antequam pectora solo duro affigant et comas in limine ponant, et tum postea invidia Deos onerant, hoc ipsa vanitate vanius pronuntiat. Dein vero, cur hic *attonitæ* illæ mulieres dicantur, nulla ratio excogitari posse putat, quum supra *attonitas domos* dixerit. Hæc, credo, causa fuit, cur pro *Attonitæ* BENTL. reseribi voluerit *Ante Jovem*. Sed mutatio non probanda videtur Jevero, qui audacius omnem locum refingit:

Cultus matrona *decoros*
Deposuit, mæstæque *petunt* delubra catervæ.
Hæ lacrimis sparsere *gradus*, et pectora duro
Afflixere solo, lacerasque in limine sacro
Attonsæ fudere comas, etc.

Decoros cultus rescripsit pro *priores*. Sic supra I, 164: « Cultus gestare *decoros* Vix nuribus, rapuere mares ». Sed *priores* hic designat solitos cultus, qui ante luctum gerebantur; nunc autem induuntur *mæsti lugubria cultus*, ut vs. 365. In codice Barberino est *Seposuit;* quod notandum putavit Burmannus, ut longiorem in lugubribus luctum indicans: nam vestes, quibus diu usuræ non essent, in arca solebant seponere, et condere, quas iterum lætis rebus resumebant. Tibull. II, Eleg. V, vs. 7:

Sed nitidus pulcherque veni, nunc indue vestem
Sepositam.

Et ejusmodi illæ vestes stragulæ Philemonis et Baucidos, apud Ovid. Met. VIII, 657: « quas non nisi tempore festo Sternere consuerant. » Heinsius malebat: « cultu matrona priore Deposito, » sed tunc sequentia minus bene

cohærere videntur, et durum esset *matrona mœstæque* conjungere. *Petunt delubra*, pro *tenent*, exemplo Senecæ, Œd. 199:

Delubra petunt
Haud ut voto numina placent,
Sed juvat ipsos satiare Deos.

Gradus vero pro *Deos*, quia *gradus* templorum osculari, lacrimis spargere, templi postibus caput tundere, quin et summo in luctu crines *attondere*, et *sectos capillos* in limine templi ponere solebant Romani.

Affixere tuetur Burmannus. Cum Bentleio tamen Jever *afflixere* præferendum putat, quod jam Grotius vindicaverat. Si enim rationes hic militare debent, utut *affigere* longiorem et pertinaciorem luctum significare videri possit, *affligere* magis sævitiam et impatientiam doloris indicabit; nam quid huc diuturnus luctus faciat, non video, licet vel integrum mensem solo prostratæ jacuisse dicantur matronæ. Omnia ad *sævitiam* doloris hic composita vides, lacrimis spargunt gradus, corpora solo allidunt, comas detonsas in limine ponunt. *Attonsæ fudere comas.* Attondere crines in luctu solitos fuisse Romanos constat. In funeribus amicorum crines abscindebant et mortuo imponebant. Senec. *in Hippol.* 1179:

Placemus umbras, capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe *abscissam comam.*

Sic refert *Dionys. Halicarn.* Lib. XI, p. 720: virgines et matronas Romanas, quum funus Virginiæ efferretur, veluti in communi et publico luctu, in lecticam ejusdem non solum floreas corollas vittasque et capitum ornamenta, sed et abscissos capillorum cincinnos injecisse, πλοκάμων ἀποκεκαρμένων βοςρύχους. In hoc publico igitur luctu matronas, quasi in patriæ funere, comas abscidisse et in limine templorum posuisse dixerit Lucanus. — Non tamen ideo intrudendum *attonsæ*, quod redundaret eum sequentibus *fudere comas*. Immo *laceras comas* non bene cohæreret; non enim opus abscidere, si jam laceraverint. Sola causa mutandi repetitio fuit *attonitæ*, sed in Lucano vix talia sunt notanda. Omnia vero quoad sensum se bene habent: non enim hic injectis capillorum cincinnis locus est, sed quia pectora solo adfigebant, ideo laceræ comæ in limine effundebantur. Ed.

Quia versu 34 dicitur non cunctas in Jovis templo fuisse, Bentleius inde putat id indicio esse *nonnullas* in id templum convenisse: atqui, ut nunc est, nulla prius hic mentio fit vel Jovis, vel templi Tonantis. Ex his restituit:

Lacerasque in limine sacro
Ante Jovem fudere comas.

In æde Capitolina comas fuderunt ante Jovis simulacrum; nec tamen ibi

cunctæ, sed divisere Deos, aliæ alios adierunt, ut nullum in tota urbe templum a lugentibus supplicibusque vacuum esset.

54. *Hinc Dacus premat, inde Getes.* Hæc mendosa, si Bentleio fides. Dixerat poeta: «omnibus hostes reddite nos populis; civile avertite bellum». Post Parthos, Massagetas, Suevos, generatim dicit omnes populos, ibique clausulam orationi ponit: bellum modo civile, o superi, avertite. Unde ergo denuo orditur speciatim gentes numerare? *Hinc Dacus, inde Getes nos premat.* Jam autem illa, quæ sequuntur, propius intuere. *Hinc Dacus, inde Getes premat* (Romanos), *alter* (ex ducibus Romanis) *occurrat Hispanis, hic occurrat Parthis.* Concedamus jam ut *alter* distributionem illam recte inchoare possit: si duo tantum duces Hispanis et Parthis occurrant, quis occurret *Daco* et *Getæ?* quis *Massagetæ?* quis omnibus populis et mundo in arma conjurato? Actum erit de re Romana, nisi melius subveniatur. Quid multis opus?

Hic Dacos premat, *ille Getas:* occurrat Iberis
Alter: ad Eoas hic vertat signa pharetras.

Quatuor jam duces et exercitus habes; ab omni telluris parte cautum est, ab ortu, ab occasu, ab arcto: nam ab austro mare defendit. Quam recte nunc inferat: «Nulla vacet tibi, Roma, manus», quod si duos tantum nomines, inepte subtexitur. BENTL.— Hanc sententiam ut admittas, dubitamus an *premere* pro *reprimere* possit capi, quod necesse esset, si cum Bentleio non de hostibus Romæ infensis, sed de Romanis ducibus Daco et Getæ occurrentibus, interpretemur. Nunc vero audiamus Jeverum:

Locus corruptus. *Dacus* enim et *Getes* male Romanos premere videntur contra mentem poetæ, qui optavit, ut Dii omnibus populis hostes redderent Romuli nepotes, ne bello civili vacare possent. *Getes* quoque, numero singulari, non admodum placet. Causa hæc *Bentleio* fuisse videtur rescribendi: *Hic* Dacos *premat, ille* Getas; ut *premat* sit positum pro opprimat vel compescat. *Hic* et *ille* recte Bentleius. Locus hinc, nisi fallor, fuerit sobriæ et verissimæ emendationi:

Hic Dacos petat, ille Getas: occurrat Iberis,
Alter: ad Eoas *is* vertat signa pharetras!
Nulla vacet tibi, Roma manus!

petat scripsi pro *premat*, quæ sæpe confusa in MSS. vid. not. Burmanni ad Lib. II, v. 310, et Lib. VI, 189, et alibi. Dein *is* lego; *Hic* petat Dacos (bello), *ille* Getas: *Alter* (sive tertius) Iberis obviam tendat: *is* (quartus) oppugnet Parthos. JEV.— Hæc refutantur notis, ubi moneo non enumerationem esse populorum, sed primo optare poetam, ut exteri hostes Romam premant sc. Dacus et Getes: secundo, ut duces Romani, Cæsar et Pom-

peius, cum omnibus Romæ exercitibus, hic ad Orientem, ille ad Occidentem, bellis exteris occupentur. Ed.

57. *Collapsus in ignes Plurimus ad terram per fulmina decidat æther.* Oudendorpio elegantior et efficacior videtur lectio quorumdam codd. *collatus;* quia melius exprimit vim, et vehementiam fulminis καταιϐάτου, ut totus æther, et omnes ejus partes undique collectæ in fulmina abiorint, et mutatæ fuerint.—*Per fulmina. Flumina* est in quibusdam, et Oudendorpius præferre videtur. Majus enim quid vult, quam fulmen decidere; nempe totum sic in flammas mutatum æthera ruere, et descendere. Quomodo de densissimo imbre loquitur Ovidius, Metam. XI, 517:

Inque fretum eredas totum descendere cælum.

Per flumina autem explicandum erit nimbose, et densissimi imbris more. Ignis autem sæpissime aquarum multitudini comparatur. Lib. I, 655:

Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, Leonem
Nunc premeres, totu fluerent incendia mundo.

Prudent. Apotheosi 316:

A Domino Dominus flammam pluit in Sodomitas.

Si retineas *fulmina* bis idem dicet: nam *æther collatus in ignes*, an aliud quid, quam fulminis notat descriptionem?—Retinemus *fulmina:* æther enim decidit per fulmina, i. e. dum vehementer fulminat, totus æther igneus videtur in terram descendere, quod nihil aliud est, quam si ruere per fragorem dicamus cælum. Ed.

69. *Quum post Teutonicos victor, Libycosque triumphos.* Difficile est probare constructionem: quum Marius *victor exsul* abdidit caput. Lucano hoc abjudicat Bentleius conjicitque: Quum post Teutonicos *demum* Libycosque triumphos. Virgil. Æn. X, 849: « .... heu nunc misero mihi demum Exsilium infelix! » Marius *exsul victor* merito displicet Bentleio, inquit Jever; nam se mutuo hæc evertunt. Sed quod pro *victor* legit *demum*, non possum probare. Si saltem *vilis* reposuisset, ut Marius vilis exsul diceretur, a Sulla urbe ejectus, tolerari hoc posset. Crediderim puetam nobis reliquisse.

Quum post *Teutonicas laurus* Libycosque triumphos
Exsul limosa Marius caput abdidit ulva.

Laurus Teutonicas vocat triumphum de Teutonibus, ut *piraticam lauream* vocat triumphum de piratis, Lib. I, v. 121:

Et victis cedat *piratica laurea* Gallis.

ex quo loco *victos* defendi quoque potest, nisi turpis κακοφωνία quatuor

vocum, similiter exeuntium, plane vetare hoc videretur. Jev. — Quatuor quidem libri *vietos* exhibent. Ed.

71. *Stagna avidi texere soli.* Multa hic moliuntur viri docti, et vulgatæ quidem explicatio non facilis est. Vix enim cuiquam placebit *avidi;* nec solum ita posse dici putem, ut avidum et avarum mare, quod haurit et absorbet naufragos. *Uvidi* est in MS. P. onde emendavit Grotius: Stagna udi texere soli. Sic Lib. III, 85: « Et qua Pomptinas via dividit uda paludes. »

Udi soli quoque tuetur *Oudendorpius*, qui pro *laxæque paludes* scribebat *crassæque*, vel legendum conjiciebat, « Stagna udi texere soli, *texere* paludes; » eleganti ejusdem verbi repetitione. *Withof.* in Encaen. *Crit.* p. 35 rescribit, *spissæque paludes.* Burmannus variis modis tentat locum, et nunc conjicit *stagna vadi texere solo*, vel *stagna vadis texere soli;* nunc *stagna cavo texere loco;* sed tandem vulgatam defendit, ut *laxæ paludes* opponantur arcto carceri. Omnes vero æstus virorum doctorum facile componi posse videntur Jevero, si legatur: « Stagna *udi* texere *soli*, *cannæque palustres* Depositum, Fortuna, tuum; »*udum* enim *solum* est cœnum. Firmat *Ovidius*, ex Pont. IV, Eleg. III, v. 47:

In cœno latuit Marius cannaque palustri,
Pertulit et tanto multa pudenda viro.

In cœnosa enim palude latuit Marius, nudus et *limo* obrutus, oculis tantum et naribus eminentibus, extractusque *arundineto* circa paludem Maricæ, in quam se abdiderat, in carcerem Minturnensium perductus est, teste Velleio, Lib. II, c. 19. *Arundinetum* Velleii *cannas palustres* Ovidii exprimit, quem imitatus plane noster Lucanus. Jev. — Forsan possit ex Plutarcho emendari: « Stagna cavi texere soli »: tradit enim ille senem quemdam occultasse Marium ἐν χωρίῳ κοίλῳ, in loco cavo ad fluvium, et super injecisse arundinem multam aliamque materiam. Cæterum, fateor, *avidi* hoc loco epitheton molestum videtur. Ed.

80. *Terribilesque Deos scelerum, Mariumque futurum.* De hac historia Livius, Epit. LXXVII: Missus, ait, ad occidendum Marium servus, natione Gallus, majestate tanti viri perterritus recessit. Hic Jever: *Terribiles* illi *scelerum Dii* mihi ignotissimi sunt, elex lib. VII, v. 168, huc delati videntur. Virorum quoque doctissimorum explicatio de *Furiis*, et reliquis *Diis*, *scelerum ultoribus*, mihi probari non potest. Menti enim poetæ adversari plane videtur. Scholiastes etiam aliud suadet, qui, si vulgatam lectionem hic expliearet, suaviter nugaretur, ad vocem *terribiles* aureum hoc scholion exhibens: id est, qui admissum *terreant scelus.* Corruptus locus est. *Marium futurum*, quæso, quomodo in tenebroso hoc carcere videre potuit miles, qui voce Marii attonitus, abjecto gladio, pavidus aufugit? et quam ridiculum fuerit, *futurum Marium* explicare, qualis postea futurus esset ab exsilio revocatus, hinc liquet, quia de oculorum et aurium sensu hic agit poeta.

Immensam lucem in tenebroso carcere cum vidisse, ait poeta: verum unde lux ista, tacet. Dictum sane oportuit. Quare restat, ut ego jam dicam: Ex oculis Marii lux illa venit, qui videns in carcere Cimbrum, stricto mucrone ad se pergentem, ira et indignatione furens, oculis præ iracundia scintillantibus resurgens, alta voce his verbis eum increpuit: « Tu, vilis Cimber, audes occidere Caium Marium? » Non tulit lucem Marii oculorum miles, pavidus profugit, et gladius ei excidit manu. Legendum puto:

Viderat immensam tenebroso in carcere lucem,
Terribilesque *minis oculos*, Mariumque *furentem*.

Deos scelerum supposititia esse errore librarii putat Jever, quod vix credam. Sic tamen emendationem suam tuetur. *Terribiles minis oculos* dixit, ut Lib. VI, v. 517: terribilem Stygio pallore faciem. Ita tandem Scholiastæ verba aptàm explicationem habere videantur; nam scintillantes et minarum pleni Marii oculi recte dicuntur terrere *admissum scelus*, sive sceleratum percussorem Mario immissum. *Furentem Marium* interpretatur, ira et indignatione plenum, forti audacia percussori adsurgentem, eumque alta voce increpantem: Tune audes occidere Marium? Pavidus fugit miles, relicto gladio, consternatusque dixit se non posse occidere *Marium*. Hoc miraculo nempe moti Minturnenses eum tandem elabi passi fuere. Denique Jever putat posse legi, *Terribilesque Diis oculos*, uti lib. VIII, v. 665, Pompeio dat *iratam Diis faciem*. Sed audiamus Weberum. — Versus *Terribilesque.... futurum* salvo sensu abesse, et ab alio, si rem spectes amplificandi causa, additus esse potest; sed si verba ipsa attendas, genuinus videtur. *Marius* enim *futurus*, per emphasin ita dictus, ut Schol. Lips. explicat, *qualis futurus erat*, vel *talem*, *qualis erat futurus*, *quum Romam invasit*: *Marius futurus*, inquam, ut multa alia ejusmodi, Lucanum maxime prodit, atque male a Clerq. in *furentem*, quo vis totius loci perit, correctum est. Recte deinde *terribiles Deos scelerum*, quibuscum Burmann. VII, 168, comparat, quo ex loco apparet, hæc de Mario, sicuti de Cæsare infra dicta, Lucano dignissima, corrigi minime debere. Fingit enim Lucanus, ut ejusmodi res exaggerat, maxime ubi animo commotiori in aliquem invehitur, fingit *Deos scelerum Marium sequutos*, semper eum observasse atque agitasse, sicuti alios hujusmodi homines, cf. VII, 168 sqq. neque verba menti poetæ adversantur. Vide quam male et quam audacter Bentl. et Clerq. h. l. versati, et quomodo Schol. Oudend. male intellectus sit, cujus verba explicat Schol. Lips. *i. infernales*, *qui vetabant ipsum interfici*. *Terribiles* sine dubio sunt Dii *horrendi*, *horridi*. Recte *Deos*, non *Deas*, quod contra MSS intrudere volebat Cortius: *deos scelerum*, *i. dæmones*, *qui præsunt sceleribus*, neque de solis Furiis intelligi debet. WEBER.

119. .... *Vix te sparsum per viscera*, *Bæbi*, *Innumeras inter carpentis membra coronæ Discessisse manus*. Heinsius conjecerat *disperiisse*, et ipse firmat ex Juvenalis III, 260:

Obtritum vulgi perit omne cadaver.

Et Claudiani Rufin. II, 416, ubi emendationem hanc promit:

.... Consumpto funere vix tum
Deseritur, sparsumque perit per tela cadaver.

Sparsum cadaver perit, ut hic *sparsum Bæbium disperiisse*. Juvenalis XV, 79:

.... ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret.

Colligit Bentleius ex his *in frusta* apud Juvenalem idem fore atque hic *per viscera*, vel apud Senecam, Medea 47: « *vulnera*, et cædem, et vagum funus *per artus*, » id est, artuatim, articulatim; et frustulatim, per frusta. Plautus Curcul. IV, 4, 20:

Jam ego te faciam, ut his formicæ frustillatim differant.

Aliam medicinam tentat Jever, cujus hæc verba sunt:

Locus inquinatissimus, et plane desperatus, ex quo frustra bonum quis sensum elicere quærat. Quid enim hoc? « Cui vacet flere funera vulgi? Vix vacat te flere, Bæbi, discerptum inter manus, aut te, Antoni, etc. » Inter *funera vulgi* igitur *Bæbius*, *Antonius*, *Crassi*? Præterea quid est illud, *sparsum per viscera*? Dein illæ *innumeræ manus coronæ membra carpentis*, inter quas *discessisse*, *discerptus esse* vel *disperiisse* dicitur. *Vix te sparsum* Cod. S. Germ. corrupte, opinor, pro *Quid te*. Dein, *vel te præsage* codex oblongus optimæ notæ. Variant porro codices in *discessisse*, *discerpsisse*, *discepsisse*, *dispersisse*, etc. *Cui te* pro *vix te*, vult Heinsius et Withof. in Encaen. Crit. p. 36. Burmannus vulgatam tuetur. Bæbium sine ferro, ferarum ritu, inter manus laniatum scribit Florus, Lib. III, c. 21, § 26. Sed sibi non constat: quippe eodem loco refert, Bæbium cum Numitorio uncis tractum. Quare diversa duorum Bæbiorum fata, et tempora Sullæ et Marii confundere videtur, ut recte observatum Grotio. Appianus, de Bell. Civ. Lib. I, c. 72, scribit, Bæbium cum Serrano, Lentulo et Numitorio in via repertos esse cæsos. Non tamen crediderim Florum, quum Bæbium ferarum ritu laniatum scribit, putasse eum devoratum fuisse. Neque ea Lucano meus fuit, quod tamen suadere videantur illa verba *sparsum per viscera*, ut constat et exemplo Nasonis, Lib. XV, Met. v. 88:

Heu quantum scelus est in viscere *viscera* condi!

Manifesto certe indicio, corrupta hæc esse, ut de medicina hic sit cogitandum. Scholiastes lucem aliquam his tenebris spargere videtur, qui ad

vocem *Bœbi* hæc notat : « Terentius histrio, circumventus a fugitivis, promisit se ostenturum iis inimicum Marii, qui multa in senatu contra Marium decrevisset. Misit igitur ad hunc Bæbium fugitivos, quem raptum et discerptum Mario obtulerunt. » Deinde ad illa verba, *Innumeras inter carpentis*, hæc habet : « ordo est : *Innumeras manus coronæ intercarpentis discerpsisse te, Bœbi, per viscera. Intercarpentis* una pars est. » Hactenus Scholiastes, ex cujus verbis patet τὸ *discerpsisse* a Lucani manu profectum fuisse. Cæterum fugitivi illi, quorum mentionem facit, videntur esse Bardæi, vel Bardiæi milites, quos Plutarch. in Mario, c. 43, p. 431 al. p. 538, 2, narrat inaudita licentia horrendas cædes et facinora perpetrasse, quorum et hic meminisse poetam credibile videtur. Mentio horum fit in glossis Stephani. Βαρδαῖοι. Ἰλλύριοι δοῦλοι διαγωνισάμενοι ἐπὶ τῆς Ἰταλίας κατὰ Κίννου καὶ Μαρίου ςρατευσάμενοι. Βαρδιαῖοι, Plutarcho; Οὐαρδιαῖοι, Straboni; *Vardæi* vocantur Plinio, Lib. III, Hist. Nat. c. 21 : « Spoliatores quondam Italiæ Vardæi. » Bardæ etiam dicuntur et Græcis Βάρδαι, a recto casu Βάρδης, ut patet ex iisdem glossis, Βάρδης, δορύκτητος Ἰλλύριος δοῦλος, ut adeo forte horum Bardarum, seu Bardæorum nomen imposuerit librariis, qui illud ineptum *sparsum per viscera* nobis substituerunt. Quare si ejus loco *Bardum per crimina* legamus, vulgata commode explicari posse videatur. *Per crimina Bardum* pro *Bardarum*, sive *scelere militum Bardæorum*. Verum quia illud *Vix te*, scil. *flere vacat*, durum, et *innumeræ* illæ *manus* haud elegantes adeo videntur, et quia Scholiastes τὸ *discerpsisse* agnoscit, forte an dederit poeta :

.... *Quid* te *Bardum* per *crimina*, Bæbi,
Impuras referam carpentis membra coronæ
Discerpsisse manus!

vel etiam,

.... *Quid* te *Bardarum crimine*, Bæbi,
Impura referam rapientes membra *catervas*
Discerpsisse manu!

Quid referam impuras manus te discerpsisse! Sic infra, v. 173: « .... Quid sanguine manes Placatos Catuli referam! »

Impuras manus vocat tot cædibus pollutas. Sic Lib. IX, v. 130:

Rege sub *impuro* Nilotica rura tenente.

Rapientis malim, quam *carpentis*, id est, laniantis, diripientis; raptum enim et discerptum Bæbium Mario obtulisse fugitivos dicit Scholiastes, qui strenue nugatur, τὸ *intercarpentis* unam orationis partem esse somnians. Nondum tamen mihi satisfacio, et aliud latere ulcus suspicor. JRV.

128. *Parvum sed fessa senectus Sanguinis effudit jugulo. Parvum sanguinis*. Sermo parum usitatus : veteres quatuor *parum* contra metrum, unus

ex recentioribus, pro varia lectione *paucum*. Scripsisse putat Jever poetam, *paulum Sanguinis* : ut Horat. Serm. II, 6, 3 :

Et paulum silvæ super his foret.

Terentius, Andr. 361 : « Paululum obsoni. »

133. *Mensoque, hominis quid fata paterent.* Variant Codd. *homini* et *hominis*; *paterent*, *pararent*, *patrarent*, *valerent* exhibentes. Interpretes quoque in diversa abeunt. *Grotius* explicat, menso experimentis vitæ, quæ summa esset fatorum distantia a maxima felicitate ad summam miseriam, quod *Oudendorpius* probat. *Gronovius* ad *Senec.* Herc. Œt. v. 165 sic exponit: quid fata valerent ad producendum aliquem ab infima ad summam fortunam, et vicissim. *Burmannus* simpliciter: quibus (fatis) ab ipsis natalibus ad mortem usque obnoxii viverent homines. Recte mentem poetæ cepit vir summus, et consona est lectio, quam recepimus. Ast hunc sensum aliæ lectiones negant. Legi quoque velit Jever parva mutatione :

Mensoque, *hominem quæ* fata *manerent.*

Menso, id est, emenso omnia *fata*, quæ hominem *manere*, sive quæ homini accidere possunt. *Fata* hic sunt varii status, variæque conditiones vitæ, in quibus pro variis rerum temporumque circumstantiis homo constituitur. Hinc, quando secunda utitur fortuna, omniaque ei ex voto fluunt, felicia, prospera, læta: sed contra, quum adversa premitur fortuna, dura, iniqua, tristia atque aspera vocantur *fata*. Nulla hoc eget probatione. *Manere* porro hominem eleganter dicuntur hæc *Fata*, id est, inevitabili necessitate impendere. Aliud hic agit Jever. *Quid* dedit Lucanus pro *quantum*. Ed.

148. *Domini per viscera ferrum Exegit famulus. Exegit ferrum*, unde Seneca, Medea 126 :

Utinam esset illi frater! est conjux: in hanc
Ferrum exigatur.

Unde corrigendus in Troad. locus, v. 1155 :

Ut dextra ferrum penitus exactum abdidit.

Exactum ferrum, non, ut nunc fertur, exacta dextra.

150. *Certatum est, cui cervix cæsa parentis.* Nemo de loci hujus sanitate unquam dubitare visus fuit. Mihi tamen, attente consideranti, corruptus apparet. Sanguine patris respersos filios ait poeta, cur igitur ineptissima ταυτολογίᾳ adjicit, certatum esse, cui cervix parentis cæsa cederet? Cervix *parentis*, de patre si capiatur, ineptum et ridiculum fuerit, quia *sanguis paternus* præcessit: si vero de matre, putidum hoc et stolidum simul videatur. Alterutrum igitur verum fuerit; aut hæc ab alio intrusa (qui forte se-

quiorem sexum inauditæ crudelitatis expertem relinquere noluit, et filios, vel filias de collo matris certantes inducere officii sui putavit) atque adeo, ejecto hoc emblemate, legendum :

... nati maduere paterno
Sanguine, *et* in fratrum ceciderunt præmia fratres;

Aut in Lucano corrigendum : « ...certatum est, cui cervix cæsa *perempti* Cederet : » *perempti*, id est, interfecti patris. Sic Lucan. Lib. III, v. 641:

Nullius vita *perempti*
Est tanta dimissa via.

et Lib. X, v. 92 : « ...lege summa *perempti* Verba patris. » Jev. — Non est tentandum *parentis*, et si quid mutandum esset, nihil frigidius τῷ *perempti*. De hac autem Sullana proscriptione et propositis pro cæde præmiis vid. Senec. de Provid. c. 3, et Vell. Paterc. II, c. 28 : « Ut jugulati civis Romani publice constitueretur auctoramentum. » Conf. Corneille, *Cinna*, Act. I, sc. 3 : « Le fils tout dégouttant du meurtre de son père, Et, sa tête à la main, demandant son salaire. » Ed.

157. *Hic robora busti Exstruit ipse sui, necdum omni sanguine fuso.* Locus suspectus. Interpretes tamen sicco pede transeunt veluti sanum. Exstruit, inquit poeta, sibi rogum, et omni sanguine nondum fuso, desilit in flammas. Nimirum si exspectasset, dum omnem effudisset sanguinem, jam in flammas desilire non potuisset. Ast, quomodo omnem fundat sanguinem, non illato sibi vulnere letali? Ita si scripsit *Lucanus*, oppido deliravit. Forte an dederit poeta :

Hic robora busti
Exstruit ipse *tibi*, necdum *hoste aut milite viso*
Insilit in flammas, et, dum licet, occupat *ignem*.

Dicit poeta, hunc hominem, ut se gladiis cruenti victoris subtraheret, rogum sibi fecisse, et, quamvis neque hostem Marium, neque milites ejus vidisset, ardentem rogum insiluisse, ne supremo igne careret, et insepultus projiceretur. *Sibi* erat in Bersmann. et Voss. pr. et VV. LL. Hortensii, teste Oudendorpio. *Insilit* rescripsi, quod alacritatem et ardorem properandæ sibi mortis in hoc homine, rogum ardentem conscendente, melius exprimere videtur, quam vulgatum *desilit*. *Se dedit* conjecerat Heinsius male. Præsenti extulit tempore poeta. Exstruit rogum, insilit, et ignem supremum *ante mortem* jam occupat, unde causa ultro patet, cur *ignem* hic Lucano vindicare visum fuerit. Judicium sit penes eruditos. Jev.

162. *Cognoscitur illic Quidquid ubique latet scelerum.* Colbertini duo, Harleianus, cum aliis bene multis et editione Romana *jacet*. Idem de suis prædicant Pulmannus Bersmannusque. Alii pares fere numero, cum Putea-

neo, *latet.* Cæterum omnes editiones prava distinctione peccant. Non enim *quidquid scelerum* volnit Lncanus; sed *quidquid latet*, nempe capitnm. Tnm autem in altero colo *tantum*, nt nnne est per se positnm, plane friget. Immo *tantum scelerum* non vidit Thracia. Sed perpende illud diligentius: nam nbicumqne distingnas, sen post *latet*, sive post *scelerum*, aut expressum habebis, aut saltem subintellectnm *tantum scelerum.* An igitur *scelera* pendebant in Diomedeis stabulis? Minime, sed ut mox de Antæo et Œnomao, ora, vultus, capita. Repone igitur et distingue:

> ... cognoscitur illic,
> Quidquid nbiqne latet. *Capitum* non Thracia tantnm
> Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni.

Val. Flaccus IV, 183: de re simili:

> Ossaque tetra situ et capitum mæstissimus ordo.

In foro cognoscitur, qnod alibi latet; quippe jussum erat a Snlla, ut capita omnium proseriptorum in forum comportarentur, ab ipso coram recognoscenda, et pœna in oecultantes constituta. Val. Maximus IX, 2, 1: « Id quoque inexplebilis feritatis indicium est: abscissa miserorum capita, modo non vultum et spiritum retinentia, in conspectum suum afferri voluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Dio Cocceianus in Excerptis, p. 662: Πάντων τῶν σφαζομένων ὅπου δ' ἂν κεφαλαὶ εἰς τὴν τῶν Ῥομαίων ἀγορὰν ἐκομίζοντο, καὶ ἐπὶ τοῦ βήματος ἐξετίθεντο. Capita ait cæsorum ὅπου δ' ἄν, (*quidquid ubique latet*) in forum pro rostris delata. BENTL.

Sudant hoc loco, et ingenium frustra fatigant summi critici. Nec mirum: prava etenim distinctione laborat hic locus, et turpissima menda inquinatus est. Post *latet* τελείαν στιγμὴν ponnnt, et *tantum scelerum* male conjungunt contra mentem ipsius poetæ, qni *quidquid scelerum* conjnngi voluit, dicens:

> ...cognoscitur illic,
> Quidqnid nbique latet scelerum.

Tantam, ait, fuisse Sullæ, inaudita crudelitate cum voluptate grassantis, sævitiam, ut sibi in foro Romano ostendi et detegi pateretnr horrenda flagitia et scelera, qnæ aliis in locis apnd barbaras nationes tegerentur. Hic igitur interpnngendum. Ipse sensus τὸ *quidquid scelerum* vindicat, quod a Bnrmanno idoneis exemplis satis illustratum. Sed nnnc ansam corrumpendi loci et mendam indagabimus. Illud *pendere* merito mihi suspectum. Qnæ enim scelera, aut quomodo in stabulis Diomedis pendere possint, non video. Hospites ibi ab equis devorabantur, quorum nullæ, puto, reliqniæ remanserint. Erroris fonte detecto, facile mihi jam fuerit sanare desperatum ulcus. Lego, ut *Lucanum* scripsisse omnes critici facile agnoscent:

> ... cognoscitnr illic,
> Quidquid ubique latet scelerum. Non *talia Thrace*

Vidit Bistonii stabulis *portenta* tyranni,
Postibus Antæi *aut* Libye : nec Græcia mærens
Tam laceros artus Pisæa flevit in aula.

Bello furiosa *Thrace* dicitur Horatio, Lib. II, Od. XVI, v. 5. Talia portenta, tam laceros artus jam optime conjungi, quivis facile videat. Illud enim *tantum* est plane ineptum. *Portenta* vocat horrendas cædes, et inauditæ crudelitatis facinora fœdasque laniationes, qualium nulla apud barbaros exempla. Sic Lib. V, v. 284:

Quid velut ignaros, ad quæ *portenta* paremur,
Spe trahis? JEV.

167. *Miserorum dextra parentum Colligit.* Ride illam *dextram parentum*. Num omnes isti parentes una tantum dextra hic utebantur? Saltem *dextris* dictum oportuit : cur autem non et sinistra? Certe, quia furto hæc acta narrat, furtifica illa læva magno hic usui fuisset. Denique sua modo dextra, nulla familiarium opera hic utebantur parentes; quorum aliquot decrepiti, aliquot morbo detenti, omnes mærore et metu pæne confecti? Gratia vero codici Harleiano hic habenda est, qui solus Lucani manum servat :

...Miserorum *cura* parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.

Ut supra v. 64 : « ... At miseros angit sua cura parentes. » BENTL.

171. *Omnia Sullanæ lustrasse cadavera pacis.* Ita constanter omnes libri tam scripti, quam editi. Ironiam hic agnoscit Scholiastes, cujus sententiæ acquiescere videntur interpretes. Metuo tamen valde, ut hoc a poetæ manu sit profectum. Quo enim, quæso, in re tristissima ironiam! Credo dedisse nobis Lucanum vel *cladis*, vel *stragis*. *Pacem Sullanam* vulgo interpretantur finem cædium. Mihi non placet sane ista pax, quippe qui crediderim viros doctissimos hic a Scholiaste deceptos, uti non raro factum. Vide ad lib. I, vss. 135 et 151.

172. *Cum qua cervice recisum Conveniat.* De poetæ nostri latinitate dubitare hic videtur Burmannus, quia Cicero, Terentius aliique dicere non solent *hoc convenit cum illo*, sed *convenit huic cum illo*. Verum ex grammaticorum judicio de veterum scriptis non temere judicandum. Ovidius certe Orbiliorum non adeo expavit ferulas, quum lib. II, Met. v. 846, diceret :

Non bene *conveniunt*, nec in una sede morantur,
Majestas et amor.

Quare inducor, ut credam perinde esse, quomodocumque hæc dicamus,

sive *amor et majestas conveniunt*, exemplo Nasonis; sive *amor convenit cum majestate*, ut Lucanus; sive *convenit amori cum majestate*, ut Cicero et Terentius loqui amant; sive denique *amor et majestas inter se conveniunt*, vel *bene convenit amorem inter et majestatem*, vel *amor convenit in majestatem*, ut Plautus et Livius locuti fuere, pro varia et diversa τοῦ *convenire* significatione, qua commode explicari potest hæc loquendi formula : quamvis non negaverim, illud *convenit amori cum majestate*, frequentiori usu tritum fuisse apud prosæ eloquentiæ scriptores. Poetæ contra libertate utuntur. Quod vero ad Lucanum, dissimulare nolim mendæ suspectum mihi hunc locum videri. Sanus quippe et integer si esset, non *conveniat*, sed *conveniret* dictum oportuisset. Præterea res ipsa ultro clamat, fratris caput non habuisse hunc hominem, quippe quod adhuc quæreret. *Caput* fratris sui (totum enim cadaver nec poterat, nec audebat, metu Sullæ) furtim rapere, et rogo inferre cupiebat. Sed tabe consumptum illud perdiderat lineamenta oris, totum deforme atque adeo non agnoscendum erat. Certus igitur ut esset, se verum fratris habere *caput*, illud cadaveris fraterni, quod vel ex armis, vel vestibus inter truncos jacentes agnoscere poterat, cervici abscissæ comparare necesse habuit, ut videret, num cum ea conveniret. Quare patet legendum esse :

> Perque omnes truncos, *quod* cum cervice *revulsa*
> *Convenit*, quæsisse caput.

Vel, si quis hic pares Ciceroni elegantias desideret : « ... *Cui* cum cervice *revulsa Convenit*, quæsisse caput. » *Revulsa cervice* lego; *revulsum* enim erat in Hamburg. Codice et in Harlei. teste Bentleio, qui et probare videtur. *Revulsa cervix* est, quæ a capite abscisso separata erat. Sic lib. X, v. 100 :

> .... Quantosne tumores
> Mente gerit famulus, Magni *cervice revulsa*.

Et *avulsa cervix* lib. VIII, v. 10 :

> Seque, memor fati, tantæ mercedis habere
> Credit adhuc jugulum; quantum pro Cæsaris ipse
> *Avulsa cervice* daret.

Sic infra, v. 181 : « *Avulsæ* cecidere manus, » id est, a reliquo corpore separatæ. Τὸ *convenit* sensus postulat : ex eo enim, quod exacte conveuit illud caput cum *cervice avulsa*, certo colligere potuit fraternum caput esse. Sed jam nimii fuimus. Jev. — De verbo *conveniat*, ego non dubito; nam syllepsis poetica est, nec stricta grammatica cum Lucano agendum videtur. Variant autem codd. in *recisum*; sed ut rectum agnoscatur, monendum erit valde placere Lucano hoc epithetou. Conf. v. 112 et 194. Ed.

174. .... *Cui victima tristes Inferias Marius, forsan nolentibus umbris.* Suspectus mihi hic locus. *Quum* plurimi habent codices, quod recepit

Oudendorpius, qui *inexpletum bustum* explicat, quod cæde hac satiatum nondum erat. Sed nescio quo modo illud *inexpletum bustum* hic mihi non placat; dicit enim auctor umbras Catuli *forsan* noluisse hæc infanda piacula, ubi illud *forsan* sensum turbare videtur. Præterea *pendere inferias* eo sensu, quo hic apud poetam occurrit, nullibi legisse memini. *Inferias* et *piacula* conjungit quidem Lucanus, lib. IV, v. 788:

Expiet invisas diræ Carthaginis umbras
Inferiis Fortuna novis; ferat ista cruentus
Hannibal, et Pœni tam *dira piacula* manes.

Ast hic inconcinnum videtur, Marium pendere inferias *umbris forsan nolentibus*, præsertim quum sanguine placatos manes jam dixerit. Cogitabam olim:

.... Cui victima *tristi*
Imperio Marius *pœnas*, nolentibus umbris,
Pendit *iners*, *sævo* non fanda piacula busto.

Tristi imperio; id est, Sullæ imperio arbitrioque. *Pendit pœnas* pro *forsan*, vel, si illud *forsan* a poetæ manu sit, *pendit* simpliciter pro *pœnas pendit*. Sic Valer. Flacc. Lib. I, v. 445:

.... Tuis nam pendit in arvis
Delius, irato Steropen quod fuderat arcus.

Dein, *iners Marius* sævo busto pœnas pendit, sive inermis ad sævum Catuli tumulum mactatus est. Quamvis enim certo constaret, veteres olim dicere solitos fuisse *pendere* et *solvere inferias;* uti dixerunt, *dare et reddere*, *ferre et referre*, et *mittere inferias:* illud tamen utique huic loco semper obstaret, quod Marius victima nullo modo dici possit dare, ferre, mittere, vel pendere *inferias*, quippe quem Catulus ad tumulum mactavit, et *inferias* patri misit. Aliud forte ulcus subest. Quare ampliandum censet Jever, sed nescio an cuiquam placebit tanta mutatio. Multa hic peccantur, tam prava distinctione, quam mendosa lectione. Locus sic constituendus est:

.... Quum victima tristes
Inferias Marius (forsan nolentibus umbris!)
Pendit inexpleto, *miseranda* piacula, busto.

Quum, omnes nostri cum Romana et Veneta: recte, ut mox in repetitione, « *quum* laceros artus. » *Non fanda piacula* ferri non possunt; quum tertio abhinc versu *nefandæ* habeamus. Silius I, 182, in re simili, omnibusque tormentorum generibus:

Hæc inter spretæ *miseranda piacula* pœnæ.

Inexpleto autem, inexplebili, insatiabili. *Busta* autem, Q. Lutatii.

194. *Prænestina suos cunctos simul ense recisos.* Mendosus locus, quod et numerorum insuavitas, et horribilis tot vocum, in *os* exeuntium, fragor, et turbatus sensus arguat. Turbant codices, alii *recisos*, alii *recepto* exhibentes. Heinsius tentabat : « Junctos simul ense etc. » quod malit Oudend. Hærent quoque doctissimi interpretes. Olim tentabam :

Vidit Fortuna colonos
Prænestina *pios*, *jugulis simul* ense recepto,
Unius *haud dubiæ pereuntes carmine sortis*.

Ut ad *sortes Prænestinas*, quæ dubiæ et incertæ habebantur, allusisse videretur poeta, quas certitudine oraculum Sullanum, carmen haud dubiæ sortis, eos certæ morti addicentis, vicerit. Verum audacior merito hæc conjectura videri possit. Plutarchus in Sulla, p. 472, (c. 32, al. p. 91, 3.) Prænestinos ad duodecim millia jugulatos. Valer. Max. lib. IX, c. 11 : « Quinque millia (recenset), quæ Sulla, quum armis abjectis humi corpora prostravissent, interficienda et per agros dispergenda curavit. Appianus, lib. I, (c. 94.) de B. Civ. « Sullam eos sagittis configi jussisse » ait. Hinc, eodem eos mortis genere confectos fuisse, constare videtur. Quare legendum puto :

Vidit Fortuna colonos
Prænestina *pios*, *jusso semel* ense recepto,
Unius *passim pereuntes crimine* mortis.

Pios colonos, qui Deam summa veneratione colebant. *Semel jusso* ense recepto, id est, *uno ictu* confodi jussos. Sic lib. IX, 831 : « totoque *semel* dimittit ab armo, » id est, uno ictu, ut recte Oudendorpius legit, quem et vide ad lib. III, v. 296. *Passim* pereuntes, id est, confertim, omnes simul. Tibull. lib. I, Eleg. III, v. 59 :

Hic choreæ cantusque vigent, *passimque vagantes*
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.

Crimine unius mortis pro uno et eodem scelestæ mortis genere dixisse videtur. Jev.

203. *Victores movere manus : vix cæde peracta.* Indignor hos carnifices *victores* appellari; qui cives undecumque inermes, et in angustum conclusos, post fidem datam, contrucidaverunt. Pauci latrones talem cædem vel multorum millium peragere possent; unde mox eleganter, ut omnia, Noster,

Tot millia vulgi
Non piguit jussisse mori.

Non *occidi* dixit, sed *mori* : *lictores* libenter reponam, satellites, percussores. Ceterum in sequentibus :

...*vix* cæde peracta
Procumbunt dubiaque labant cervice; sed illos
Magna premit strages,

illud *vix* totam orationem conturbat. Si enim cæsi *vix* procumbunt, quomodo trunci eorum vivos obruunt et elidunt? Deinde quænam ista est tam putida repetitio, *cæde peracta*, et continuo *peragunt cædis partem?* Quid quod *procumbunt* et *labant* de vulneratis dictum est, et *cæde peracta* non de vulneratis, sed de vulnerantibus? Virg. IX, 242:

Mox hic enm spoliis, ingenti cæde peracta
Adfore cernetis.

Vide an legendum: « ...*hi* cæde *perempti* Procumbunt, dubiaæ labant...peraguntque cadavera partem *Cladis*: viva graves elidunt corpora trunci. » Perempti cæde, ut Virg. IX, 453:

...Rhamnete reperto
Exsangui, et primis una tot cæde peremptis:

Si enim procumbunt, jam serum nimis est labare; prius labant, et tum postea procumbunt. Ex Patruo suo, Seneca, hoc sumpsit, qui, Agamem. 786:

Quid ista vates corpore effusa ac tremens
Dubia labat cervice? famuli, attollite.

Cladis etiam, non *cædis;* ne eadem vox tam cito recurrat. Denique *hi* non *vix*, vel antitheti ratione postulante, hi jugulantur et cadunt, sed illos cadentium strages mole sua obruit. BENTL. Sed nemo fere hanc mutationem admittat. Patet enim quod sequitur *sed illos* ad eosdem pertinere. Vult Lucanus multos vulneratos non statim ab ictu cecidisse, sed huc illuc impulsos præ denso agmine labasse, donec strage aliorum cadaverum super cadentium oppressi dejicerentur. ED.

210. *Omnia Tyrrhenus Sullana cadavera gurges.* Miror equidem, neminem doctorum virorum hunc locum mendæ suspectum habuisse, manifesto corruptum. Quis enim, quæso, ferat illa *omnia Sullana cadavera congesta?* An *Sullana* dixerit, ne forte quis hæc sub Mario contigisse crederet? deiu quomodo Sullana vocet cadavera Marianorum? Nullo hæc unquam colore defendi possunt. Sed et urget adhuc majus malum, ineptus putidi poetastri pullus v. 211; quo primos in fluvium, summos in corpora cecidisse nobis narrat; et quasi non satis esset ineptiarum, placuit interpolatori hic *præcipites rates* effingere, quarum (remis velisque forte properantium) cursus præceps cadaverum multitudine retardaretur. Quis, quæso, talia legens ineptiarum non arguat Lucanum, et putidissimi poetæ deliria non projiciat e manu? Sed librariorum hæc culpa, verba auctoris male describentium. Legendum suspicatur Jever, hoc modo,

... congesta recepit
Omnia Tyrrhenus *simul atque* cadavera gurges,
Præcipites hæsere *viæ; nam*, strage cruenta
Interceptus, aquis fluxit prior amnis in æquor:
Ad molem stetit unda sequens. *Tum* sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, etc.

Certe hic omnes non Lucanum solum delirare putabunt; quanquam multa in hac declamatoria descriptione jure displiceant. Ed.

212. *Præcipites hæsere rates, et strage cruenta Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor.* Colbertinus prior cum tribus Pulmanni *aquæ* et a prima manu Harleianus. Bersmanni codex *pro strage*, et *interrupit aquas*. Sane hic locus crucem interpretibus fixit. Quid enim *rates* hic faciunt? quis illis in hac sententia locus? Jam vero quot vocabula putidissime repetita? *Præcipites* hic, et quarto post versu *præcipiti*, hic *hæsere*, et quinto deinde *hærentes*. Hic *strage*, et septimo ante *strages*. Quam stulte autem *cruenta* strage *interruptus?* quum mox non modo non interruperit amnem cruor, sed interruptum et hærentem adjuverit atque impulerit. Quod a Nostro mutuatus est Claudianus, Cons. III Honor. 100:

...et frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis; turbaque cadentum
Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis.

Laterem lavet, qui tot maculas eluere conetur; sane, interpolator aliquis, uti mihi videtur, jam a multis sæculis toto hoc Lucanum versu donavit. Nimirum *interrupit aquas* in codice suo legebat, pro compendioso illo *interrupti;* quod est *interruptus*. Deesse ergo sententiæ quid existimans, nothum illud inseruit, quo sublato, locum jam videbis sanissimum.

In fluvium primi cecidere, in corpora summi.
[Præcipites hæsere rates et strage cruenta]
Interruptus aquas fluxit prior amnis in æquor:
Ad molem stetit unda sequens.

Interruptus aquas, tritissimo hellenismo; id est, habens aquas interruptas. B.

218. *Redeuntque cadavera campo.* Non Puteaneus tantum, sed Colbertini duo, Harleianus, Regius cum aliis, et editione Romana, *reddit*, cæteri *reddunt:* nullus, ut nunc fertur, *redeunt*. Omnino recipiendum *redditque*. Nec alveus, nec ripæ retinent amnem; sed (amnis) reddit cadavera campo. Bentl.

234. *At non magnanimi percussit pectora Bruti Terror.* Bentl. putat hic *percellit* legendum (non *percussit*); præsenti tempore, ut mox *Invenit*. Non percelli viri magnanimi est; non percuti ἀπαθέος καὶ ἀναισθήτου, nulla patriæ caritate moti, dissimilis avunculi et soceri sui Catonis, qui (v. 240.) sui licet securus, aliis tamen cunctis timebat.

235. *Et in tanta pavidi formidine motus Pars populi lugentis erat.* Contra VI, 419: « Turbæ sed mixtus inerti Sextus erat; » sed nota usum *et* et *que* Lucano prope peculiarem : *non* in priore colo, subintelligitur in sequente: adeo ut *et pars erat* id ipsum sit, quod *et non pars erat*, vel *nec pars erat.* Quod observavit et Priscianus : quem vide IV, p. 750. Tentat Bentl.

Et in tanta pavidi formidine *mundi*.

Centies in his libris habes, totum mundum ad primos belli civilis motus expavisse; et postea collisum fuisse. Vel in ipso proœmio « totis concussi viribus orbis », et infra 248:

Inconcussa tenens dubio vestigia mundo,

et lib. V, 160 :

Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu.

Brutus igitur, vir magni animi, in totius mundi formidine et consternatione non ést perculsus; « Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ. » (Horat. Carm. III, 3, 7.) Sed vidimus in notis nihil esse mutandum. Ed.

244. *Tu mente labantem Dirige me, dubium certo tu robore firma.* Inconcinna prorsus clausula est, inter *me* et *dubium* constituta. Codex Puteaneus *derige;* at Bersmanni unus egregie *crige*. Locum sic refingit Bentl.

...tu mente labantem
Erige me *dubia*, certo tu robore firma.

Labantem mente dubia, ut supra v. 204. : « dubiaque labant cervice. » *Dubia* mens; et mente *labare* passim. Et sic omnia bene congruunt. *Erige* autem mentem, si labat; *dirige*, si errat.

247. *Dux Bruto Cato solus erit : pacemne tueris.* Concinnius codex Bersmanni *eris:* quod sequens *tueris* satis confirmat.

248. *Inconcussa tenens dubio vestigia mundo? Dubius* jam semel venit, tertio ante versu : unde Bentl. conjicit *trepido*, ex versu lib. V, 160 quem modo citavimus ad vs. 235. Ed.

250. *Cladibus immistum civile absolvere bellum?* Mihi non placet *ducibus* et *cladibus* ut una et personæ, et res commisceantur. Quid, quod *duces scelerum* de Pompeianis hic diceretur; parum ex decoro, neque ad sensus Lucani. Quin et *populi furentis* nimis inclementer, qui alienum furorem ipse innocens et ignarus plerumque sequitur; occulta hic latent menda, sic, opinor, emaculanda,

An placuit, *vicibus* scelerum populique *cruentis*
Cædibus immixtum, civile absolvere bellum?

Quam prope a receptis lectionibus absint, vides: at quanto meliore sententia? *Vicibus scelerum*, quæ scilicet in civili bello nunc hæ partes, nunc illæ facient, et patientur: rem plane conficit Senecæ patrui locus, Thyest. 133:

> Advertat placidum numen, et arceat,
> Alternæ *scelerum* ne redeant *vices*.

Cruentis autem *cædibus* populi, melius quam *cladibus*. Seneca Herc. Fur. 919:

> Nate, manantes prius
> Manus eruenta cæde et hostili expia. BENTL.

254. *Nullum furor egit in arma.* Corruptus Bentleio videtur locus. Poeta statuit, omnes furore in bellum civile ruisse, ut initio operis exclamaverit,

> Quis furor, o cives! quæ tanta insania ferri!

inepte igitur dicere hic merito videatur,

> ... nullum furor egit in arma.

Sensit hoc cel. Burmannus, qui inde conjecit *pudor*. Waddelus in Observ. Critic. p. 125, legit: « *illum* furor egit in arma. » Legendum suspicatur Jever:

> Hos polluta domus, legesque in pace timendæ,'
> *Aut* ferro fugienda fames, mundique ruinæ
> Permiscenda fides; *illos* furor egit in arma.
> Castra petunt *isti* magna mercede. Tibi uni
> Per se bella placent?

Probat hanc emendationem versus 259:

> Accipient alios, facient te bella nocentem.

Omnes, inquit, nocentes fuerunt et ante bellum civile, quia turpes causas habebant. *Hi* enim vel propter scelera, legum pœnam metuentes, vel obærati, paupertatem et urgentes creditores effugere conati: *illi* contra furore et insania: *isti* mercede et præmiis sollicitati bellum civile gerunt. Tu vero, Cato, nulla privata causa, solo libertatis amore partes faciens, bellum civile gerendo nocens futurus es. *Hi*, *illi*, *isti*. Sic apta membrorum oppositorum fuerit proportio. Vid. supra ad v. 54. Firmat Thuan. quart. in quo erat *victi magno*. JEV.

267. *Sicut cœlestia semper Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.* Offendit hic *Bentleium* τὸ *inconcussa*, quia supra *inconcussa vestigia* dixit v. 248: quare *indeflexa* corrigit, quia ex ejus sententia Lucanus aliter scribere non potuit. Miseret me summi Bentleii, qui hic infeliciter tentat locum. Mentem enim poetæ non cepit. Si quid video, sensus poetæ hic erit: Tu certe, Cato,

melius feceris, si misso bello civili, in otio et solita animi tranquillitate vivas, exemplo Deorum, qui æterna voluptate et otio felicissimo fruuntur. Ast hoc non exprimunt illa poetæ verba:

Sicut cælestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.

Frustra doctissimi interpretes putant, poetam loqui de motu vel cursu siderum. Sidera cælestia sunt *Dii*, qui (secundum *Epicuri* et *Stoicorum* quorumdam, ejus castra hac in parte quodam modo sequentium, dogmata) sine ulla rerum humanarum cura, in otio beatissimo æterna voluptate fruuntur. Variæ lectiones corruptum locum arguunt. Primum *laxo*, mox *lapso*, sollemni aberratione, et dein *lapsu* factum, cujus vocis interpretamenta sunt *motu* et *cursu*, ut recte odoratus fuit Oudendorpius. Quid multa? Legendum puto:

... melius tranquilla sine armis
Otia solus ages, sicut cælestia semper
Inconcussa *pio solvuntur* sidera *luxu*.

Solvi luxu et in luxum elegans locutio, pro resolvi in voluptatem: *pio luxu solvi* est incorrupta et solita voluptate frui. Petronius Satir. c. 91: « Convertit ille *solutum gaudio* vultum. » Sic *solvi somno* et *in somnum*. *Soluta somno corpora* dixit Livius lib. V, c. 45. Jever.

271. *Nubes excedit Olympus Lege Deum: minimas rerum discordia turbat: Pacem summa tenent.* Servius ad Æneid. VIII, 454, *summa* citat: sed Lucani codices, tam vetusti quam recentiores, magno consensu *magna* exhibent, cum editione Veneta: vix unus et alter pro varia lectione *summa*: et de summis prius egerat, quum sidera et Olympum dixit. Ceterum prava distinctio in omnibus editionibus hæret: « nubes excedit Olympus Lege Deum. » Hoc putidum est, lege Deum fieri, ut locus altus sit loco inferiore altior. Immo, puncto mutato, lege:

... nubes excedit Olympus.
Lege Deum, minimas rerum discordia turbat,
Pacem magna tenent.

Nempe res magnas in pace versari, dum minores discordiis agitantur, hoc non situs beneficio, sed divina lege fit. Bentl. Cui fere in his adsentit Jever:

Corruptus hic locus, et mala distinctione laborat. Quænam enim illa lex Deorum fuerit, secundum quam Olympus nubes excedit, videre nondum licuit. Illa quoque generis enallage in *minimas rerum* et *summa*, quamvis tueri velit Cel. *Burmannus*, mihi hic non placet. Crediderim, poetam hoc modo nobis reliquisse,

Fulminibus terræ *ut* propior succenditur aer,
Imaque telluris ventos, tractusque coruscos,

Flammarum *excipiunt;* nubes excedit Olympus:
Lege *ævi* minima *et* rerum discordia turbat,
Pacem summa tenent.

Sensus auctoris est, Catonem debere exemplum Deorum sequi. Sapientem enim omnibus affectibus vacuum in quiete et tranquillitate animi vivere decet, uti Dii in otio beatissimo æterna voluptate fruuntur. Quemadmodum, inquit, aer et terra, infra nubes posita, ventos et fulmina excipiunt; Olympus vero altior nubes et tonitrua despicit: *Sic et lege æterna* fatorum constitutum est, ut infimi mortalium affectibus turbentur, animi vero excelsi, his miseris mentis tumultibus vacui, pace et plena animi tranquillitate gaudeant. Sic elegans hæc comparatio fuerit et sensus poetæ optime sibi constiterit. *Excipiunt* ventos, repono, ex VI, v. 339:

Excipit adversos Zephyros et Iapyga Pindus.

Hæc verba frequenter confusa in MSS. Pro *minimas rerum* lego *minima et rerum*, intellecto altero comparationis membro *sic* vel *ita: minima* enim in Cortii MSS. et in Cod. Turriano, ut jam cæsuræ beneficio opus non sit ad ultimam syllabam producendam. *Lege ævi* rescripsi pro *Lege Deum:* Lex ævi est lex naturæ, quam *legem* simpliciter lib. VI, v. 462; *legem mundi* lib. X, v. 201; *legem fatorum* et *ordinem æternum* lib. VIII, v. 568; *legem æternam* vocat initio lib. VII. Sic lib. II, v. 82:

...debet multas hic *legibus ævi*,
Ante suam, mortes.

Uti ibi legendum puto. Si quis vulgatam tueri velit, per me licet, dummodo legem Deorum tum explicet ordinem rerum a Diis constitutum. Lib. I, v. 81:

Latiis hunc *numina* rebus
Crescendi *posuere modum.*

Atque ita nihilominus *legem ævi* sive *Fatum* habebimus. Ita, mutata distinctione, nova luce perfunditur hic locus. JEV.

283. *Nunc neque Pompeii.* Obscurus mihi videtur hic locus. Variant MSS. *Hunc* vel *Nunc* exhibentes. Explicant autem viri docti hoc modo. Si pro libertate arma caperet Cato, Brutum *ante victoriam* nec Cæsaris, nec Pompeii, sed *post bellum* victoris hostem fore: ut ita *nunc* et *post bellum* opponantur. Aliud, credo, voluit poeta, qui hic sub persona Bruti insanum libertatis amorem et invisæ tyrannidis odium ostentare voluisse videtur. Quare vix abest, quin arrepta codicis Vossiani lectione rescribam,

Tunc neque Pompeii Brutum, nec Cæsaris hostem,
Ast fatum victoris habes.

ut jam minitari videatur Brutus, se *victorem*, id est, tyrannum occisurum. *Fatum victoris* hic tyrannicidam notat. *Bellum* et *fatum* sæpe confusa.

290. *Quis, quum ruat arduus æther, Terra labet, mixto coeuntis pondere mundi, Complosas tenuisse manus?* Nostri omnes tam vetusti quam nuperiores, magno consensu, cum Veneta et Romana, *compressas;* et recte. Hoc, ut sententia postulat, lenti est et otiosi; illud summum affectum indicat, vel gaudii vel metus. *Complosas* vero *tenere manus* nullo sensu dicitur. Cæterum versus 291 mihi videtur nothus et commentitius; altero abhinc versu habuimus *mundum cadentem;* ne iterum hic *mundi* vellet ingerere : quid quod verba ipsa si excutias, inania sunt. Bentl. — Jever ait crudeliter jugulari integrum versum ob unam vocem corruptam; quare conjicit *coeuntis pondere massæ*. Coll. Ovid. Fast. I, 108. Ed.

294. *Deductique fretis.* Hæc Weber putat sensum non satis aptum præbere. Non probat tamen Gujetum, qui versum vult expellere, aut corrigit *Getis* pro *fretis*. Weber autem putat ex optimis MSS. scribendum : «*Diductique*,» i. e. separati, divisi a nostra urbe reges per freta et maria. Ita optime sibi respondent *gentes* et *reges* quæ sæpius a Lucano conjunguntur.

299. *Ad tumulum jubet ipse dolor : juvat ignibus atris.* Romana ac Veneta *tumulos*. Recte, ait Bentl. quippe *natorum*, non unius nati.

Male, post *atri ignes*, *atræ faces :* utrumque hic non potest, tantum non in eodem versu. Codices nihil variant, nec juvant. Jam primum autem *ignibus atris* rerum ordinem turbat. *Producere funus ad tumulos; ignibus manus inserere; aggere busti constructo, faces tenuisse.* Ergo tertio loco, nondum accenduntur *ignes*, et tamen in secundo manus ignibus inseruntur. Illud deinde considerandum, quid sit *manus inserere?* Id vero perinde est, ac *immiscere* se alicui negotio. Noster VIII, 551:

. . . . cæloque tonante, profanas
Inseruisse manus, impure ac semivir, audes?

Audes *te inserere*, te immiscere. Iterum IX, 1072:

. . . . secreta quid arma
Movit, et *inseruit* nostro sua tela labori?

hoc est, quid sua tela immiscuit? Ad hanc autem faciem, quid erit, *inserere* se vel *manus* suas *ignibus?* Hoc Scævolæ alicujus esset, non patris in nati funere satagentis. Negotium, inquam, opus aliquod, hic requiritur, non *ignes*, nec simile quidquam. Sed facilius ulcus nudare, quam medicinam invenire; mihi nihil melius occurrit, quam *juvat omnibus actis inseruisse manus*. Bentl.

306. *O utinam, cælique Deis, Erebique liberet.* Codices tres vett. Colb. Harleianus et alii quidam, *liceret*. Recte, ex Stoico dogmate de fato. Bentl.

In boc loco menda latere mihi videtur. Pro vnlgato *liberet* eerte in plurimis Codd. est *liceret*, ut testaotur Oudendorpius et Burmaunns, qui ex Thuan. sec. malit *placeret*. Crediderim errare summos viros, qui illud *liberet* referuut ad *Deos Cœli et Erebi*, uam menti poetæ boc mihi adversari videtur. *Stoicus* est Cato. Optat bic, ut *fata* sibi permittant exemplo Deciorum Diis Manibus caput devovere pro reipublicæ salute: *liceret* igitur vera manus auctoris. Ast, cedo, quid jam *cœli Dei* huc faciant? Puto dedisse poetam:

O utiuam Stygiisque Deis Ereboque liceret
Hoc caput iu cunctas damnatum exponere pœnas,
Devotum hostiles Deeium *ut* pressere catervæ!

Utinam, iuquit, mihi per fata liceat caput boc meum *Diis Manibus* atque *Erebo* devotum pro omninm salute in pœnas exponere, nt bac piaculari victima redimantur Romanorum scelera, quemadmodum Deeii se pro reipublicæ salute devoverunt! Jev.

325. *Excitat in nimios belli civilis amores.* Oudendorp. cod. versum non agnoscit; suspicionem interpolationis auget similis exitus in *calorem* et *amores*, præsens *excitat* post præteritum *movit*, denique sensus post v. *calorem* perfectus, præsertim si *furorem* ex Voss. I pro *calorem* legitur. Sed fefellit librarium, quem sæpius in hac re errasse deprehendimus, similis exitus v. *calorem* et *amores*, ut nihil dicam, quid interpolatorem hunc versum addere moverit. Deinde similis versuum exitus non est causa, cur aliquid damnari debeat; talia eoim sæpius in Nostro reperiuotur, cf. I, 169, 170 «ligones—colonis»; III, 54, 55 «amores—favoris.» Recte quidem Burm. de versibus bomœoteleutis disputat ad I, 115; II, 144; III, 13; sed in eo errat, quod omnia exempla corrigi vult, cf. II, 288, 289 «nocentem—cadentem»; IV, 326, 327 «rigatus—meatus»; 661, 662 «locorum—priorum;» V, 639, 640 «trementes—tumentes»; 660, 661 «peregi—subegi;» 665, 666 «meorum—honorum;» 730, 731 «fata—parata;» VI, 101 sq. «vivis—civis;» 438, 439 «nocentes—canentes;» VII, 678, 679 «paventem—ferentem;» 750, 751 «patentes—nocentes;» 763, 764 «nocentes—furentes;» VIII, 600, 601, 602 «putasset—vacasset—fugasses,» ubi vid. notas; IX, 398 sq. «bibentem—petentem.» Denique male Bentl. v. *excitat* iu *excitt* correxit; ponitur enim præsens uoa cum perfecto, ubi duæ actiones ita conjunctæ sunt, ut altera præsens sit et restet, altera præterita, ut h. l. Cato enim movit stimulos irarum oratione sua, quæ actio est præterita, sed illam alia sequitur: *excitat calorem juvenis*, sie nt amor belli eivilis in juvene permaneat; cf. IV, 433. «Noluit... tentare ratem celeresque carina Contiuet, ... et temere ingressos repetendum invitat ad æquori» V, 791: «Exsiluit stratis amens, tormentaque nulla Vult differre mora.» Eodem modo præs. a præt. excipitur, ut IV, 12: «Colle tumet modico lenique excrevit in altum Pingue solum tumulo.»

Alia est res, ubi præsens ita præterito conjungitur, ut præsens actionem

per temporis spatium durantem, præteritum autem actionem aoristicam notet: sic IV, 29: «.... Circumdedit agmina fossa; Dum primæ perstant acies», cf. IV, 260 — 62; 288 sq.; VIII, 383 sq.; alia est ratio, ubi utraque actio est aoristica, ut I, 488: « Sedibus exsiluere patres invisaque belli Consulibus fugiens mandat decreta senatus, » cf. V, 47, 49; denique alia est res, ubi plures actiones ita conjunctæ sunt in oratione commotiori, ut poeta in temporibus commutatis varians res mox pro præsentibus, mox pro præteritis describat; sic I, 153 de fulmine: «Emicuit rupitque diem, populosque paventes Terruit — In sua templa furit — dat stragem late, sparsosque recolligit ignes»; cf. II, 30 — 33; IV, 197 — 200.

334. *Miserando concita vultu, Effusas laniata comas. Concita ira, furore, cursu*, recte. Sed nihil huc faciunt, neque honeste *curret* hic Marcia; nec miserandus cursus placet. Ne dubites quin dederit auctor: . . . miserando *sordida cultu*. Sordes istas et cultum mox describit, *comam effusam et laceram, planctibus contusum pectus, caput cineribus sparsum. Sordida cultu*, ut Ovid. Amor. III, 6, 48:

Ilia cui placuit, quamvis erat *horrida cultu*. Bentl.

336. *Cineresque ingesta sepulcri*. Versu abhinc secundo habuimus: « Sed postquam condidit urna Supremos *cineres*. » Utrum horum in mendo cubet, dispiciendum est. Et profecto *ingesta cineres sepulcri* ne latinum quidem est. Quippe in omnibus hujus formæ hellenismis, quales priore versu, *laniata comas, contusa pectus*, reciprocus semper est sensus, et pronomen *suus* subintelligitur. Atqui Marcia *ingesta cineres* non *suos* utique, sed *sepulcri*. Quid, quod si *ingesta cineres* esset, non sparsa, sed tota cooperta foret atque obruta: ut Ovid. in Ibide. 464:

Saucius ingesta contumuleris humo.

Verum non cineribus *sepulcri*, sed *rogi* spargi debuerit: quippe qui *urna conditi* clausique erant, antequam ad sepulcrum ventum erat. Repono igitur,

. . . . . . contusaque pectus
Verberibus crebris, *crinesque inspersa favilla*.

In luctu, favillis seu cineribus crinem spargere, frequentissimum. *Comas laniata* et mox *crines inspersa*; sic alibi crines et cæsariem conjungit. Vid. I, 188. Bentl.

342. *Da tantum nomen inane Connubii*. Placet *conjugii*, supra enim habuimus *connubii*.

350. *Et tempora quanquam Sunt aliena toris*. Illud *et*, mutando distinctionem, jugulavit sententiam. Fœdera, inquit, placent sola, sine pompa

et cæremoniis : *quamquam* tempora sunt toris aliena. Immo *quia sunt*, non *quamquam sint*. Lege, et distingue :

> Hæ flexere virum voces, *ea* tempora quamquam
> *Sint* aliena toris, jam Fato in bella vocante.
> Fœdera sola tamen...

Sint codices plerique omnes cum Romana ac Veneta. BENTL.

354. *Festa coronato non pendent limine serta.* Versus in quodam codice margini adscribitur; sed sine hoc sequentes stare nullo modo possunt. *Non* enim ad totam sententiam pertinet. Male Oisel. cod. *limite* ? *limen coronatum* in re nuptiali satis notum est. Ovid. Met. IV, 759 ; Sagittar. de Jan. vet. c. 30, § 8. WEBER.

359. *Tralata vetuit contingere limina planta.* Veteres quatuor, et plerique alii *vitat*. *Vetuit* in nullo est, nec præteritum hic convenit. Illud *vitat* vir magnus in textum recipi velit, ut *matrona*, non pronuba, sed nova nupta intelligatur. Quis vero sponsam, quæ jam nunc ducitur domum a sponso, matronam appellavit? Præterea, si hæc nova nupta est, cur iterum mox inculcat : « *non timidum nuptæ ?* » Nihil prius de nupta dictum esse, vel inde seias, quod a *non* veluti novo principio ordiatur. Denique hæc matrona turrito capite alteque exædificato est; at mox nupta demisso vultu et flammeolo leviter velata. Quare hæc pronuba esto, et vitet ipsa limen tangere, ut suo exemplo nuptæ præcipiat. BENTL.

363. *Colla monile decens.* Æstuat hoc loco Burmannus, et hærere se fatetur, de *monili* Marciæ et nudis sine supparo lacertis sollicitus. Omnes vero æstus tam hoc loco, quam in sequentibus facile componi posse videantur, si copulativam ubique in disjunctivam mutaverimus, hoc modo,

> Infula*ve* in geminos discurrit candida postes.
> Legitimæ*ve* faces, gradibus*ve* acclinis eburnis
> Stat torus, etc.

et dein,

> Colla monile decens, humeris*ve* hærentia primis
> Suppara nudatos cingunt *angusta* lacertos.

tum, nisi fallor, summi viri dubitatio de monilium mutatione et supparis evanescat, et nudi Marciæ planctuque lividi lacerti recte se habeant. In luctu enim monilia omnemque cultum decorum (vid. v. 28.) deponere, et mœsto cultu sive lugubri mutare solebant matronæ Romanæ. In luctu et squalore erat Marcia, monilia et *angusta* suppara deposuerat, et *ricinium* sumpserat, ut patet ex eodem *Nonio* in voce Ricinium. A funere veniebat Marcia, sordida et lugubri veste, *ricinio* nempe, induta, sine supparo, sine monilibus, ut patet ex versu sequente,

Sicut erat, *mœsti* servans *lugubria cultus*.

Putidissimam vero antiquariæ eruditionis ostentationem hic facile agnoscas in Lucanoi Jev.

365. *Sic, ut erat, mœsti servans lugubria cultus, Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.* Sequere modo filum orationis: servans lugubria cultus sic amplexa est maritum, quo*que* modo natos, et videbis*que* redundare; et dictum oportuisse *quo modo natos*. Restituas vel sine libris,

Sicut erat, mœsti *servat* lugubria cultus.

Quos natos et quo modo hic amplexa fuisse dicatur Marcia, fateor mihi non liquere. Interpretes sicco pede transeunt. De natorum tamen amplexu nec Marciam cogitasse, nec Lucanum somniare potuisse crediderim. *Natas* erat in Voss. tert. Legendum puto:

Quoque modo *manes*, hoc est amplexa maritum.

Manes sive umbram *Hortensii*, a cujus busto et tumulo venit ad Catonem, sordida, lugubri veste induta, ingesta sepulcri cineres, nudis et lividis a planctu brachiis. Hoc modo igitur, hoc eodem caritatis amore, quo umbram Hortensii prosequuta erat, amplectebatur Catonem, neque enim stimulos Veneris sentiens, fœdera prisci tori tentare cupiebat, sed connubio jungi ideo unice volebat, ut a Catone non tam repudiata, quam potius *liberorum quærendorum causa* Hortensio tradita videretur, tumuloque suo inscribi posset *Marcia Catonis*. Res ultro patet, quare pluribus non adstruo. Jev.

Varie tentant seriem versuum mutare Cortius et Burmannus, versum 367 nunc ante 366, nunc ante 365 ponendo. Weber autem nexum orationis defendit, et verba *Sicut erat* melius cum præcedentibus quam cum sequentibus congruere putat, nec copulam abesse posse. — Bentleius versum 367 deleri jubet; sed singula defendi possunt. *Obsita* optime pro tecta, obtecta. Ovid. Met. IV, 724; Virg. Æn. VII, 790; Luc. V, 627. Recte *purpura*, i. e. stola purpurea, quam Marcia ex more matronarum gestabat, obtectam propter luctum lana funerea, pulla veste, seu palla pulli coloris. Conf. Rosin. Antiq. V, 32. Weber.

384. *Magnique Penates Submovisse hiemem tecto*. Hæc deleri jubet Gujetus causa non addita; forte ex amplificatione orta putavit. Sed quum epularum et vestium meminerit poeta, potuit et domicilium commemorare, illis plerumque conjunctum. Conf. I, 163; X, 108. Verba autem ex Lucaneo loquendi usu sunt. Conf. V, 537 et X, 483. Weber.

387. *Venerisque huic maximus usus, Progenies.* Credo ab auctore scriptum: « Venerisque huic *unicus* usus. » Ne Cato in hac continentiæ laude Zenobiæ vel cuiquam concedat, ideo et supra: « non fœdera prisci sunt tentata tori: » effœta nempe uxore.

397. *Nullo qua vertice tellus Altius intumuit, propiusque accessit Olympo.* Codex Bersmanni, *propiusve.* Unde legendum putat Bentleius: « ... nulloque a vertice tellus Altius intumuit, propiusve accessit Olympo. » *Nulloque a vertice;* ita plurimi Codd in aliis est, *nulla qui, nulla quo.* *Servius* quoque ad Lib. XII, Æn. v. 703, *nulloque a vertice* legit. Sed vel sic idoneum sensum non habebit. Quid multis opus ambagibus? Scribendum est, ut auctor dedisse clamat,

> ... nulloque *ea* vertice *tellus*
> Altius intumuit, propius*ve* accessit Olympo.

Ea tellus, Italia nempe, cujus hic descriptionem aggreditur poeta. Nullo monte Italia æque intumuit ac Apennino; nullus enim altior in Italia mons reperiri possit Apennino, vel qui propius accedat ad altitudinem Olympi; quippe qui, ut infra Lucanus ait v. 427:

> Longior educto qua surgit in aera dorso,
> Gallica rura *videns*, devexas *despicit* Alpes,

ut forte ibi legendum. Variant enim Codices, *aspicit, excipit, accipit,* exhibentes. Jev.

402. *Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon. Fluctus* de mari dici solent et debent, non de continente, ut Dalmatia. Lege: « Illinc Dalmaticis obnoxia *flatibus* Ancon; » ut V, 379:

> ... Ausoniam qua torquens frugifer oram,
> Dalmatico Boreæ Calabroque obnoxius Austro,
> Appulus Hadriacas exit Garganus in undas.

Ancona et Garganus in eodem Ausoniæ litore sita sunt, exadversum Dalmatiæ.

403. *Fontibus hic vastis. Montibus* vel *Pontibus* Codd. et nonnullæ Editiones. Variant item scripti in *hic* et *hinc*. Alterutrum elegeris, parum differt. Cave tantum, ne, si *hic* legas, relativum putes, et eum Oudendorpio et Burmanno de Apennino capias. Est enim adverbium loci. De Italia agit poeta. Cæterum illi immensi amnes vastis fontibus concepti mihi valde ἀπροσδιόνυσοι videntur; non enim adeo de magnitudine quam multitudine fluviorum Italiam irrigantium, quos hic recenset, agit poeta. Nec mihi placet illud ineptum *concipit*, quod credo suppositum ab iis, qui de Apennino loqui poetam credebant. Putem dedisse nobis Lucanum,

> Fontibus *hic variis* immensos *accipit* amnes,
> Flumina *qui* in gemini *spargunt* divortia ponti.

Hoc loco, inquit poeta, Italia magnos fluvios accipit variis fontibus, qui aquas suas in *superum* et *inferum* mare exonerant. *Variis* fontibus, non *vastis*: nam, ut inquit Ovid. de Remed. Am. v. 97:

Flumina pauca vides *magnis de fontibus* orta:
Plurima collectis multiplicantur aquis.

Ubi vid. Burmann. dein *qui spargunt,* scilicet amnes, qui per diversa loca suos cursus agunt, et ut apud Ovid. Met. I, 582: « In mare deduennt fessas erroribus undas. » Amnes ergo spargunt sua flumina in divortia ponti gemini, sive suas aquas exonerant hac illac in utrumque mare. Jever.

424. *Et umbrosæ Liris per regna Maricæ Vestinis impulsus aquis.* Lege *Vescinis,* ut Cluverius aliique viderunt. *Vescia* urbs apud Livium VIII, 11, et IX, 25. Stephano Βεσκία. Vescini populi memorantur X, 20, Campaniæ, ubi Liris, proximi. Placuit, ut duæ coloniæ circa Vescinum et Falernum agrum deducerentur, una ad ostium *Liris* fluvii, quæ Minturnæ appellata, altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum, Sinuessa appellata. At Vestini longe hinc siti erant, ultra Apenninum versus Hadriam. Porro quum regna Maricæ dicit, Nympham intelligi necesse est: de qua Virgilius (Æn. VII, 47: ubi cf. Heyn.) et Horatius (Carm. III, 17, 7). Unde ergo *umbrosæ?* etsi præter libros nostros scholiastes Horatii sic laudet. Certe si *regna* legas, Maricam nympham intelligas; si *umbrosæ*, non nympham, sed lucum, nemus. Martialis XIII, 83: « Cæruleus nos Liris amat, quem silva Maricæ Protegit. » Claudian. Cons. Prob. et Olyb. 259: « Flavæque terens querceta Maricæ, Liris. » Livius XXVII, cap. 37: « Lucum Maricæ de cælo tactum. » *Regna* igitur, et *umbrosæ* consistere simul nequeunt. Dedit, opinor, auctor,

...et umbrosæ Liris per *stagna* Maricæ
Vescinis impulsus aquis. Bentl.

435. *Longior Italia, donec confinia pontus Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor.* Apage tam ineptam repetitionem; donec *pontus* solveret, et *æquor* repelleret: quasi non idem sint *æquor* et *pontus*. Lege:

...donec confinia *montis*
Solveret incumbens, terrasque *revelleret* æquor.

Ordo est, donec æquor incumbens solveret confinia montis, et revelleret terras. *Revelleret,* absciuderet, abrumperet, dissociaret. Plin. Hist. V, 40: « Impetum deinde sumit Hellespontus, et mare *incumbit*, vorticibus limitem fodiens, donec Asiam *abrumpat* Europæ. » Bentl.

Oudendorpius quondam maluit *ventus*, ut vitetur repetitio, et quia statim sequitur *æquor*, et quia passim *incumbere* dicitur de vento violento a Nostro, et aliis. Vide Burmann. ad Valer. Flac. Argonaut. Lib. XI, 59:

..... in noctem venti veloque marique
Incumbunt magis.

Virg. I, Æn. 88, de ventis: « ...Incubuere mari. » Ovid. Her. Ep. XV, 15:

Incubnit Boreas, abreptaque vela tetendit.

Sed ipse Oudendorpius hanc mntationem deserit, causa sic addita: Nunc nihil muto, nam constanter omnes Codices habent *pontus*: dein solet Noster, jungere synonyma. Sic Lib. VI, 186: « hebes et non asper. » Præterea cæteri auctores hanc direptionem describentes ponti et maria viribus, non vento, plerumqne adscribunt. Vide ad Justin. Lib. IV, 1. Nostrum imitatus est Claudian. de Rapto Pros. lib. I, vss. 141:

> Italiæ pars una fuit: sed pontus et æstus
> Mutavere situm; rupit confinia Nereus
> Victor, et abscissos interluit æquore montes.

Ubi jungit *pontum*, *æstum*, *Nerea*, *æquor*. *Incumbere* etiam dicitur de mola aquarum. Statius, Theb. X, 859:

> Amnis ut incumbens longævi robora pontis
> Assiduis oppugnat aquis.

Claudian. in Entrop. II, 37:

> ... incumbas utinam, Neptune, tridenti.

Si tamen alicui non placeat *pontus*, elegantem lectionem ei præbent Vossiani secundi glossæ *montis*, Apennini scilicet, quæ non videtur temere spernenda. Inde enim Lucanus III, 63:

> ..... laborant
> Æquora, ne rupti repetant confinia montes.

455. *Hunc æquora tota sequuntur.* Burmannus, hanc comparationem longe quæsitam, nimis argutam et declamatoriam arguit. Poetæ vero culpam non esse, sed librariorum, contendit Jever. Locus, inquit, misere depravatus est. Primum *æquora tota* hic in censum venire nequeunt. Austro enim horrisonis flatibus mare possidente, quis, quæso, dubitet, an *totum æquor* pareat vento? dein Eurus, Austro contrarius, nubifer vocari non potest, et cur polus Euro cessisse dicatur, plane ignoro. Tandem, quomodocumque tentaveris, terror ille, mentes vertere facilis, ex proposita comparatione aptam explicationem recipere nequit. Vides, erudite Lector, causas, quæ me moveant, ut corruptum locum pronuntiem. Nunc accipe emendationem. Credo, nobis reliquisse poetam, hoc modo,

> Pronior in Magnum populus: pugnatque minaci
> Cum terrore fides. Ut, quum mare possidet Auster
> Flatibus horrisonis, hunc æquora *mota* sequuntur.
> *Sed* rursum tellus, pulsu laxata tridentis
> Æolii, tumidis *si* immittat fluctibus Eurum,
> Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem

Æquora, *nubifugoque* polus quum *sæviat* Euro,
Vindicat unda Notum. *Validus sic* vertere mentes
Terror erat, dubiamque fidem Fortuna ferebat.

Moto æquora lego ob rationes allatas. Sic Lib. V, v. 606:

... *motaque* possunt
Æquora subductis etiam concurrere ventis.

Sed rursum, pro *Si rursus*, ne cum vicino *tellus* ingratum fundat sonum. *St* et *Si* facile confunduntur; adversativa conjunctio hic necessario requiri videtur. *Tumidis si immittat* rescripsi, particula *si* loco suo, unde exciderat, restituta. Mox, *nubifugoque polus quum sæviat Euro*, audacter refinxi, cui emendationi ansam dedit lectio Rottendorffiani Codicis *conceverit*. Eleganter polus sævire et furere ventis dicitur. Sic *polus imbribus furere* (alii aliter legunt) diciturBoethio Lib. I, Metr. 3:

Ut, quum præcipiti glomerantur nubila Coro,
Nimbosisque polus *furit* imbribus,
Sol latet.

Ita *sævire unguibus* dicitur puella, Claudian. Fescenn. v. 104. *Nubifugus* Eurus hic recte dicitur Austro *imbrifero* oppositus. Columella, X, 288:

Nec tam *nubifugo* Borea Latonia Phœbe
Purpureo radiat vultu.

«*Validus sic* vertere mentes» tandem reposui, pro *facilis sed*, summo, nisi fallor, jure bonoque judicio. Supra enim dixerat, fidem pugnasse cum minaci terrore. *Minax* ille *terror* adventantis Cæsaris erat *validus* vertere mentes. *Sic* erat in Rottend. tertio, ut jam sibi optime constet poetæ comparatio. Quemadmodum, inquit, quum horridis flatibus Auster commotum possidet æquor, fluctus Austro parent: si tum Eurus Austro contrarius insurgat, æquora, licet novo vento quatiantur, nihilominus impetum venti prioris sequuntur, et, quum cælum *sæviat Aquilonibus*, mare tamen Austrum sibi vindicat; ita quoque terror, ipsius adventu Cæsaris incussus, licet *publicus favor* eos *inspiraret*, ut Pompeii partes sequi velle viderentur, tam validus erat, ut fides eorum vacillaret, et conversa mente Cæsari se dederent. Si quis tamen *cesserit Euro* tueri velit, (quamvis præsens tempus menti auctoris magis convenire, atque adeo emendationi nostræ favere videatur) ei non multum repugnaverim: ita enim urbes Latii dubiæ, supra v. 448, primo *terrore belli cessuræ* dicuntur. Jev.

497. *Non — stabit jam flumine Cæsar in ullo*, *Post Rubiconis aquas*. Hinc Silius de Hannibale IV, 746:

Ire jubet, prior exstingui labique videtur
Gloria, post Alpes si stetur montibus ullis.

Sed apud Nostrum *stabo* repone pro *stabit:* præcedit enim, si *me* Ganges submoveat. BENTL.

Æstuant hic viri docti in sensu horum verborum explicando; nec mirum! Menda subest. Vides ἀνακόλουθον? Si *me* Ganges submoveat, Cæsar non *stabit* in *illo* flumine. Stabit jam flumine Cæsar in *illo*, pro *in ullo*, est in nonnullis codicibus, quod placet Burmanno. Oudendorpius ex suo et Bersmanni codice profert: « ... non, si tumido me gurgite Ganges Submoveat, stabit jam *gurgite* Cæsar in *illo*. » Quod ipsi multo efficacius et elegantius videtur. Me quod attinet, crediderim, unius vocis mutatione poetam restitui posse, si legamus,

> ... non, si tumido *vel* gurgite Ganges
> Submoveat, stabit jam flumine Cæsar in *ullo*
> Post Rubiconis aquas.

Hoc sensu, jam, postquam Rubiconem semel transgressus est Cæsar, in nullo flumine stabit, licet *vel* tumidos Ganges ei oppositus fuerit. Neque hic magniloquentia Lucani culpanda venit; nam solitam Cæsari fiduciam tribuit, qui, ubi semel omnis pudoris repagula ruperat, et armatus Italiam ingressus erat, nullo modo ab incepto dimoveri se patiebatur. Respicit auctor verba Cæsaris ad Rubiconem; Sueton. Cæs. c. 31: «Ad Rubiconem paulum constitit, ac reputans, quantum moliretur, conversus ad proximos, *Etiam nunc*, inquit, *regredi possumus. Quod si ponticulum transierimus*, *omnia armis agenda erunt.*» Elegans usus hujus particulæ *vel* pro etiam. Vid. Serv. ad Virgil. Eclog. VIII, v. 69:

> Carmina *vel* cælo possunt deducere lunam.

Si vero, ita immediate post *non* positum, significat quamvis. Horat. Lib. I, Sat. IX, v. 58: «Non, hodie *si* Exclusus fuero, desistam.» Virgil. Æn. II, 79:

> Nec, *si* miserum Fortuna Sinonem
> Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Atque ita passim. JEV.

527. *Ut admixto firmaret robore partes.* Colbert. Puteaneus aliique plurimi cum Rom. et Ven. *Inmixto.* Id est, ex diversis militibus mixto. Mycillus intelligit de conscribendo novo exercito.

528. *Jamque secuturo jussurus classica Phœbo, Tentandasque ratus moturi militis iras.* Non placent Bentleio tot futuri in unum conclusi, *secuturo, jussurus, moturi?* Immo si die insequente jubere classica constituerat, eo ipso notum facit, *moturum* fore militem. Quid quod ineptum putat, miles *movet* vel *moturus est*, sic absolute positum. Reponit ergo:

> Tentandasque ratus *mature* militis iras.

Mature, nempe crastino signa moturus, pridie tentare statuit iras animosque militum. Infra v. 597:

Nec matura petunt promissæ classica pugnæ.

Valerius tamen *moturi* hic legit, p. 1436: « Futuri temporis participium a verbo dissentit: nam longam recipit, ut Lucanus,

Tentandasque ratus moturi militis iras. »

537. *Dii melius, belli tulimus quod damna priores: Cœperit inde nefas: jamjam me præside Roma.* Ob malam distinctionem, quum hiulca et scabra oratio est, tum et dictio vitiosa. *Cœpit* enim dicendum fuit, non *Cœperit.* Bentleius sic legit et distinguit:

Cœperit inde nefas; *dum* jam, me præside, Roma.

Dum jam, hoc est, dummodo jam. *Cœperit inde nefas, dum jam* a me puniatur: ut notum illud (Seneca I, de Ira cap. ult. a med.): « Oderint, dum metuant » : et mox 561: « Dux sit in his castris senior, dum miles in illis. »

544. *O rabies miseranda ducis!* Bentleio non placet *miseranda.* Si, inquit, rabies est teterrimum malæ mentis vitium, non utique *miseratione*, sed odio et vindicta excipienda erit: et quidem quod statim sequitur, *sternere profecto* non misericordiæ est, sed ultionis: putat ab auctore profectum: « O rabies *infanda* ducis! » Codex Bersmanni, *miranda.* BENTL.

Rogat Jever: De *cujus ducis* rabie hic agit poeta? de rabie Cæsaris? At eum ipsum alloquitur: ἄτοπον igitur hoc et absurdum. Dein, si *fata* eum *velint* miscere Camillis et Metellis, quomodo igitur ad Cinnas et Marios venire possit, quum fata secundum Stoici poetæ dogmata immutabilia sint? Sic autem lego, levi mutatione:

O rabies miseranda! *piis* quum *facta* Camillis
Te, Cæsar, magnisque *queant* miscere Metellis,
Ad Cinnas Mariosque venis.

Piis lego, pro *ducis*, quod ineptum. *Pii* Camilli, qui patriæ laboranti, utut de ipsis male meritæ, succurrere et opem ferre non dubitarunt. Camilli enim non minus quam Metelli appositum epitheton desiderant. *Facta* erat in Thuan. sec. et Mediol. Edit. O quam miseranda rabies est, inquit, Cæsar, qua in patriam efferatus arma convertis! Quum magnitudine rerum gestarum possis æquare Camillos et Metellos, turpiter descendis ad Cinnas et Marios, patriæ pestes. Judicent Eruditi. JEV.

557. *Fervidus hæc iterum circa præcordia sanguis Incaluit.* Si jam *fervidus*, quomodo incaluit, quod minus est quam fervere? Quomodo autem *iterum* incaluit, nisi medio tempore vel refrixerit vel intepuerit? et forsan scripsit Lucanus, « *Frigidus* hæc iterum .... sanguis Incaluit. »

Pompeius jam senior, et proprium senectutis sangnis frigidus. Entellus de se, Æneid. V, 396:

Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.

564. *Non privata cupit, Romana quisquis in urbe Pompeium transire parat.* Colbertinus alter, et Harleianus cum duobus Pulmanni elegantius,

Non privata *cupis*, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire *paras*.

Quid vero Romana urbs, an simpliciter? vide an scripserit auctor: « *Romano* quisquis in *orbe*. » Sic VIII, 211:

Quando, ait, Emathiis amissus cladibus *orbis*
Qua *Romanus* erat.

587. *Atque umbras nusquam flectente Syene.* Hic primo Scaliger injuste Lucanum accusaverat, quasi perpetuam meridiem sub tropico assignantem; sed in secunda Manilii editione banc accusationem deserit, contentus Lucano attribuere, quod crediderit nullam umbram sub tropico jaci omni meridiano tempore, quamquam parallelus sub cancro non omni anni tempore, sed solo solstitii die sit ἄσκιος. Scilicet Scaliger in Lucano legebat, boc loco: « umbras numquam flectente Syene. » Adeo ut dixerit inepte defendere Lucanum, qui volunt *nusquam* legi: « utro modo legas, inquit, idem est, utrumque reddit epitbeton perpetuum ἄσκιος, quod attribuit Syenæ. » Palmerius autem enixe adserit utrumque, et *nusquam* et *numquam*, egregium sensum babere.

Primum enim si legatur *nusquam*, quis ignoret Syenem eo potissimum nomine celebrem, quod solstitio æstivo umbras nusquam tempore meridiano emitteret. Ἄσκιος perpetuo epitbeto dicta est, quia sola erat in toto imperio Romano, quæ id præstaret; erat enim ultima urbs Romanis subdita meridiem versus. Plin. XII, 4. Ut autem ἄσκιος sit illi epitbeton proprium, non est necesse eam totius anni tempore in meridie sine umbra esse, non magis quam mane et vesperi. Sed satis est tale epitbeton eam necessario distinguere ab aliis civitatibus notis, quæ imperio Romano parebant. Idque omnes fere antiqui inprimis peculiare in ea notaverunt. Strabo lib. II; Plutarch. de Oraculorum Defectu; Arrianus in Indicis; Ammian. Marcell. lib. XXII: « Dein Syene, in qua solstitii tempore, quo sol æstivus austrinum cursum extendit, recta omnia ambientes radii excedere ipsis corporibus umbras non sinunt. » Alia etiam ratione potest Syene ἄσκιος dici, quod ea, et si quæ est alia civitas quæ tropico subjaceat, magis est ἄσκιος, id est, pluribus diebus nullas umbras jacit, quam alia loca quæ magis ad meridiem vergunt et æquinoctiali sunt proximiora. — Nec pejus, prosequitur Palmerius, si legamus *numquam*, quod tamen negat.

Exstitit et Lucani assertor contra Scaligerum Fr. Insulanus, in epistolà versibus scripta, typis mandata anno 1583, cujus partem, qua et anni emendandi rationem exponit, ut parum cognitam et satis notari dignam, huc afferre curavimus.

... Hactenus nt fuerit nugis ter maximns Hermes
Scaliger, audistis: quam nunc ad cælica solers
Audite; et si quid demum est pietatis, ab illo
Fœde discerpti jam nunc miserescite cæli.
Hostis is est nobis qui cælo; ideoque nec ipsa
Insulei fuerit, sed cæli pagina vindex.
....
Versibus his: « umbras nusquam flectente Syene, »
Lucani mentem non esse, hoc climate solem
Perpetuo appendi, ac falso tibi, Scaliger, istic
Substitui *numquam*, manifestum fecimus: at tu
Quid contra? *numquam nusquamque* synonyma dicis.
Næ dignus scutica! dignus quem despuat omnis
Cœtus, et a scena transversum ad lora traharis.
Tune adeo infestus veri sis hostis, inepta
Ingerere ut prudens malis, quam vera pudenter
Agnovisse? Quid hoc, vinci fera corda, domari
Non posse? At rursus quod nullo jure tueri
Grammaticus potuit, commento eludere certat.
Ægocero et Cancro subjectis sedibus umbram
Et nusquam et nulla (verba ipsa appinximus hostis)
Anni parte jaci Veteres, ait ille, putarunt.
Heu stolidum mysten! o portentosa mathesis!
Si Cancro et Capro subjectis sedibus umbram
Deficere æternum credebant, ergo necesse est
Id quoque crediderint, nempe uno tempore fixum
Diversis Titana locis, hisque æthere tanto
Nempe quaterdecies et septem partibus orbis,
Integraque plaga semotis. Deinde nec ortus
Esse, nec occasus illi, quum Gnomonis umbræ
Numquam deficiant, ni quum sol vertice summo est,
Appendetque. Vides quo te, Josephe, furoris
Sensim proripias... Non est cur astra doceri
Grammaticum pudeat: solatia forsitan et tu
Victus magna feres hoc a me pulvere vinci.
....
Annus ad æternas leges, ad puncta reductus
Cælica, tercentum sex senis quinque diebus,
Quinque horis, scrupis quadraginta quinque, secundis
Octodecim, tertiis bisseptem denique constat.

Id reliquum horarum majus quincunce diei,
Et quadrante minus, plebs cæli nescia fecit
Quadrantem, lustroque ideo intertexuit unum
Integrumque diem: sic quadrans integer anno
Additus est, quadrans quamvis non integer esset.
Quadranti hæc deerant bis septem nempe minuta,
Fractaque quæ doceni, quod quadrans circiter horæ est.
Id minimum dices: at qui cælestia versat
Et minimo, et si quid minimo minus, improbus hæret.
Quod minimum nunc reris, idem tot deinde per annos,
Sæcula tot, ductum, pedetentim adsurgeret arti
Innumerum: nil non tandem sensibile cælo.
Is quadrans horæ, tibi qui protuberat anno,
Si numeras, anni est centesima pæne diei,
Sæclo integra dies, ut ephemeris arguet ultro.
Sæcula si gemines, tanto geminaveris idem
Errorem, totidemque dies quot sæcula surgent.
Deterior fies progressu. En illa dierum
Luxuries, en cur a Phœbo discrepet annus.
Id vitii, hoc tuber primi advertisse feruntur
Æthiopes, sedes noscendo aptissima cælo.
Nil latet hic cæli *; libramine semper eodem
Noctibus æqua dies: nobis ad Plaustra repostis
Durior, et medium æterna caligine cælum
Mersit, et ingratis vicibus, quodamque tumultu
Implicuit natura dies. Quid denique nostro
Orbe, nisi obliquum? naturæ id crimen in ipsos
Arctoos, his objicibus nos arcet Olympo.
Ille igitur, quam nos fausti magis ætheris hospes,
Nos quoque prævertit, primusque ut iniqua notavit
Tempora, sic primus, fallax ut calculus ille
Emendaretur, docuitque usuque probavit.
Nam quia judicio transacti temporis, annum
Civilem vidit, tot tum superasse diebus
Legitimum, quot sæcla sibi numerata fuissent,
Sæclo quoque diem deduci jussit, et hujus
Indici patriis æterna silentia fastis.
Quem quoque et adsuerat sacris impendere ludis:
Scilicet ut ludis et relligione Deorum
Personata dies hoc plausu creperet anno
Commodius, sensusque minor medicaminis esset:

* In Horizonte enim habent utrumque polum, in zenith æquinoctialem lineam, quod dicunt astronomi sphæram rectam habere. Sic nihil cæli absconditur, nihil illis oblique fertur et quotidie horarum viginti quatuor spatio cælo omni, quantumcumque est, fruuntur. Ed.

Et quæ non docilis falli plebecula posset.
Is mos dum viguit, numeris et legibus annum
Continuit, sine quo jamdiu præposterus isset
Quisque dies, ferveret hiems, horresceret æstas.
Ætas illa pares signis ac mensibus ortus
Occasusque pares vidit, non hercule tantæ
Molis opus, quam vel docti plerique putarunt,
Ut quod, si propius spectes, cælum ingerat ultro.
Principio rerum, quum prima repagula Titan
Exorsus, primum bissenam refluus egit
Zodiaci partem, primævum id tempus, id anni
Principium, et signi et mensis est nomine dictum.
Par ratio, par est series et mensis et anni
Post lapsi. Quid enim menses nisi prorsus eamdem
In spiram, primi semper renovatio mensis.
Ergo si primus, quisquis fuit ille, recenti
Zodiaco mensis a signi limine cœpit,
Iisdem a principiis reliquos cœpisse necesse est:
Atque eadem mensi quæ signo exordia fingi.
Qun certum est Fastus a sole recedere, quantum
Menses a signis et signa a mensibus absunt.
Quando igitur fallax et præceps calculus anni
Jam mensem a signo vicenis pæne diebus
Sejunxit, referendus eo tibi calculus, unde
Decidit, hique dies viceni a calce decembris
Usque recidendi, donec Capricornus et annus
Prorsum eadem ducant ab eodem exordia puncto;
Atque ita sit signis idem qui mensibus ortus.
....
A signo occipiet, in signum desinet annus.
.... Signum mense prius dices, Josephe: quid inde?
Non ideo efficies, quin prima repagula Phœbi
Signi a principio fuerint. Qua lege necessum
Hoc nempe est, anni primordia debita signo.
Annum igitur quum jam nequeas nisi limine mensis
Ordiri, superest ut menses prorsus eodem
Auspicium a puncto, quo signa et singula, ducant.
Nec desunt itidem, qui brumæ puncta decembris
Limine constitui malint, ut Junius uni
Solstitio, veri Mars antiquissima sedes
Servetur: speciosa quidem, sed vana mathesis.
Nam quum non fastis aliunde obrepserit error
Quam quod solstitii tibi punctum a calce decembris
Repens sursum agitur: quo plus ea puncta decembri
Intuleris, vitii tanto plus fautor, id, a te

Quod retrahi decuit, sursum provexeris, ipsi
Zodiaco atque adeo contrarius omnibus astris.
Jure igitur jam Cæsarei damnabitur anni
Luxuries, ut cui vicesima quinta decembris
Brumam consti'uat, Jani statuenda calendis
Quæ fuerat; mendom qnod tantum in postera serpsit
Sæcula, ut et brumam nono decimoque calendas
Permulti, undecimo tandem Probus ipse locarit.
Ille quoque et nostri qui nuper prodiit anni
Calculus, ut laudanda quidem primordia fastis
Æquandis posuit, id adortos jamque dierum
Subtractu, atque illa quam nunc suademus amussi.
Hoc tamen et peccat, quod denis nempe diebus
Contentus minus absciderit, quam postulet anni
Luxuries, jam plus vicenis lucibus aucta.
Quid ni iterum bis quinque dies subduxerit, ut sic
Viceni sibi sint, et Jani limine figat
Solstitium, cælo nequaquam æquaverit annom.
Hæc lex, hæc ratio, quæ Phœbo consona demom
Sæcula, quæ fastos ad jus cæleste reducat.

636. *Pharios hinc concute reges.* Colbertinus alter, et Puteaneus cum duobus Pulmanni, «*Parthos* hinc concute reges:» quod quidem quam *Pharios* mallem, hi enim propiores Tigrani et Pharnaci. Et quum *Nilum move* dixerit, eo ipso *Pharios reges* tum significavit. Hanc enim οἰκονομίαν servant poetæ nobiles, ut, si vaticinentur, si vota faciant, si jubeant quid agendum, semper id qood prædicitur, vovetur, imperatur, eventum suum babeat. Atqui *Parthi* non *concutiebantur*, neutras partes sequuti, III, 265:

Fallaces dubium Parthi tenuere favorem,
Contenti fecisse duos.

Quamobrem, ut sæpe accidit, utraque lectio mendosa est, tam *Pharii*, quam *Parthi*; dum veterem et veram hi uno modo, alii alio contorquent. Scripsit poeta: «*Bactros* hinc concute reges.» Bactri enim in Pompeii partibus militabant; III, 267:

....tinxere sagittas
Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, vastisque Hyrcania silvis.

Pharnacis autem a recto *Pharnax*, non a *Pharnaces.* Priscianus p. 724: «Barbara nomina in *x* corripiunt penultimam; ut Volux Volucis, Pharnax Pharnacis: Lucanus in II: «Tigranemque meum: nec Pharnacis arma relinquas.» Bentl.

645. *At vos, qui Latios signatis nomine fastos. Et vos,* codices fere

omnes cum Romana et Veneta, recte: sed iidem omnes mendose *Latio*. Deinde Colbertini duo, Cantab. Trin. cum magna recentiorum turba *signastis*; tum scilicet, quum novo anno consules facti estis. Reponendum igitur,

> *Et vos*, qui Latios *signastis* nomine fastos.

Mox, *Macetumque* meliores omnes, a recto *Macetes*; non *Macedumque*. BENTL.

650. *At numquam patiens pacis, longæque quietis.* Pro *pacis* Colbert. prior, Putean. Harleianus, Trin. Caianus cum tribus Pulmanni *segnis*: addit Puteaneus, antiqua manu, *segnis* esse pro *seguitiei*: commentum sane lepidum: sed ut certum est, numquam sic dicere voluisse Nostrum, *segnis longæque*, ita et æque certum, non dixisse *pacis*; quia altero ante versu dixerat: « dum *paci* dat tempus hiems.» Nescio an recte divinaverim,

> At nunquam patiens *oti*, longæque quietis.

Oti, hoc est, *otii*; ut *Corfini* supra, *Corfinii*, et alia apud hunc plura. Virg. Georg. IV, ipso fine: « Studiis florentem ignobilis *oti*. » Curtius VI, 2, de Alexandro: « Militarium rerum, quam *quietis otiique patientior*. » Sallustius Jugurth. 70: « Vulgus, cupidum novarum rerum, *quieti* et *otio* adversum. » BENTL.

Omnes fere Codd. *segnis* exhibent, quod probat Oudendorpius. Segnem versum hæc vox facere videtur Burmanno, qui ex glossa irrepsisse putat, et ingeniosam Heinsii conjecturam, *senii* legentis, probat. Bentleius, mutata distinctione, refingit:

> At numquam patiens *oti*, longæque quietis,
> *Actorum* ne quid fatis mutare liceret.

Hic autem Jever: *Segnitiæ patiens* dederat nobis auctor. Verum et alia menda subesse videtur. Quid enim sibi illa, *ne quid fatis mutare liceret*, velint, plane non intelligo. Fata enim ea, quæ facta sunt, infecta reddere nequeunt, quippe nec ipsi Jovi, teste Horatio Carm. III, 29, 47, hoc licet. Unde patet, infeliciter Bentleium hæc tentasse. Quid multa? Locum ita constitue, et habebis Lucani manum:

> At non *segnitiæ* patiens, longæque quietis
> Armorum, ne quid fatis *nutare* liceret,
> *Insequitur*, generique premit vestigia Cæsar.

Segnitiæ non patiens erat Cæsar, qui moras belli ferre non poterat. Lucanus Lib. V, v. 409:

> Turpe duci visum rapiendi tempora belli
> In segnes exisse moras, portuque teneri.

Nutare scripsi pro *mutare*, sensu hoc postulante, qui hic, credo, fuerit:

Cæsar, inquit poeta, omnis moræ impatiens et bello civili cito defungi cupiens *insequitur* (ita lego, pro *assequitur*, quod inde patet, quia ejus vestigia premere dicitur) Pompeium, ne quid fatis *nutare* liceret, id est, ne fatis liceret dubium et ancipitem favorem tenere inter se et Pompeium, sive ne dubitarent fata ipsum favore solito prosequi. Ita Lib. III, v. 265:

Pugnaces *dubium* Parthi *tenuere favorem.*

Id est, nutaverunt, ancipites huc illuc fluctuaverunt, Cæsari an Pompeio faverent. Sic Valer. Flacc. Lib. III, v. 686: Vario *nutat* sententia motu. Atque ita *ruina* mundi et fati *nutare* dicitur, id est, dubia esse, in quam partem cadat, apud Lucanum Lib. IV, v. 393, et Lib. VII, v. 244; *mutare* et *nutare* semper fere confusa. Vid. Heins. ad Claud. de Bell. Gild. v. 220, et Drakenborck. ad Sil. Ital. Lib. VI, v. 234. Jev.

660. *Communem tamen esse dolet.* Si seriem orationis evolvas, videbis illud *tamen* sententiam onerare caudamque male trahere: scripsit, opinor, poeta: « Communem *terram* esse dolet. » Tum aptissime succedit id, quod sequitur: « nec rursus aperto Vult hostes errare freto. » *Rursus* idem est quod *contra*: terra igitur et fretum hic opponuntur. Dolenter et ægre tulit Cæsar, vel terra Pompeium, vel mari consistere. Bentl.

661. *Sed molibus undas Obstruit, et latum dejectis rupibus æquor.* Mira hic seu librarii, sive correctores facinora ediderunt. Illud vide: *obstruit undas molibus, et latum æquor dejectis rupibus*: ubi posterius eolon sine verbo incedit, pondere gravi et inutili: nihil enim sensui addit, nihil habet ex more geniove Lucani. Quid, quod *latum æquor*, ineptissime hic dictum? quis enim tam demens, ut tale iret obstructum? Quid denique est *dejectis rupibus?* injectis potius, aggerem enim injectum esse significat. Favebit lector non malignus, si tot in una sententia vitiis poetam liberavero; sic ut non meam manum, sed veterem auctoris restituam. Lege igitur:

...sed molibus undas
Obstruit, *eliditque ingestis* rupibus æquor.

Curtius de re simili, IV, 2: « Jamque a fundo maris in altitudinem montis opus excreverat (lege ex codice vetusto, in altitudinem *modicam*) nondum tamen aquæ fastigium æquabat: et quo longius *moles* agebatur a litore, hoc magis quidquid *ingerebatur* præaltum absorbebat mare. » Jev.

663. *Cedit in immensum cassus labor. Cedere, cadere in cassum, in vanum, in irritum*, intelligo quid velint. Seneca Thyeste, 1067: « Cecidit in cassum dolor. » Hippolyto, 181: « Cedit in vanum labor. » Sed *cedere in immensum*, aut nihil est, aut sententiæ plane contrarium: aut fallor, aut

scripsit poeta: « *Crescit* in immensum cassus labor. » Duo igitur dicit auctor, et laborem crevisse in immensum, et incassum quoque cecidisse. BENTL.

670. *Tunc placuit cæsis innectere vincula silvis.* Quod Cæsar per rates duplices se effecisse dicit; id Noster per σχεδίαν et trabes connexas factum esse narrat. Potuit fide historica sic dixisse,

Tunc placuit junctis innectere vincla carinis.

672. *Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem Construxisse vias.* Numquam commiserat Noster, ut versus tam scabre aspereque exiret, *Æquora Xerxem.* Recte igitur Colbertinus veterrimus *Persen.* Cæterum pro *construxisse* Bersmanni codex *constituisse*; Bentl. conjicit: «Tumidum super æquora *Persen Constravisse* vias. » Quam lectionem exemplis adstruit. Justinus II, 10: « Xerxes ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturæ ipsius dominus quædam maria *pontibus sternebat.*» Livius X, 47: «*Via* a Martis silice ad Bovillas *perstrata* est. » Virgilius (Æn. I, 426: ubi cf. Cerdam.) et Lucretius, (I, 316.) *strata viarum.*

673. *Multum quum pontibus ausus, Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo.* Nihil tam ridiculum in quoquam, opinor, scriptore occurrit, quam *multum ausus pontibus.* Ex Pomponii Melæ loco fluxisse hoc arbitror, II, 2: « Est et regio, in qua Persarum exercitus divisas spatio pelagoque terras ausus pontibus jungere (mirum atque ingens facinus) ex Asia in Græciam pedes, et non navigata maria transmisit. » Quum hic dixisset, *ausus pontibus jungere*, corrector aliquis hoc arripuit, et Lucano illevit. Atqui *vias* jam dixerat Noster, ut *pontibus* addere ineptum fuerit: neque exitum habet oratio; deest enim *jungere* vel simile quid. Spero me sententiam saltem auctoris reduxisse, legens:

Constravisse vias; *tum quum dementibus ausis*
Europen Asiæ, Sestonque admovit Abydo.

Et *ausis* quidem, quod vel sine codice in promptu erat, Colbertinus veterrimus habet. *Europen* autem Græca terminatione, ut *Seston;* Ovid. Met. V, 648:

Jam super Europen sublimis et Asida terram.

Sententia per se clara est. *Tum quum* et *multum quum*, passim habes tam separatim quam junctim. Ovid. Heroid. I, 5:

O utinam, tum quum Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis!

Poteris etiam, et fortasse verius:

Constravisse vias, *olim* quum *ingentibus* ausis.

Ut Mela: « Mirum atque *ingens* facinus. » BENTL.

Obelo hunc locum notaverat Heinsius veluti suspectum. Burmannus, idoneum inde sensum non posse elici videns, conjiciebat *stulto cum pontibus ausu*. Bentleius quoque mutare tentabat (vide supra); et hoc modo refingebat versum 675:

Incessitque *pedes rapidum* super *Hellespontum*.

Mihi in senatu critico sententiam dicere si licuerit, locum non solum corruptum, sed et interpolatum videri, pronunciabo. Ratio hæc est. Illud *pontibus* corruptum est, quia hoc satis indicant illa verba, *Tales vias construxisse Persen*. Dein vero illa, quæ sequuntur,

Non Eurum Zephyrumque timens, quum vela ratesque
In medium deferret Athon. Sic ora profundi
Arctantur casu nemorum,

proletaria sunt, interpolatoriam manum olent. Neque enim *Athos velificatus* quidquam ad Lucanum facit, cujus menti plane adversatur. Quanta porro elegantia, *deferre* vela et rates in medium Athon? *Casus* ille *nemorum* etiam nihil venustatis habet, et causa esse videtur, cur *ora* illa *profundi* otiose v. 681 repetantur; quin et *Sic* redundat, cum ἀπόδοσις comparationis jam præcesserit, ut quilibet videre potest. In malam rem igitur simul cum *Atho* abeat hoc putidum emblema. Bentleio certe hæc merito spuria visa fuere. In Turriano Cod. erat *cum montibus ausis*. Legendum puto,

Tales fama canit tumidum super æquora Persen
Constravisse vias, magnis quum *conscius* ausis
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
Inclusitque fretum *ratibus*! Tunc aggere multo
Surgit opus, longæque tremunt super æquora turres.

Constravisse lego pro *construxisse* vel *constituisse*. Nam *constituere* vel *construere viam* hoc sensu dici non memini. Sternere viam, sternere pontes, et sternere et consternere maria pontibus, recte dicitur. *Conscius magnis ausis*, i. e. fidens viribus suis, quibus se hæc facile effecturum sciebat. Tandem *inclusitque fretum ratibus* reposui, i. e. clausit et texit Hellespontum ratibus, adeoque recte se habet similitudo cum operibus Cæsaris, quibus Pompeium in portu circumvallare et exitu prohibere instituit, aggere per mare ductu. Quemadmodum de Xerxe dixit, «clausit fretum ratibus,» sic de Cæsare v. 661, dicit, «molibus undas obstruit.» *Inclusit* et *Incessit* facile confundi potuere. «Incessit super fretum» non adeo poeticum, et sic in tribus continuis versibus *super* inepte repetitur, ut recte observavit Oudendorpius. *Ratibus* in *rapidi* facile mutari potuit. Jever. Non tamen spuria, sed corrupta esse putat Weber, loca ubi idem vocabulum repetitur.— Talia plerumque in orationibus repeririuntur, quæ magna cum arte et diligentia a Lucano elaboratæ raro exempla repetiti verbi præbent. In aliis denique locis repetitio ejusdem vocabuli

sine dubio signum interpolationis est; quod tamen per se non sufficit, ut versum aliquem ejiciamus, nisi causæ aliæ accedunt. Sæpius vero in Lucano comparationes leguntur, quarum singulæ partes, non tam comparandi, quam ornandi causa additæ, ex tota Lucanea loquendi ratione explicandæ sunt. Quis autem poetam hac in re cohibere ausit? *Super* ter in eadem sede positum displicet: sed in Nostro excusandum. Quomodo *Athos* menti auctoris adversetur, intelligere non possum, quum verba *quum... Athon* ad Xerxis magna ausa cum Cæsaris audacia in universum comparata multum faciant. Majorem veri speciem habent, quæ de versibus sequentibus dicuntur. *Sic*, quod post *tales* in comparatione displicet, duplici modo explicari potest, vel puncto posito post *Athon* et post *nemorum*, ut particula sit, quæ pergenti in narrando serviat, cf. II, 290; vel, quod malim, colo posito post v. *Athon*, ut *sic* apodosin indicans verbo *tales* respondeat, quod *tunc* flagitare videtur. Neque opus est *tales* in *quales* mutare, quum sæpius Lucanus, comparanda re posita, post comparationem particulam *sic* addat, priorum verborum quasi oblitus. *Ora profunda* repetita sane displicent, sed excusantur, quum sensus verborum in his finitus sit, et narratio repetitionem flagitet. *Nemorum casu* Bentleio ex vers. 670 repetita et Clercquio invenuste dicta sunt; sed vide quomodo *casus* ex v. *cæsis* repetitum esse possit. Neque verbum invenustum, sed poeticum est. Quis enim interpolatorum *casus nemorum* dixerit, ut sit *strages, ruina arborum?* cf. Horat. Od. II, 10, 10. Juven. X, 105. Male Jever mutat *incessit:* poeta enim hæc addidit ut non tam similitudo operum Cæsaris et Xerxis, quam simile eorum conamen appareret. Sæpius autem *super* a Nostro post substantivum ponitur. *Incedere* denique optime de Xerxe tumido magnaque cum pompa super Hellespontum invadente dicitur. Cod. Lips. emendabat « ponti super Helles, » quia in Lucano spondiacos non ferebat, quorum tamen duodecim exempla sunt. *Deferret* recte; ut ad Xerxem referatur, et hæc sit causa cur Eurum Zephyrumque non timuerit. Positum est pro *ferret*, *ablegaret*. WEBER.

726. *Quæ, quum super æquora toto Prædonem sequerere mari.* *Maris* habent Puteaneus et Harleianus. Pro *toto* Meadianus, Arundelianus, *tota;* Bersmanni codex, et pro varia lectione Colbertinus sec. *victor:* quod interpolator aliquis, vulgata lectione merito offensus, videtur substituisse: scripsit enim auctor,

...Quæ quum super æquora *tota*
Prædonem sequerere *maris.*

Prædo maris est pirata. Nepos in Themistocle, c. 2.: « Deinde maritimos prædones consectando, mare tutum reddidit. » Val. Maximus VI, 9, §. 15: « C. Cæsar a maritimis prædonibus circa insulam Pharmacusam exceptus. » *Tota* æquora, ut de re eadem Florus III, 6, §. 11: « Sic per omnes æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quidquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum et oppressum est. »

728. *Descivit Fortuna tuis.* Codices plerique cum Ed. Rom. *destituit.* Pulmanni duo *deseruit*, unus *cessavit*, Veneta *recessit.* Colbertini duo et Cantab. et Pulmanni unus *descivit :* atque ita Lactantius ad Statii Theb. II, 311 :

> Respiciens *descisse* Deos, trepidoque tumultu
> Dilapsos comites.

Hanc autem lectionem merito Grotius in textum adscivit. Primus insurgit vero Gronovius ad Senecam de Ira II, 10, ubi Grotii verba citans (*descivit*, ita scribi convenit, non *deseruit*, nullus enim sequitur accusativus): «neque necesse erat, inquit, sequi, et phrasis non erat reprehendenda.» Deinde satagit, ut verbum *deserere* absolute poni ostendat. Etsi in notula est *deseruit*, in animo tamen habuit Grotius *destituit.* Sic refingere vult Bentleius : « .... Lassata trium*phos* Destituit Fortuna tuos.» *Destituit*, quæ defatigata sustinere amplius nequit; at *desciscit* infida, non lassa. Seneca Epist. LXXI, «Scipionem in Africa nominis sui *fortuna destituit.*»

Lassata absolute, sine ablativo sequente : ut Ovid. Met. VI, 352 :

> ... non ego nostros
> Abluere hic artus, lassataque membra parabam.

734. *Parcitur Hesperiæ, procul hoc ut in orbe remoto Abscondat Fortuna nefas.* Vitiosa hæc ratio est; non enim *parcitur Hesperiæ*, ut Fortuna procul abscondat nefas : sed Fortuna nefas procul abscondit, ut *parcatur Hesperiæ.* Hæc igitur sententia Lucano redonanda est. Colbert. duo, Harleianus, Trin. Cantab. Regius, Bersmanni quatuor cum Rom. *et* habent, non *ut :* unus autem ex Bersmanni penu *abscondit* et *servatur.* Lege igitur,

> Parcitur Hesperiæ : procul hoc *et* in orbe remoto
> *Abscondit* Fortuna nefas: Romanaque tellus
> Immaculata sui *serva*tur sanguine Magni.

BENTL.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM

LIBRI TERTII

E SULPITIO DESUMPTUM.

Tertius exponit fugientis somnia Magni;
Atque ut Trinacrias est Curio missus in urbes.
Brundusio reditum describit Cæsaris; inde
Prædantis fiscum, cui vult obstare Metellus;
Hinc populos, Magnum qui sunt in bella sequuti;
Utque iter accelerans Hispanas Cæsar in oras,
Massiliam fidam vexat terraque marique:
Moxque abiens Bruto victori bella relinquit.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER TERTIUS.

ANALYSIS.

In Epirum tendenti Pompeio, Juliæ visa est per somnum imago, quæ mala ominatur; 1—35. Dyrrachium adit Magnus; 36—45. Interea Cæsar, pro commeatibus parandis in Siciliam et Sardiniam Curione misso (46—70), Romam petit, moxque in eam terrore attonitam ingreditur; 71—103. Senatum nullo jure convocat; 104—114. Ærarium prædari tentat; sed prohibet Tribunus Metellus, 115—141, qui tamen, suadente Cotta, victori cedit; 142—153. Spoliatur templum; 154—168. Auxiliares Pompeii copiæ recensentur; 169—297. Cæsar, trepidante Roma relicta, transit Alpes; 298—303. Massiliensium ad Cæsarem oratio, 303—355; hujus ad illos responsum; 356—372. Tunc ad eorum urbem convertit iter, castraque juxta constituit; 373—398. Luci descriptio datur, qui mox concisus jacet, primo Cæsare bipennem librante; 399—452. Hæsuri martis impatiens, dux fertur in Hispaniam, dum per legatos instat Massiliæ obsidio, et aggeres eriguntur;

453—496. Noctu Massilienses erumpunt in hostem, et incendunt machinas; 497—508. Romani fortunam mari tentant : utriusque classis descriptio; 509—538. Navale committitur prælium, in quo Massilienses superantur ; 539 ad finem.

PROPULIT ut classem velis cedentibus Auster
Incumbens, mediumque rates tenuere profundum,
Omnis in Ionios spectabat navita fluctus :
Solus ab Hesperia non flexit lumina terra
Magnus, dum patrios portus, dum litora numquam
Ad visus reditura suos, tectumque cacumen
Nubibus, et dubios cernit vanescere montes.

1. *Cedentibus.* Impulsu procedentibus. Hoc tamen quidam tentant mutare in *turgentibus* ; sed *cedere* vela defendit Oudend. sic : Forte tamen melius explicandum naves Pompeii fugientes. Cedunt autem, vel fugiunt naves quum terram relinquunt, et in altum provehuntur. ED. — *Auster.* Bentleius putans non Austrum, sed Boream a Brundisio in Græciam ferre, tentat reponere *aura incumbens*. Sed *Auster* hic quemlibet ventum notat.

2. *Incumbens.* De vento, velis marique incumbente, vid. Æneid. I, 84 : « *Incubuere mari*, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt. » Valer. Flacc. II, 59 : « Adde, quod in noctem venti veloque marique *Incumbunt* magis. » — *Tenuere.* Alii *movere*, et *movere mare* de navigantibus dicitur. Sed Virg. V, 1 : « Interea medium Æneas jam classe tenebat Certus iter. » Quem ante oculos Noster habuit. Conf. Æn. V, 8; III, 192.

3. *Omnis in Ionios.* Cæteris omnibus Ionium mare prospicientibus, Pompeius solus respexit Italiam.

4. *Non flexit.* Mos enim, respicere illuc, unde invitus abscesseris. SCHOL. De hoc more Georg. Virgil. III, 228 : « Et stabula adspectans regnis excessit avitis. » Hesperia terra hic non alia est, quam Hesperia sive Italia, a qua non deflexisse lumina dicitur Magnus; unde Bentleio videtur illa vox *terra* plane otiosa. Ideo reponit : « Non flexit *lumina* Magnus *Caræ* dum patriæ portus. » Quod vix cuiquam placebit. ED.

6. *Tectumque*, etc. Montium fastigia nubibus obducta.

7. *Vanescere montes.* Rarescere, disparere, vix dignosci a nubibus. — *Dubios.* Sunt obscuri de quibus

Inde soporifero cesserunt languida somno
Membra ducis : diri tum plena horroris imago,
Visa caput mæstum per hiantes Julia terras
Tollere, et accenso furialis stare sepulcro.
« Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum
Ad Stygias, inquit, tenebras, manesque nocentes,
Post bellum civile trahor : vidi ipsa tenentes
Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas armis.

e longinquo dubites an videas montes necne. Æn. III, 522 : « Quum procul obscuros colles, humilemque videmus Italiam. »

8. *Inde*, etc. Pompeio per quietem Juliæ (de qua I, 113) umbram oblatam fingit poeta. — *Soporifero*. Bentleius τὸ *somno* majuscula litera scribi malit, ut Deus Somnus intelligatur. Sed non opus. *Soporifer somnus* hic est *altus*, *ignavus*, *stertens*, *stuporem omnibus membris inducens*, qualis nempe mortales, nimiis curis vel gravi labore defatigatos, vel invitos opprimere solet. Sic V, 689 : « ... quum te rapuit mare, corpora *segnis* Nostra *sopor* tenuit. » Et inde *soporiferum papaver* Maroni, quia altum et morti similem soporem facit, Æn. IV, 486. — *Cesserunt*. Somno cedere, dixit etiam Val. Flacc. II, 71. Tamen proponit Jever : *cecidere ut lumina*.

10. *Per hiantes*, etc. Tellure rupta Tartaro gressum efferre.

11. *Accenso ... sepulcro*. *Accensum* dicit *sepulcrum* propter faces, quibus illa, tanquam aliqua furia, armata esse videbatur. Hinc Scholiastes ait : « Unum pendet ex altero. Idem *accenso sepulcro*, quia furialis. Furiæ enim cum facibus describuntur. » Durius tamen Heinsio videtur *accensum sepulcrum*, et conjicit *adscenso* vel *escenso*. Manes enim, licet essent in inferis, simul cum corpore evocari sepulcro credebantur. Ergo sensus, explicante Oudend. sic se haberet : Julia primo visa est caput per *hiantes terras* tollere, et dein tota ante oculos stare, *escenso sepulcro*. Nihil autem mutandum est : Julia *furialis*, id est, instar furiæ, visa est accensis rogis et prætentis facibus adstare, indignata propter superductam Corneliam, et civile bellum. Sepulcrum pro rogo sumi omnes noverunt. Videbat ergo Pompeius Juliam, et juxta eam rogum, quasi sibi paratum. VI, 506 : « Et *accenso* rapuit quæ thura *sepulcro*. » Rejecimus ad disq. var. conjecturas Bentlei *effracto* et Jeveri *in celso* suadentium. Ed.

12. *Sedibus Elysiis*, etc. Nec mea tui cura ipsa in morte recedit. Quin et manes passura meos, ex quo bella movere cœpisti, ego e beatarum animarum sedibus in damnatorum loca detrudor.

15. *Eumenidas*. Furias tres, Εὐμενίς dictas Oresti, postquam eas consilio Apollinis placasset. — *Quaterent*, etc. Tenentes manu faces quas intentarent vestris furialibus

Præparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor : in multas laxantur Tartara pœnas.
Vix operi cunctæ, dextra properante, sorores
Sufficiunt ; lassant rumpentes stamina Parcas.
Conjuge me lætos duxisti, Magne, triumphos :
Fortuna est mutata toris ; semperque potentes
Detrahere in cladem fato damnata maritos,
Innupsit tepido pellex Cornelia busto.

armis incitandis. Alii *Eumenides*. Ut sit : Vidi ipsa lampadas quas Eumenides quaterent. Sed et vulgata bene se habet : Vidi Eumenidas tenentes lampadas, quas quaterent.

16. *Præparat innumeras*, etc. Neque enim una sua ratis sufficiet transvehendis animis eorum, qui hoc bello perituri sunt. Certe non vulgo plus quam scapha Charonti adscribitur ; sed hoc Lucano dandum, qui pleraque ὑπερβολικῶς auget. Meliore judicio Petron. Carm. de B. C. v. 121 : « Vix navita Porthmeus Sufficiet simulacra virum traducere cymba ; Classe opus est. » Ed. — *Adusti*. Hoc epitheton de Phlegethonte frequentius, quam de Acheronte usu venit; sed sic et alibi, VI, 704 : « Tuque, o flagrantis portitor undæ ; » et Silius XI, 473 : « Pallida regna Bistonius vates, flammisque Acheronta sonantem Placavit plectro. » Ed.

17. *Portitor*. Charon, qui vehit animas. — *In multas laxantur*. Id est, dilatantur, ut novis animis fiat locus. Sic Æn. VI, 412 : « laxatque foros. » Silius, IX, 250 : « ... pallenti lætus in unda Laxabat sedem venturis portitor umbris. »

18. *Vix operi cunctæ, dextra*, etc. Exercentur, immo lassantur Parcæ tot staminibus vitarum absolvendis.

20. *Conjuge me lætos*. Hoc quidem ex historia falsum. Tertius enim et postremus Magni triumphus ante Juliæ nuptias actus est, anno Urbis 692; illæ factæ anno 695. Ed.

21. *Toris ; semperque potentes*, etc. Cum conjuge, nam Cornelia fatalis est et ominosa maritis. Ut fuit P. Crasso prius, qui periit apud Parthos, tibi futura æque perniciosa. Infelici fato nata Cornelia infelices faciebat maritos, quod ipsa testatur VIII, 88 : « O utinam in thalamos invisi Cæsaris issem, Infelix conjux et nulli læta marito. »

23. *Innupsit*. Ita scribendum, non *enupsit*. Vide Nonium, voce *innubere*, c. 2, n. 431. — *Tepido busto*. Improbat festinantiam ad nuptias novas, non servato luctus legitimo tempore, mensium scil. decem. Legitima sane phrasi. Mart. V, 37 : « Adhuc recenti tepet Erotion busto. » Sed quid est innubere busto? Hoc absurdum videbatur Bentleio qui reponebat *lecto*, sublata omni loci venustate. — *Pellex Cornelia busto*. Invidiose vocat eam pellicem, quæ intra legitimum luctus spatium nupta fuerit marito novo. Non autem Pompeio festinationem novarum nuptiarum exprobrare poterat, qui toto biennio

Hæreat illa tuis per bella, per æquora signis,
Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,
Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
Sed teneat Cæsarque dies, et Julia noctes.
Me non Lethææ, conjux, oblivia ripæ
Immemorem fecere tui, regesque silentum
Permisere sequi : veniam, te bella gerente,
In medias acies; nunquam tibi, Magne, per umbras,
Perque meos manes genero non esse licebit.
Abscidis frustra ferro tua pignora : bellum
Te faciet civile meum. » Sic fata, refugit
Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.
Ille, Dei quamvis cladem, manesque minentur,

post Juliæ mortem præterlapso, Corneliam demum uxorem duxit. *Tepidum* autem *bustum* Crassi qui insepultus in Parthia jacebat, et cujus quasi uxor adhuc videri poterat Cornelia. Ideo *pellex*. Ed.

24. *Hæreat.* Licet tecum assidue sit, nullum tamen vestro vacuum erit tempus amori. Illa licet te in bella comitetur, non tamen fruemini mutuo amore, namque te interdiu exercebit pater meus Cæsar, noctu ego tibi somnos interturbabo.

25. *Securos ... somnos.* Sic Valer. Flacc. V, 48 : « Carpere securas quis jam jubet Æsona noctes? » Hic Scholiastes : Non enim secure dormit, quem sequitur hostis.

28. *Me non Lethææ.* Neque oblivionis ille fluvius degustatus apud inferos ademit mihi tui memoriam.

29. *Regesque.* Pluto et Proserpina.

30. *Veniam*, etc. Quocumque sequar te; monebo usque, te esse Cæsaris generum.

32. *Genero.* Alii *generum*. Bipont. sequor : neque aliter legendum esse patet ex Ovid. Epist. XIV, 64 : « Quo mihi commisso non licet esse piæ? » Quintilian. Instit. lib. IV, c. 4 : « Male petis : procuratori enim tibi esse non licuit. »

33. *Abscidis.* Sic et MS. 7900; nempe a *cædo*. Quidam *abscindis*, quod esset a *scindo*. Passim hæc et similia permutantur. Ed. — *Abscidis frustra*, etc. Frustra tentas bello exstinguere jus affinitatis, namque hoc bellum te mihi reddet.

34. *Te faciet civile meum.* His verbis ei mortem denuntiat. — *Refugit*, etc. Sic Æn. II, 793 : « Frustra comprensa manus effugit imago, Par levibus ventis, volucrique simillima somno. »

35. *Dilapsa.* Recte *dilabi* dicitur, quod dispergitur et evanescit. Virg. Georg. IV, 499 : « Ceu fumus in auras Commixtus tenues fugit diversa. » Ed.

36. *Ille*, etc. Pompeius majori cum fiducia obvius it fatis. *Major* hic

Major in arma ruit, certa cum mente malorum.
Et, « Quid, ait, vani terremur imagine visus?
Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
Aut mors ipsa nihil. » Titan jam pronus in undas
Ibat, et igniferi tantum demerserat orbis,
Quantum deesse solet lunæ, seu plena futura est,
Seu jam plena fuit: tunc obtulit hospita tellus
Puppibus accessus faciles: legere rudentes,
Et posito remis petierunt litora malo.
Cæsar, ut emissas venti rapuere carinas,

est incitatior, terribilior. Sic de Cæsare I, 479: « Majorque ferusque. »

37. *Certa cum mente malorum.* Cum certo proposito agendi belli civilis et ultima tentandi. Sic fere omnes explicant et hoc quidem sensu *certa mens* absolute dicitur. Sed quia sequitur *malorum*, MARMONTEL explicat: « il voit sa perte, et il y court. » Et hoc confirmare videtur Pompeii deliberatio de morte.

38. *Et quid.* Recte. *Ecquid* hic non habet locum. Non enim Pompeius se ipsum rogat, an terreatur, sed cur terreatur. Præterea *et* necessario narrationis ordo exigit, *ruit et ait.* Ovidius Met. I, 497: « Spectat inornatos collo pendere capillos: Et, quid si comantur? ait. »

39. *Aut nihil est sensus. Sensus* propria vox in hac formula. VIII, 749: « Si quid sensus post fata relictum. » Phædr. IV, 4: « O si maneret condito sensus patri! » — *A morte.* Post mortem, ut Epicurei volebant. ED.

40. *Aut mors.* Hæc agit: Si non sentiunt umbræ post mortem, vana sunt quæ vidi et non timenda: si sentiunt, mortem timere non debeo; quia nihil est mors. Si habet sensum similis est vitæ. SCHOL. Hæc mutuatur ex Senec. Troad. 395: « Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil. » — *Titan jam pronus*, etc. Solis jam occidentis media pæne parte (instar lunæ semiplenæ) sub horizonte depressa, appulit Dyrrachium Pompeius.

41. *Demerserat.* Recte. Sic infra, IV, 283: « *mersus Phœbus.* » Claudian. Rapt. Pros. I, 274: « Merserat unda diem. »

43. *Hospita.* Dyrrachina.

44. *Legere rudentes.* Collectis funibus et velis, maloque inclinato subierunt portum remigio.

46. *Cæsar, ut emissas.* Traducto Dyrrachium Pompeio, redit ad Cæsarem poeta, etiam tum in litore sedentem cum exercitu, ubi classis Pompeiana e conspectu ablata fuit. — *Emissas.* Oudend. coojicit *amissas.* Sic passim *amittere raptum*, *amittere e manibus*, quod alicui inscio et invito elabitur. Sed male legit apud Phædrum, Fab. I, 13: *Amisit ore caseum*, ubi vulgo melius *emisit.* Nihil est mutandum;

Absconditque fretum classes, et litore solus
Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
Lætificat Magni : queritur quod tuta per æquor
Terga ferant hostes; neque enim jam sufficit ulla
Præcipiti fortuna viro; nec vincere tanti,
Ut bellum differret, erat. Tunc pectore curas
Expulit armorum, pacique intentus agebat,
Quoque modo vanos populi conciret amores
Gnarus, et irarum causas, et summa favoris

tam *emitti*, quam *amitti* dicitur illud, quod perdimus inviti. Livius, lib. XXI, cap. 48 : « Emissus hostis de manibus est. » Hic recte *emissæ* dicuntur naves, furto elapsæ, quas claudere aggere et molibus Cæsar tentaverat. *Cæsar... non illum*, sic explicat Burmannus, ut sit nominativus absolutus, quem videri dicit infra v. 663.

47. *Absconditque*, etc. Propter distantiam, et globi rotunditatem. Male alii *classis*. Quod ineptum esset : nam classe ex oculis Cæsaris ablata, mare totum patebat. Aliud est apud Virg. Æn. IV, 582 : « Latet sub classibus æquor. » Conf. autem Val. Flacc. I, 496, ubi pontus celsior et acr immensus abstulit ratem spectantibus. Ed.— *Solus Dux stetit.* Altero nempe duce Pompeio extra Hesperiam fugato. Ed.

48. *Non illum gloria.* Tantum abest ut gaudeat gloria expulsi Italia Pompeii, ut contra tristis sit, quod elapsus fuga hostis spem decretorii prælii sibi adimat.

49. *Queritur, quod*, etc. Cæsar, moræ omnis impatiens, nullam percipit voluptatem e Pompeii fuga, quæ parva erat victoris, supra II, 70, et inique tulit evasisse Pompeium. — *Tuta per æquor.* Non enim Cæsar, defectu navium, eum persequi poterat.

51. *Præcipiti.* Nulla fortuna Cæsari satis erat, præcipitanti semper, et numquam cunctanti in rebus agendis. — *Nec vincere tanti.* Nec tanti victoria illi esse videbatur, ut bellum protraheret et tempus tereret in persequendo Pompeio. Bene hic Schol. malebat dimicare, quam vincere. Neque hoc pati poterat, quod postea esset dimicaturus, interim victoriam consequutus.

52. *Tunc pectore*, etc. Aliquamdiu bellum omittit. Cæsar, etsi maxime e re esse arbitraretur Pompeium sequi, priusquam se transmarinis auxiliis confirmaret; partim tamen navium desiderio; partim ne quid se absente tentaretur per Galliam et Italiam, ad Urbem proficiscitur.

54. *Quoque modo*, etc. Scil. gnarus quomodo conciret.—*Vanos.* Frustra Bersm. *varios.* Sed nihil variant scripti, recte. Nam *vani amores* non intelligendi sunt inanes amores populi, a quo an amaretur necne nihil ejus interesset, sed leves, et mobiles quos facile verteret. Tibull. Eleg. III, 6, 60 : « Ignotum cupiens vana puella torum. »

55. *Gnarus, et irarum causas*, etc.

Annona momenta trahi : namque adserit urbes
Sola fames, emiturque metus, quum segne potentes
Vulgus alunt. Nescit plebes jejuna timere.
   Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
Qua mare tellurem subitis aut obruit undis,
Aut scidit, et medias fecit sibi litora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes;
Bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras.
Utraque frugiferis est insula nobilis arvis;

Et hic quoque repetendum est *gnarus*, scilicet sciens per annonam causas irarum trahi, populi animos abalienari, a fide deficere, et detrectare imperium, si quando fame et penuria laboretur; conciliari studium plebis et benevolentiam, largitione annonæ, quæ sola civium obedientiam obstringit; populus enim « duas tantum res anxius optat, Panem et Circenses. » Juven. Sat. X, 80.

56. *Momenta*. Eodem sensu quo v. 338 infra : « Non pondera rerum, Non momenta sumus. » Momenta sunt, quæ movent. Ed. — *Trahi*. Conciliari, in partes vocari. — *Adserit urbes Sola fames*. — Cape de tyrannis, qui sibi adserunt urbes, et emunt metum fame, si eam sublevent, et curent annonam laxari, quod fecisse Augustum docet Tacit. Ann. I, 2. Romæ autem nec alibi frumentum publice et gratuito plebi datum. Conf. I, 319 : « Ac jussam servire famem. » Male alii explicant *adserit*, liberas reddit. —

57. *Metus*. Obedientia et observantia.

58. *Jejuna*. Fame pressa. — *Timere*. Studium, fidem, obsequium præstare.

59. *Curio Sicanias*, etc. Curio itaque proprætor cum tribus legionibus missus in Siciliam, frumentatum. — *Transcendere*. Proprie quidem de montano itinere solet sumi; sed et pro trajicere mare, vel fluvios transire ponitur.

60. *Qua mare tellurem*, etc. Qua Siculum mare Rhegium et Pelorum interfluit. Vide supr. II, 435.

61. *Aut scidit*. Incertum enim, utrum mare invaserit terras, an ruperit; quod si factum est, has terras quæ antea mediæ fuerant, mare sibi litora fecit. Ed.

63. *Ne rupti*, etc. Ne Apenninus et Pelorus, vi undarum divulsi, rursus conjungantur. Similiter fere Stat. Theb. III, 597 : « Sperat tellus abrupta reverti. »

64. *Bellaque Sardoas*. Valerius missus est legatus Cæsaris in Sardiniam. Heinsius malebat *velaque Sardoas* : Cæsar enim tunc *paci intentus* agebat, et annonæ magis quam bello studebat, ad quam comportandam naves in Siciliam et Sardiniam mittebat. Sed *bella* puto retinendum, quia Pompeianæ factionis Cotta obtinebat Sardiniam, ad quem expellendum

Nec prius Hesperiam longinquis messibus ullæ,
Nec Romana magis complerunt horrea terræ.
Ubere vix glebæ superat, cessantibus Austris,
Quum medium nubes Borea cogente sub axem
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.
Hæc ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor
Non armata trahens, sed pacis habentia vultum,
Tecta petit patriæ. Pro! si remeasset in Urbem,
Gallorum tantum populis, Arctoque subacta,
Quam seriem rerum longa præmittere pompa,

Valerius missus est. *Bellum spargere* quoque alibi Noster dixit et *arma*, vid. II, 682, id est, divisis copiis diversis locis bellum gerere. Ed.

66. Vulgo, *Nec plus*. Non ex alia ulla terra major frumenti copia in Italiam et Romam advehitur, quam ex insulis Sicilia et Sardinia. *Prius* præfero τῷ *plus*, quod multi habent. Ovid. Trist. IV, 4, 39: « Aut timor aut error nobis, prius obfuit error. » —*Longinquæ messes* sunt provinciæ annonariæ et frugiferæ, Ægyptus et Africa, ex quibus *Romana horrea* compleri dicit, sed non ante, nec tanta frumenti copia, quanta ex Sicilia et Sardinia vicinioribus provinciis. Nec desunt huic loco conjecturæ. Bentl. audacter refingit: «Nec plus *Massiliam*,» ut tautologiam tollat, quam putat esse inter Hesperiam et *Romana horrea*. Deinde Jever suam quoque emendationem affert: «Nec prior Hesperia est.» Hoc sensu: ipsa Italia fertilitate has insulas non superat. Neutrum probari potest. Ed.

68. *Ubere vix*, etc. Vix ipsa Africa superat fertilitate has insulas, Austris non flantibus.

69. *Quum medium nubes Borea*. Quum repulsis a Borea nubibus rigata abundam messem et frugum proventum tulit.

70. *Magnum annum*. Uberem annonam, frumentariam et ditem messem. *Annum* pro *messe*, videbimus quoque inf. 452: « Agricolæ raptis annum flevere juvencis. » Ergo *ferre magnum annum* est dare *messem copiosam*. Contra IX, 437, Libyam *annum non sentire* dicit Noster.

71. *Tunc agmina victor*. MSS. 12 habent *ductor;* quod probat Bentl. sed quia redundaret τὸ *duci*, mutat: *Hæc ubi sunt provisa satis*.

72. *Non armata trahens*, etc. Cohortes pacem præ se ferentes Urbem versus ducit. — *Trahens*. Lentum agmen indicat, ut in pace solet ingredi. — *Habentia vultum*. Alii *cultum*. Sed Lucanus ipse mox *faciem belli* dixit, et Heinsius ipse ad vocem *vultum* adscripserat, id est, *speciem*.

74. *Arctoque subacta*. Germanis cæterisque populis Septemtrionalibus devictis.

75. *Quam seriem*, etc. Quam speciosam triumphi pompam, quas ur-

Quas potuit belli facies! ut vincula Rheno,
Oceanoque daret! celsos ut Gallia currus
Nobilis, et flavis sequeretur mixta Britannis!
Perdidit o qualem vincendo plura triumphum!
Non illum lætis vadentem cœtibus urbes,
Sed tacitæ videre metu. Non constitit usquam

bium captarum et præliorum imagines potuisset præferre! — *Longa... pompa.* Hoc cape de spoliis et ferulis, quæ longo ordine præferebantur ante currum triumphantis. Sic I, 286: « Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi Excipit.» Ovid. Met. I, 561: « Longas visent Capitolia pompas.» — *Præmittere.* Hoc triumphi species postulat; imagines enim præferebantur.

76. *Vincula Rheno*, Vel propter pontem in Rheno constructum, et mare Britannicum tum primum a Romanis navigatum: vel propter utriusque accolas devictos.

77. *Celsos ut Gallia.* Triumphales Imperatoris currus sequentibus Gallis et Britannis, crine flavis.

78. *Sequeretur.* Hoc verbum videtur repugnare præcedenti *præmittere*, et contra morem Romanum esse; quem Lucanus nec oblivisci, nec nescire potuit. Gentes enim victæ currum triumphantis præcessisse ex omnibus veterum locis patet. Ovid. Pont. II, 8, 39: « Pavido Germania vultu Ante triumphantes serva feratur equos. » Trist. IV, 2, 22: « Vinclaque captiva reges cervice gerentes, Ante coronatos ire videbit equos. » Art. Am. I, 215: « Ibunt ante duces, onerati colla catenis. » Plures locos addere possem. Hinc Bentl. reponebat *Gallica... Nobilitas flavis anteiret*, etc. Jever autem olim conjiciebat *terretur*: mox vulgatam defendit, *sequi* sensu τοῦ *comitari* interpretatus, collato Senecæ loco, Troad. vs. 150: « Argolici præda triumphi... *currusque sequens* Agamemnonios. » Forsan et fieri potuit ut reges tantum et duces gentium devictarum, vel imagines, ante currum triumphantis agerentur, gentes vero ipsæ vulgusque captivum, inter victoris exercitus ordines, pone subirent: neque enim credibile est hanc innumeram sæpe multitudinem infinita serie ingressum triumphantis retardasse. Ed.

79. *Vincendo plura.* Italiæ oppida vincendo et Pompeium cum coss. fugando. *Plura* respondet præcedenti *tantum*, v. 74. Ed.

80. *Non... lætis cœtibus.* Id est, incolæ non obviam ivere frequentes et lætitia exsultantes. Oudend. mallet *cantibus*: sed tunc deberet capi de ipso Cæsare vel militibus celebrantibus victoriam, quæ mens poetæ non fuit. Et *cœtibus* confirmat quod sequitur: « non constitit turba. » Ed.

81. *Non constitit*, etc. Non prodibant illi obviam urbes gratulatoriæ. — *Constitit.* Derivandum a *consistere*, non a *constare*. Non turba certo loco qua transire dux debebat, stetit ut salutaret victorem. Male Heinsius *confluit*. Immo in verbo *constitit* videtur inesse sensus admirationis et stuporis, quo adfixa ad tanti victoris vultum obvia turba consistat. Ed.

Obvia turba duci : gaudet tamen esse timori
Tam magno populis, et se non mallet amari.
  Jamque et præcipites superaverat Anxuris arces,
Et qua Pomtpinas via dividit uda paludes,
Qua sublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ,
Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam :
Excelsa de rupe procul jam conspicit Urbem,
Arctoi toto non visam tempore belli;
Miratusque suæ, sic fatur, mœnia Romæ :
« Tene, Deum sedes, non ullo marte coacti
Deseruere viri ! pro qua pugnabitur urbe ?
Dî melius, quod non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit, nec juncto Sarmata velox
Pannonio, Dacisque Getes admixtus : habenti

82. *Gaudet tamen*, etc. Invidiose hoc in Cæsarem, ut semper. Forte alludit ad notissimam illam sævissimi tyranni vocem : « Oderint, dum metuant.» Ed.

84. *Jamque et præcipites*, etc. Jam præterierat Tarracinam (Anxur) in arduo positam. Sic Silius, VIII, 390 : « scopulosi verticis Anxur. »

85. *Pomptina palus*. Et qua via Appia dividit paludem Pomptinam in Volscis. Hæ fuerunt paludes, quæ ante ea tempora a Corn. Cethego consule, cui ea provincia evenerat, corrivatis multifariam aquis, fuerunt exsiccatæ, atque ex iis ager factus. Silius VIII, 379 : « Pestifera Pomptini uligine campi. »

86. *Sublime nemus*. Nemus Aricinum, clivus Virbii, CLX stadia distans a Roma. — *Scythicæ qua regna Dianæ*. In silva Aricina colebatur simulacrum Scythicæ Dianæ, huc ab Oreste translatum e Taurica regione, cæso rege Thoante. Dianæ Aricinæ sacerdos Rex dicebatur. Unde Sueton. Calig. c. 35 : « Nemorensi regi, quod », etc. Martial IX, ep. 65, vs. 3 : « Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator »; et vid. Noster VI, 74; Strabo lib. V; Solin. cap. 8.

87. *Quaque iter est Latiis*. Qua ad Albam longam eunt coss. sacrificatum in Latinis feriis. Vid. supra I, 550.

89. *Arctoi.... belli*. Scil. adversus Gallos, Germanos, Britannos gesti, Septemtrionem versus. Conf. sup. I, 301. — *Toto tempore*, i. e. per decem annos tracto.

93. *Di melius*. Dii melius prospexerunt, quod a cive potius quam ab externo hoste inferatur hoc bellum Urbi, a timido duce Pompeio desertæ. — *Eous ...furor*. Parthicum bellum, ab Oriente.

94. *Juncto Sarmata*, etc. Quod non invadant Latium Sarmatæ mixti Pannoniis, Getæ Dacis. Conf. II, 54.

Tam pavidum tibi Roma ducem Fortuna pepercit,
Quod bellum civile fuit. » Sic fatur, et Urbem
Attonitam terrore subit : namque ignibus atris
Creditur, ut captæ, rapturus mœnia Romæ,
Sparsurusque Deos. Fuit hæc mensura timoris :
Velle putant, quodcumque potest. Non omina festa,
Non fictas læto voces simulare tumultu :
Vix odisse vacat. Phœbea palatia complet

97. *Quod bellum civile fuit.* Sensus bene constat. Si tibi externus hostis fnisset, ille, fugiente Pompeio, diripuisset aut evertisset Urbem; nunc civile qnum sit bellum, egn Cæsar, dux et civis, patriæ meæ parcam, licet gravissima quæque a me metuantor. Ed.

98. *Namque ignibus*, etc. Timetor na ferro et flamma omnia devastet, neqoe ipsis sacris parcat. Siogularis loquendi modus *rapere urbem ignibus*, sed indnlgendus Lneano. Melius Virg. Æn. II, 374 : « Rapiunt incensa feruntque Pergama ». Jever corrigit, *aut captæ sparsurus mœnia Romæ, Rapturusve Deos;* sed inutiliter; nam *urbis raptæ* imagn nnn tnllenda est. Ed.

1nn. *Sparsurus.* Sc. Denrum simulacra de templis dejicere. — *Mensura timoris.* Tantum timebant Romaoi, quantum videbant Cæsarem posse; et quia omoia in eos poterat, omnia sibi ab eo metuebant. *Mensura* ergn, est *modus.* Male Burmannus explicat : nihil nisi timorem passi suot. Hæc enim verba cnnjnngenda sunt cum seqnentibus.

101 sqq. *Non nmina festa.* Sic MS. noster 790n, et plures alii, quod nnice verum putn; nnn *fausta*, qund epitbeton, quia sæpissime cum vnc. *omen* cnnjongatur, huc intrudi non erat necesse : tam festæ enim snnt, quam faustæ, acclamationes pnpoli victnrem docem excipientis. — Sensum lnci quidam sic expnnont : *non vacat*, id est, tanta celeritate advnlat Cæsar, ut civibus tempus desit lætitiam simulandi, nedum ndium suum imprecatiooibus significandi. Jever corrigit «vix audisse vacat,» id est, ne nnmen quidem Cæsaris aodire poterant sine metu. Qnid mutatinne npus? egn interpretor : Urbs aden attonita erat, ut noo modn festæ diei lætitiam nemn simulaverit, sed nt odio locum vix pavor reliqnerit. Hæc nmnia dicontor ad augendam terroris imagioem. Ed.

103. *Phœbea palatia*, etc. Patres in Apollinis ædem Palatinam vocatns benigne affatum esse Cæsarem, excusasse bellum hoc susceptum dignitatis suæ tnendæ gratia adversus invidiam et injnrias paucorum, hortatum ut secum curam Reipublicæ soscipe-rent, curarentqne legatos mittendos ad Pompeium et Coss. de pace, etc. testantur omoes histnrici, Plutarchus, Appianus, Dio, Florus, Oppius seu Hirtius. — *Phœbea.* Hæc ædes nnndum erat illn tempore : haoe postea coostituit Augustus. Per prolepsin dixit. — *Cnmplet.* Burmannus putat

Turba Patrum, nullo cogendi jure senatus,
E latebris educta suis; non Consule sacræ
Fulserunt sedes; non proxima lege potestas
Prætor, adest; vacuæque loco cessere curules.
Omnia Cæsar erat. Privatæ Curia vocis
Testis adest. Sedere Patres censere parati,
Si regnum, si templa sibi, jugulumque senatus,
Exsiliumque petat. Melius, quod plura jubere
Erubuit, quam Roma pati. Tamen exit in iram,
Viribus an possint obsistere jura, per unum

inconsiderate agere Lucanum, qui totum senatum Pompeii castra sequutum ait, II, 520 et alibi. Sed hos non vere senatores dicit; confer enim vs. 110. Tantum ait: *turba patrum*, quam Cæsar educit e latebris suis, complet palatia, et cur turbam hanc dicat, causam adjicit quia nullo jure Cæsar senatum cogere poterat. Ed.

104. *Nullo cogendi*, etc. Jus enim cogendi senatum penes coss. vel prætorem erat. Ab Antonio et Cassio convocatum senatum refert Dio. lib. XLI.—*Senatus*. Est genitivus. Sensus est: Turba Patrum educta e suis latebris, quamquam Cæsari nullum sit jus cogendi senatus. Male Burmannus putat esse adpositionem, *turba Patrum, senatus*. Ideo nec necesse est reponere *nullo cogenti jure*, quod obtrudere tentat.

105. *E latebris educta suis*. Ex ædibus suis, quo se receperant.

106. *Sedes*. Curia. *Sacræ sedes* sunt templa Deorum. Bentl. reponebat *ædes*, quo non opus est. — *Non proxima*, etc. Non prætor, proximus a coss. magistratus.

107. *Curules*. Sellæ majorum magistratuum, consulum, prætorum, censorum, et ædilium curulium. — *Cessere*. Sulpitius explicat *remotæ sunt*. Nemo enim horum magistratuum aderat.

108. *Omnia Cæsar erat*. Cæsar omnium magistratuum munera solus obibat. — *Privatæ Curia*, etc. Convocabantur Patres, testes, potiusquam participes actorum et consultorum Cæsaris. — *Curia privatæ vocis*. Quia non legitimus senatus; nec eorum suffragia auctoritatem habebant. Alii intelligunt *testis vocis privatæ*. Sed oratio non testem requirit.

109. *Patres*. Ironice, nec eos senatores existimat, quippe paratos censere dicit, si Cæsar *jugulum senatus* petat.—*Censere parati*. Parati, Cæsari, si poposcisset, decernere regnum, divinos honores, quorum vellet cædem, exsilium, proscriptionem.

111. *Melius*. Melius fuit, optime actum est, quod magis puduit Cæsarem jubere, quam Romam exsequi. Ed.

112. *Tamen exit*, etc. Tamen libertas, licet oppressa, indignatur, et tentat per unum virum (Metellum scil. trib. pl. obstantem Cæsari ærarium effracturo) an jura valeant obsistere viribus.

Libertas experta virum : pugnaxque Metellus
Ut videt ingenti Saturnia templa revelli
Mole, rapit gressus; et Cæsaris agmina rumpens,
Ante fores nondum reseratæ constitit ædis:
(Usque adeo solus ferrum, mortemque timere
Auri nescit amor! pereunt discrimine nullo
Amissæ leges; sed, pars vilissima rerum,
Certamen movistis, opes) prohibensque rapina
Victorem, clara testatur voce tribunus:

« Non nisi per nostrum vobis percussa patebunt
Templa latus, nullasque feres, nisi sanguine sacro
Sparsus raptor opes. Certe violata potestas
Invenit ista Deos; Crassumque in bella sequutæ

114. *Pugnaxque*. Obstans Cæsari.

115. *Ingenti... mole*. Cæsar enim fores effringi jubebat. Ideo infra *percussa templa* dicit. Ed. — *Saturnia*. Ærarium quod erat in æde Saturni, a Tullo Hostilio condita. Sil. Ital. IV, 442 : « Quatitur Saturnia sedes. »

118. *Usque adeo*. Inepta potest videri declamatio, quasi Metellus non pro publico auro pugnans, sed pro suo, avaritiæ specimen dedisset. Sed ad excusandum Lucanum dici potest illum rem generali modo declarare, nec Metello crimini vertere. Ed.

119. *Pereunt discrimine*, etc. Leges cum libertate perierant, nemine asserente, sine ulla controversia, aurum solum invenit patronum.

122. *Testatur voce tribunus*. Protestatur se prohibiturum, vel, detestatur, exsecratur. Conf. Virgil. Æn. VI, 619. Weber hunc versum abesse posse salvo sensu putat. Non ego opinor et *prohibens* absolute positum cuivis displicebit. *Prohibens* autem *victorem* bene se habet et audaciam tribuni intercedentis optime depingit. *Testatur victorem* construit Bentl. male.

124. *Sanguine sacro*. Sacrum sanguinem dicit, quia tribunitia potestas sacrosancta est, quam quicumque violaverit, aut pro levi habuerit, Deos expertus est ultores, uti Crassus non ita pridem, qui diris et exsecrationibus Atteii trib. pl. impetitus, misere in Parthis periit.

125. *Sparsus*. Non *sparsas*, ut alii volunt. Non enim ipsa pecunia quæ latebat adhuc in sacro Saturni ærario sanguine spargetur; sed quicumque rapere vellet, non nisi sanguine tribuni adspersus, poterit intrare templum.

126. *Invenit ista Deos*. Subintellige *ultores*, ut I, 569, supplevimus *cecinere Deos*, scil. *iratos*. Vis ea est verbi *invenire*, ut dicatur de malis, vulneribus, morte et similibus quæ nobis obtingunt. Virg. Æn. II, 645 : « Ipse manu mortem inva-

Sæva tribunitiæ voverunt prælia diræ.
Detege jam ferrum : neque enim tibi turba verenda est
Spectatrix scelerum : deserta stamus in Urbe.
Non feret e nostro sceleratus præmia miles.
Sunt quos prosternas populi, quæ mœnia dones.
Pacis ad exhaustæ spolium non cogit egestas :

niam. » — *Crassumque*. Scil. diræ tribunitiæ sequutæ Crassum. Tamen Burmannus malebat *Crassoque*. Sed non opus est, *vovere* enim vel absolute sumi potest, vel supplendum *illi*, id est, sequutæ Crassum diræ spoponderunt, promiserunt ipsi sæva et mortifera prælia. Ed.

127. *Voverunt*. Sic Bip. bene. Hoc verbum, dirarum est. Oudend. tamen videtur præferre *moverunt*. Multo frigidius. Multi habent *noverunt*, nullo sensu. Quis vero audiat Bentl. reponentem : *Sæva tribunitiæ novere piacula diræ*. Quod vix quisquam capiat, nisi explicet ipse *novere piacula*, ut paulo ante *invenit Deos*. Corruptum locum pronuntiat Jever, et tautologiam esse in his videt : « diræ sequutæ Crassum *in bella* voverunt sæva *prælia*, » et ipse aliam Pharsaliam scribens, cogitat : « Testes violata potestas Senserit ista Deos; ut Crasso Bactra sequenti Sæva tribunitiæ moverunt funera diræ. » Non est quod somniis istis immoremur. Ed.

128. *Detege jam ferrum*. Stringe ferrum in me; nec abstine sacrosancto sanguini fundendo, verecundia civium spectantium inhibitus. Nemo superest civis, nemo libertatis assertor in Urbe.

130. *E nostro sceleratus*. Ex ærario publico. E *nostro* dixit, ut *de meo*, *de tuo*, *de alieno*, apud Terentium, Justinum et alios passim. *Suum* vocat Metellus, quia quum ærarium esset commune omni populo, etiam sibi partem hujus poterat vindicare. Burm. — Malo interpretari *nostro* pro Romano; non ex Romano, sed ex *hostico* ærario miles præmia feret. Sunt enim alii populi quos prosternas, sunt mœnia quæ militibus rapienda assignes. Ed.

131. *Sunt quos prosternas populi*. Converte bellum tuum ad hostes potius, ex his victis redde militibus promissa munera.

132. *Pacis ad exhaustæ*. Sensus est : non te cogit egestas ut spolium pacis, thesauros longa pace congestos, rapias. Hos olim, inquit Appianus, exsecratione publice proposita conditos fuisse memorant, ut, nisi Celtico insurgente bello, a nullo promererentur. Sed, fateor, *pax* illa *exhausta* obscure dicta videtur. Sola varietas notanda in Vossiano *exustæ*: unde Heinsius conj. *exsutæ*. Sulpitius de priore Cæsaris furto, quo cellam Capitolinam spoliaverat, capit. Burmannus explicare tentat : satis tibi prædæ et spoliorum ex bello et urbibus bello subactis est, qua ita abundas, ut non cogat te egestas etiam ex urbe Roma ubi pax est, et ærario quæ satis exhausta sunt, rapere. Bentleius non se expedit, nisi textum mutando : « Hostis ad ærari spolium non cogit egestas. » Id est, *egestas*

Bellum Cæsar habes.» His magnam victor in iram
Vocibus accensus : « Vanam spem mortis honestæ
Concipis : haud, inquit, jugulo se polluet isto
Nostra, Metelle, manus. Dignum te Cæsaris ira
Nullus honor faciet. Te vindice tuta relicta est
Libertas? non usque adeo permiscuit imis
Longus summa dies, ut non, si voce Metelli
Serventur leges, malint a Cæsare tolli. »
Dixerat; et nondum foribus cedente tribuno
Acrior ira subit; sævos circumspicit enses,
Oblitus simulare togam : tum Cotta Metellum

hostis, ut alibi inopia hostium non cogit Cæsarem expilare ærarium. Quæ coujectura ipsi Jevero audax et ridicula videtur. Jever tamen proponit *Ædis ad augustæ*, ut Saturni templum designet. Sed hic nou agitur de sanctitate templi, et sequens *bellum* vocem *pacis* requirit. Forsan *exhaustæ* est pro *exhauriendæ*, quæ ita *exhausta* foret; sed dure dictum. Ed.

133. *Bellum habes.* Id est, non defecerunt omnes gentes, quasi non habeas, quibus spolia detrahas, dum spolia Romæ aufers. Schol.

134. *Honestæ*, etc. Mea manu inflictæ. Confer X, 539.

136. *Nullus honor.* Sacrosancta potestas tua, quam jactas usque, non faciet te dignum ira mea.

137. *Te vindice tuta relicta est Libertas?* Tune, quæso, libertatem ex Urbe fugientem moraris? Tune libertatis solus iu Urbe assertor? Respondet ad illud supra 129.

138. *Non usque adeo*, etc. Non tractu temporis ad id desperationis et confusionis venit Respublica, ut leges malint a Metello defendi, quam tolli a Cæsare. Turpius enim sit Romæ Metellum assertorem libertatis suæ habere, vilem adeo hominem, quam Cæsarem legum eversorem. Verba arrogantiæ et contumeliæ plena. — *Permiscuit imis Longus summa dies.* Similiter Horat. Carm. I, 34: « Valet ima summis Mutare, et insignem attenuat Deus. »

142. *Sævos circumspicit enses.* Admota capulo manu, dixisse fertur Cæsar : « An ignoras, adolescens, difficilius esse dicere hoc quam facere? »

143. *Oblitus simulare togam.* Id est, pacificum se gerere. Sic enim venerat ut pacatus. Supra v. 71 : «Agmina victor Non armata trahens, sed pacis habentia vultum. » Jever tamen mutare laborat : non, inquit, simulabat togam Cæsar, sed vere togatus erat, quippe pacis obibat munia, civitatis statum ordinabat, paci unice intentus. Quare quia in Bersmanui codice est *servare*, rescribeudum censet: *Oblitus servire togæ*, id est, nescius diu indignationem continere altosque animos; ignarus diu pacatum se gerere. *Servire togæ* pro componere se ad pacem. Nemo ta-

Compulit audaci nimium desistere cœpto.
« Libertas, inquit, populi, quem regna coercent,
Libertate perit; cujus servaveris umbram,
Si, quidquid jubeare, velis. Tot rebus iniquis
Paruimus victi : venia est hæc sola pudoris,
Degenerisque metus, nil jam potuisse negari.
Ocius avertant diri mala semina belli.
Damna movent populos, si quos sua jura tuentur.
Non sibi, sed domino gravis est, quæ servit, egestas. »

lem mutationem admittat. Ed.— *Tum Cotta*. Et hic tribunus plebis fuit.

145. *Libertas, inquit, populi*, etc. Sulpitius explicat : Libertas populi oppressa, obnoxia est libertati illius qui oppressit ; male. Melius Scholiastes : *Libertas perit libertate*, ita ut sit causa pereundi, dum se adversus potentem libere aliquis audet se erigere. In hac voce similiter lusit Seneca, Tranquill. an. c. 3 : « Ejus libertatem libertas non tulit. »

147. *Tot rebus iniquis*, etc. Et quum cæterarum rerum, legum, libertatis, etc. pertulimus jacturam necessitate adacti ; quin et thesauris etiam publicis cedamus : impetrabit degeneris metus veniam apud posteros necessitas, cui resistere in nostra manu non erat.

150. *Ocius avertant*, etc. Grotius sic incongrue legi *avertat* scribit, substituitque *avertant* pro, abeant in rem malam ista belli irritamenta. *Avertere* præcipue de peculatu, furto et prædatione sumitur. Verum proprium est de rebus illis quas ex aliena in nostram potestatem et ditionem, ut plurimum fraude et malis artibus redigimus, et hanc correctionem recepit Bipont. editio. Cic. in Verrem I, 4 : « Istum in quæstura pecuniam publicam avertisse. » — *Ocius avertant*, etc. Quin ocius auferant thesaurum hunc, cujus fortasse causa bellum hoc dirum a Cæsare motum est, dirius futurum si illum obnixe detineamus. Hunc versum Gujetus pro interpolato habuit, fortasse propter sensum cum reliquis, ut videtur, non cohærentem. Sed abesse non posse asserit Weber. Cotta Metello persuadere studens ut Cæsari thesaurum concedat : Cogimur, inquit, parere et jussa perficere ; res ipsa vero quæ jubetur, non nobis qui servimus, sed domino ipsi gravis erit. Omisso illo quod medium ponitur, nexus deest, nec versus 151 intelligi potest.

151. *Damna movent populos*. Sensus est : Qui sunt sui juris et cupiunt leges suas tueri, ii sentiunt damna publica, res enim omnes ad eos pertinent. Ideo ærarium populi liberi exhaustum, non fit sine publico damno : sed populi servientis egestas et thesauri exhausti, domino, non populo damnum adferunt.

152. *Domino gravis est*, quia tyrannus ut eorum inopiam expleat, nam « nescit plebes jejuna timere », multa cogitur crudeliter facere, unde sibi odium conflat.

Protinus abducto patuerunt templa Metello.
Tunc rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas
Testatur stridore fores : tunc conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi;
Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit;
Quo te Fabricius regi non vendidit auro;

153. *Patuerunt templa.* Reclusum fuit ærarium, et thesauri a nemine usque in illam diem contacti, militibus in prædæ modum concessi. Versus a Puteaneo codice omissus, et quidem salvo sensu abesse potuisse putat Weber. Sed indicari debebat, quid cum Metello factum sit, et abducto demum Metello, fores revulsas esse. Ed.

154. *Magnoque reclusas,* etc. Impactis securibus reclusæ fores, et stridore cardinum resonat collis Tarpeius, vel Capitolinus, in quo ærarium. Ipse vero Lucanus v. 115 dixit ærarium fuisse in templo Saturnio in foro : ergo contra se et contra historiæ fidem nunc Capitolium expilatum ostendit. Nisi quis tanta vi ærarii fores revulsas statuat ut ad Capitolium personuerit *stridor*, et sic intellexit Hortensius, qui adjicit ut firmet sententiam: Ita enim fores erant factæ, ut sine crepitu ac sine stridore, quia ferreæ, aperiri nequirent; ut eo fures, si qua tentarentur, se proderent. Certe hoc factum est post irruptionem Gallorum. Sed tunc non ageretur de foribus Capitolii; igitur et sententiam priorem sequor : dicit igitur præter Saturni templum etiam Capitolium expilatum. Ed.

156. *Eruitur.* Non *egeritur*, ut infr. 167, quia violenter aperto ærario instrumentis fabrilibus, in subterraneis defossa pecunia eruebatur, ut metalla solent *erui*. Infr. IV, 223; et *aurum terra eruitur,* Ovid. Am. III, 8, 53. — *Intactus.* Inf. 427 : « Belloque *intacta* priori. »

157. *Census populi.* Aurum et argentum, e mulctis, tributis, donis gentium devictarum. — *Punica bella.* Primum, quo bis mulctati sunt Carthaginienses, ut Polybius refert. Semel duobus millibus ac ducentis, mox rursum mille additis. Dein propter Sardiniam MCC talentis argenti. Secundum, quo mulctabantur XM tal. arg. in L annos æquis portionibus solvendis, sed intervenit tertium.

158. *Perses,* Macedoniæ rex, ab Æmilio Paullo devictus. Vide Plutarch. in Æmil. Paul. — *Philippi.* Is pater Persæ a T. Flaminio ad deditionem compulsus. Plutarch. in T. Q. Flaminio.

159. *Quod tibi, Roma,* etc. Supra, I, 30. — *Reliquit.* Scilicet ut tolleres. Sch.

160. *Quo te Fabricius,* etc. Aurum a Pyrrho oblatum, ut patriam desereret proderetque, recusavit Fabricius, ad regem legatus. Ex verbis sensus est : eruitur aurum, quo

Quidquid parcorum mores servastis avorum;
Quod dites Asiæ populi misere tributum;
Victorique dedit Minoia Creta Metello;
Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum
Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis
Egeritur : tristi spoliantur templa rapina;

sollicitatus Fabricius, *te*, i. e. patriam vendere recusavit. Sed si hoc non accepit, non potuit inferri ærario. Ergo statuendum, victo Pyrrho, Fabricium id aurum, quod ante ipsi obtulerat, in prædam abstulisse. Sed Burmannus negat, id tantum fuisse, ut in hæc tempora servatum fuerit. Ideo hunc versum delendum judicat. Sed poeta avaritiam Cæsaris descripturus, et omnes divitias ab antiquissimis temporibus servatas nunc rapi fingens, de re ipsa non multum sollicitus est, et, ut in rebus quæ speciem aliquam veri habent, historiam neglexit vel mutavit. Immo avorum parsimoniam aviditati Cæsaris invidiose opponit. Ed. — *Quo... auro*. Alii *aurum*. Male. In hac constructione multus est Noster. Conf. VI, 663: «Et quibus os dirum nascentibus inspuit herbis,» non *herbas*. Ed

161. *Mores servastis avorum*. Quidquid frugalitas veterum Romanorum et parsimonia reservavit.

162. *Quod dites*, etc. Vectigalia Asiæ, et quod ab Antiocho, Syriæ rege, Attali legatione et hæreditate obvenit. Hoc rursus contra historiam. Hæ enim gazæ in communi ærario repositæ, quod non expilatum fuit, et in quo parum pecuniæ hoc tempore fuisse videtur. Agitur autem de sancto ærario, in quo pecunia ex vicesima manumissionum recondita, ad extremos reipublicæ casus servari solebat. Ed.

163. *Minoia Creta Metello*. Minoi olim regnata Creta, a Q. Metello vastata, qui inde dictus est Creticus.

164. *Quod Cato*, etc. Missus in Cyprum Cato Major ut cerneret hæreditatem Ptolemæi regis, qui defunctus vita populum Romanum hæredem fecerat, advexit VII M. talenta.

165. *Captorum... regum*. Mithridatis Ponti, Tigranis Armeniæ, Aristobuli Judææ regis, etc.—*Ultima*. Ex remotissimis regionibus. Grotius autem explicat, novissima præda de regibus parta. — *Captorum*. Id est, superatorum a Pompeio in bello Mithridatico. Florus, III, 5, *alios ex aliis prodire reges* notat; sed nullum fuisse ab eo in captivitatem redactum tradit.

166. *Prælata est*. Præda enim triumphanti ante currum præferebatur.— *Gaza*. Thesaurus regius, sic dictus e Gaza, Syriæ civitate, ubi Cambysæ divitiæ erant reconditæ.

167. *Egeritur*. Male dubitant de hac lectione. *Egeri* frequenter dicitur de rebus furto vel vi hosti ablatis. Liv. XXX, 39: « Pecuniam ex ærario scribæ viatoresque ædilitii clam egessisse per indicem comperti. » Senec. de Ira, lib. III, c. 33: « Avaritia iterum sub terras referente, quæ male egesserat. » Ed.

Pauperiorque fuit tunc primum Cæsare Roma.
Interea totum Magni fortuna per orbem
Secum casuras in prælia moverat urbes.
Proxima vicino dat vires Græcia bello.
Phocaicas Amphissa manus, scopulosaque Cyrrha,
Parnasusque jugo misit desertus utroque.
Bœoti coiere duces, quos impiger ambit
Fatidica Cephissos aqua, Cadmeaque Dirce,
Pisææque manus, populisque per æquora mittens
Sicaniis Alpheus aquas. Tunc Mænala liquit
Arcas, et Herculeam miles Trachinius Œten.

168. *Pauperiorque*, etc. Emphatice et invidiose io Cæsarem ære alieno prius pressum.

169. *Interea totum* etc. Receoset poeta catalogom populorum qui Pompeio auxilia sobmiserunt ex Europa, Asia, Africa. Orditur a Græcia.

170. *Secum casuras*, etc. Eamdem cum Pompeio fortunam et cladem expertoras.

171. *Vicino*, etc. Pompeius jam Dyrrachii erat.

172. *Phocaicas Amphissa*, etc. Apparet Locanum τὴν Φωκαίαν, Ionicam urbem, in Asia confudisse, et τὴν Φωκίδα, Achaiæ regiooem. SALM. Eodem errore V, 144, et iof. v. 340; sed recte usurpat verbum *Phocais*, vs. 301. *Amphissa*, oppidum Phocidis, sic nomioatum ab Amphissa, filia Macarei, qui fuit Æoli. Distabat a Delphis stadiis viginti, auctore Pausaoia. ED. — *Scopulosaque Cyrrha*. Ad rupem sita.

173. *Parnasusque*. Moos Apollinis Pythii oraculo et Musarum sede clarus, bicollis. — *Jugo .... utroque*. Tithoreo et Hyampeo; utroque jogo est desertus, quia incolas misit ad prælia. SCH.

175. *Fatidica Cephissos aqua*. Oritur Cephissus amnis e montibus Phocidis, Delphico oraculo claris. Posset etiam ita vocari a fatidica Themide. Ovid. Metam. I, 369, uode scribendum erat Cephisos. — *Impiger* dicitur fluvios, id est, præceps. *J.B.Rousseau, Ode à Malherbe:* « Et du Céphise rapide, etc. » — *Cadmeaque Dirce*. Dirce fons vicinus Thebis, a Cadmo positis. Vide ad Senecæ Theb. v. 126.

176. *Pisææque manus*. Milites delecti e Pisis, oppido Elidis, juxta Alpheum fluvium, qui fertur subter mare ad Arethusam, fontem Siciliæ. Pausan. Eliacor. 1.

177. *Tunc Mænala*. Adveoerunt Arcades a Mæoalo, Arcadiæ moote, et Thessali a Trachine, quam Hercules condidit sub Œta monte.

178. *Herculeam*. Quia in Œta moote dicitur arsisse Hercules. Alii boc nomeo masculioi generis habeot. Ovid, Metam. IX, 165: « Implevitque suis nemorosum vocibus Œten. »

Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes
Chaonio veteres liquerunt vertice Sellæ.
Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Exiguæ Phœbea tenent navalia puppes,
Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.
Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnososque agitare pharetras

179. *Thesproti, Dryopesque.* Epiri populi.—*Ruunt.* Properant ad castra Pompeii.—*Quercusque*, etc. Dodoneas quercus non amplius responsa dantes; fugatis columbis fatidicis. Schol. explicat.—*Silentes* quia Dodonæas quercus Lacedæmonii subruerunt. Ed.

180. *Sellæ.* Epiri populi. MS. P. recte *Sellæ*, sicut *Arctæ*. Est enim Græcum Σελλοὶ apud Homerum. Ideo gratior archaismus quia addit *veteres*. Plinio, Hist. IV, 1, *Selli* dicuntur. Ed.

181. *Exhausit totas*, etc. Athenæ, utcumque delectu prius exhaustæ, e navalibus tamen suis Phœbo dicatis mittunt tres naviculas. Erant Athenis tres naves publico usui destinatæ: *Theoris*, qua vehebantur in Delum quotannis e Thesei voto; *Paralus*, qua mittebantur Delphos aut alio rem divinam facturi; *Salaminia*, quæ evocatos ad judicium subveheret. Sed de his hic non agitur.

182. *Phœbea navalia.* Quod ea Phœbo dedicata essent, propter studia literarum, quibus præsidet: quanquam non Piræum, sed Tænarum revera Phœbo dedicatum erat.— Hic locus interpretes mire torquet. Nullus mihi satisfacit: ergo meam conjecturam affero. Et hic puto alludi ad veterem famam Atheniensium eorumque maritimam potentiam, et ad ea, quæ bello olim Persico evenerunt. Scilicet tempore Xerxis Athenæ, ut nunc, civibus suis desertæ: et Phœbi jussu navibus fortunam suam commiserunt, Xerxemque ad Salamina fuderunt. Recenset autem Lucanus auxiliares copias, quæ Pompeio Magno suppetias in bello adversus C. Cæsarem venerant; interque cæteros populos, Athenienses: sed docet, non magnas fuisse auxiliares istas Atheniensium copias, etiamsi, quotquot potuerunt, conscripti sint milites. Paucitatem istarum copiarum postea refert, tresque tantum naves cum militibus instructas fuisse scribit.

183. *Petunt veram credi Salamina.* Sc. tres Atheniensium naves, quamvis adeo pauca, quasi ad novam Salaminiam pugnam apparari videbantur. —*Veram credi.* Alludi videtur ad illud Horatii, Od I, 7, vs. 29, *ambiguam Salamina*. Sic Sen. Troad. 844, et Manil. V, 50, *Salamina veram* dixerunt.

184. *Dilecta Jovi*, etc. Creta ἑκατόμπολις, in qua Jupiter natus educatusque fuit.

185. *Creta vetus:* vetus urbs, vetus populus, vetus nomen regionis, sed regio ipsa cur *vetus?* an aliis regionibus veterior? Reponit Bentl. « Creta potens populis. » Ut Horatius Carm. III, 27, 33: «Quæ simul cen-

Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.
Tunc qui Dardaniam tenet Oricon, et vagus altis
Dispersus silvis Athamas, et nomine prisco
Encheliæ, versi testantes funera Cadmi.
Colchis, et Hadriacas spumans Absyrtos in undas,
Et Penei qui rura colunt, quorumque labore
Thessalus Hæmoniam vomer proscindit Iolcon:
Unde lacessitum primo mare, quum rudis Argo
Miscuit ignotas, temerato litore, gentes,
Primaque cum ventis, pelagique furentibus undis
Composuit mortale genus, fatisque per illam

tum tetigit potentem Oppidis Creten.» Sed nihil emendandum: *Vetus centenis populis*, i. e. quæ centum olim celebris urbibus erat. Sic Horat. Epod. IX, 29. Ed.—*Gnososque... Gortyna sagittis*. Cretæ urbes notissimæ Gnossus et Gortyna, sagittariis insignes.

186. *Nec Eois*. Non cedens Parthis arte mittendi sagittas.

187. *Dardaniam tenet Oricon*. Heleno et Andromache Dardanis regnatam maritimam illam Epiri urbem, Virg. Æn. III, 295 sqq.

188. *Dispersus sylvis Athamas*. Athamanes, montes Epiri incolentes.

189. *Encheliæ, versi*, etc. Illyrii populi, quorum urbs Cadmi et Harmonies in serpentes conversorum est monimentum: ἔγχελυς autem anguilla est, *longæ cognata colubræ*, ut ait Juvenalis, Satir. V, 103. Ed.

190. *Colchis*. Non Ponti illa, sed Histri regio, dicta a Colchis, qui ab Æeta missi ad persequendum Jasonem, hic consederunt.—*Absyrtos in undas*. Insula cum fluvio cognomine in mare Hadriaticum prolapso, sub Illyrico.

191. *Et Penei*. Deleri vult *et* Grotius, manuscriptis auctoribus. Nam nomen fluminis est *Peneus* Πηνειὸς, non *Peneus*, Πηνιῦς. Sed et Virg. dissyllabam fecit, Georg. IV, 355: « Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam.» Ed.

192. *Hæmoniam.... Iolcon*. Thessaliæ oppidum.

193. *Unde lacessitum*, etc. Ex Iolco solverunt Argonautæ. Argo autem primam celebrant poetæ navem. —*Lacessitum mare*. Provocatum, ut noceret. Schol.—*Rudis*. Ignara navigandi.—*Rudis Argo*, etc. Exprimit illud Senecæ in Medea, 234: « Bene dissepti fœdera mundi Traxit in unum Thessala pinus, Jussitque pati verbera pontum: Partemque metus fieri nostri Mare sepositum.»

194. *Temerato litore*. Occupato et violato: nam multas gentes in ipso cursu navigationis violarunt Argonautæ: et miscuerunt ignotas gentes temerandis hospitiis. Hort.

196. *Composuit*. Commisit inter se, conseruit, in pugnam misit; proprie de gladiatoribus dicitur. Ed.

Accessit mors una ratem. Tunc linquitur Hæmus
Thracius, et populum Pholoe mentita biformem.
Deseritur Strymon, tepido committere Nilo
Bistonias consuetus aves, et barbara Cone
Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamque profundo
Multifidi Peucen unum caput adluit Histri :
Mysiaque, et gelido tellus perfusa Caico
Idalis, et nimium glebis exilis Arisbe.
Quique colunt Pitanen, et quæ tua munera Pallas
Lugent damnatæ Phœbo victore Celenæ :

197. *Accessit mors una.* Sc. per navem Argo unum et novum mortis genus illatum, scil. naufragium, et sub undis submersio. Stat. Theb. I, 109: «Et populis mors una venit;» sc. pestilentia. — *Tunc linquitur.* Lucanus in enumeratione populorum deflectit e Magnesia in Thraciam. — *Hæmus Thracius.* Mons Thraciæ, ab Hæmo, Boreæ et Orythyæ filio.

197. *Pholoe mentita biformem.* Mons Arcadiæ, a Pholo aliisque centauris habitatus, qui, quum primi ab equis dimicarent, procul visi erant biformes.

199. *Deseritur Strymon.* Adveniunt et auxilia a Strymone, Thraciæ fluvio, cujus frigus grues sub hiemem fugientes Nili teporem petunt. *Bistonis* autem stagnum est Thraciæ. Grues, quæ hic Bistoniæ aves, Virgilio Strymoniæ dicuntur. Nilus autem passim *tepens* et *tepidus.* Claudian. de bello Gildonico, vs. 476, de gruibus: «tepido permutant Strymona Nilo.»

200. *Et barbara Cone.* Et ubi ad insulam Conen (situe illa Conopos Plin. Hist. IV, 12, an Apollonii Ἄγκων, circa Histri ostia insula, dubium) in mare funditur Hister Sarmaticus fluvius, et alluit Peucen insulam, ostio fluvii objectam.

202. *Multifidi... Histri.* Sex ostiis, vel septem, Pontum influentis.

203. *Mysiaque.* Asiæ minoris regio ad Hellespontum. Promiscue scribitur Mœsia et Mysia; sed ea, quæ Europea est, Mœsia melius dicitur. Ed.

204. *Idalis.* Quæ sub Ida jacet tellus. Omnibonus sic explicat. Sed Ovid. A. A. III, 196: «Quæque bibant undas, Myse Caice, tuas.» — *Nimium glebis exilis.* Sterilis.

205. *Pitanen.* Civitatem Laodiciæ, ubi plurimæ pinus nascuntur; nam græce πίτυς pinus dicitur. Ovid. Met. VII, 357: «Æoliam Pitanen a læva parte reliquit.» Ed. — *Quæ tua munera Pallas.* Et Celenæ, urbs Phrygiæ, quæ lugent fatum Satyri sui Marsyæ, qui inventis, quas Pallas abjecerat, tibiis fretus, Apollinem in certamen musices provocavit, et ab eo victus excoriatus est: versus autem in fluvium sui nominis, cadit in Mæandrum fluvium *errantem*, id est, sinuosum et per plana sæpius flexibus in fontem recurrentem.

206. *Celenæ.* Græce tamen Κελαῖναι. Conf. Stat. IV, 186.

Qua celer et rectis descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit, mixtusque refertur :
Passaque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon : qua culta secat non vilior Hermos.
Iliacæ quoque signa manus, perituraque castra
Ominibus petiere suis, nec fabula Trojæ
Continuit, Phrygiique ferens se Cæsar Iuli.
Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes,
Et felix, sic fama, Ninos : ventosa Damascos,
Gazaque, et arbusto palmarum dives Idume :
Et Tyros instabilis, pretiosaque murice Sidon.

207. *Qua celer, et rectis.* Rectæ ripæ opponnntur flexuosis : conciti fluvii et cum impetu descendentes, rectas ripas agnnt; nt contra molles et placidi, curvis eunt ripis et flexuosis: talis Mæander, qui recurrentibus ripis flexuosus. Utriusque amnis Mæandri et Marsyæ fontes in Celenarum colle esse convenit inter omnes. Livius, XXXVIII, c. 13: « Et Marsyas amnis haud procul a Mæandri fontibus oriens in Mæandrum cadit: famaque ita tenet, etc. » Καταῤῥάκτης dictus est idem Marsyas, quod cum impetu descenderet. SALMAS.

208. *Mixtusque refertur.* Redit Mæandro commixtus ipse Marsyas.

210. *Pactolon.* Auriferi fluvii celebrantur Pactolus, Hermus, Ganges, Tagus, Iber, Indus, Arimaspus. Ideo quia *aurifer* dicitur, Hermus non vilior. — *Qua culta secat.* Bentl. vult ordinem esse : passa Pactolon exire, qua Hermus. Quia nimirum Pactolus in Hermum confluit. Sed hoc enumerationi non conveoit : *Qua celer.. Qua culta.* ED.

212. *Ominibus suis.* Et Troes venerunt auxilio Pompeii, sed fato suo, id est, inauspicato et vinci solito. — *Nec fabula Trojæ.* Neque eos a Pompeianis partibus detinuit fama de Cæsare oriundo ex Iulea stirpe. Virg. Æneid. I, v. 288 : « Julius a magno demissum nomen Iulo. »

213. *Phrygiique ferens.* Jactitans se ab Iulo magno oriundum.

214. *Accedunt Syriæ populi.* E Syria etiam copiæ auxiliares ad Pompeium venerunt. — *Orontes.* Fluvius Syriæ, *desertus*, accolis ad Pompeium affluentibus.

215. *Felix, sic fama, Ninos.* Ubertate et rerum affluentia celebrata Ninos. πάλαι ποτὲ μεγάλη καὶ εὐδαίμων ut refert Arrian. in περίπλῳ Indiæ. — *Ventosa Damascos.* Quod sita in patentibus campis, undique ventis sit exposita.

216. *Gazaque.* Civitas Syriæ, in qua Cambyses, rex Persarum, divitias condidit. SCH.—*Arbusto palmarum*, etc. Palmis nobilis Syriæ regio Judæa. Virgil. Georg. III, 12 : « Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas. » Hinc BOILEAU, Sat. IX : « Cueillir mal-à-propos les palmes Idumées. » ED.

217. *Instabilis.* Quondam insula

Has ad bella rates non flexo limite ponti,
Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.
Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: et saxis tantum, volucresque feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

septuaginta passuum mari a terra dissita, sed aggere Alexandri post juncta continenti; at non ideo *instabilis*. Forte propter terræ frequentes motus. Freinshem. ad Q. Curt. IV, 4, 20: «Seu quia crebris motibus terræ, etc.» — *Pretiosaque murice Sidon*. Phœniciæ urbs maritima, purpurarum piscatu celebris.

218. *Has ad bella*, etc. Cynosura, haud certior dux ullis alibi carinis, duxit has rates ad Dyrrachium, recta navigatione. Namque Helice cæteros Graios, Tyrios Cynosura per altum dirigit. Val. Flacc. Argon. I, 17: «Neque enim in Tyrias Cynosura carinas Certior, aut Graiis Helice servanda magistris.» Conf. Manil. I, 306, et Germanicus in Arateis, v. 41; Poet. min. tom. VI, p. 52 et 215. Conf. Cicero in Lucullo, c. 20. Ed. — *Certior* quam Helice, quod polo vicinior, Κυνοσουρῇ Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν. Aratus. — *Non flexo limite*. Naves Tyriæ et Sidoniæ, Pompeio auxiliaturæ, recto cursu venere Dyrrachium, duce Cynosura stella.

220. *Phœnices primi*. Laudem Tyri et Sidonis amplificat Phœnicum encomio. Cadmus enim cum Phœnicibus suis literarum figuras vel invenisse, vel in Græciam intulisse, fertur. Mela, lib. I, cap. 12.

221. *Mansuram vocem*. Vocabula et dictiones rerum perpetuo mansuras scribere figuris elementorum; quorum inventores primi ipsi exstiterunt. Ad hunc locum eleganter *Brébeuf*, alias ampullatus poeta: «C'est de lui que nous vient cet art ingénieux De peindre la parole et de parler aux yeux, Et par les traits divers de figures tracées Donner de la couleur et du corps aux pensées.» Ed.

222. *Nondum flumineas Memphis*. Necdum Ægyptii norant voces figuris literarum delineatas chartis e papyro, seu junco Nilotico dissecto, signare; sed per figuras animalium ἱερόγλυφα γράμματα, sensus mentis, monimenta memoriæ, vaticinia, et sapientum præcepta sermonesque saxis imprimebant. — *Biblos*. Nilus biblum gignit, sive papyrum, unde paginæ candidæ fiebant: hinc *flumineas* quasi Niloticas biblos dixit: et juncorum tenuissimis fibris, stragula vela, et vestes contexebantur; et ante chartarum usum, in palmarum foliis scribere solebant. Inde in quarumdam arborum libris, postea plumbeis voluminibus publica monumenta. — *Memphis*. Ægyptus, a parte totum.

224. *Sculptaque animalia*. Animalium figuræ, quæ pro literis erant. — *Magicas linguas*. Philosophorum, sive sacerdotum, hieroglyphicas voces et dicta. Hortens.

Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos,
Coryciumque patens exesis rupibus antrum;
Mallos, et extremæ resonant navalibus Ægæ:
Itque Cilix justa, jam non pirata, carina.
Movit et Eoos bellorum fama recessus,
Qua colitur Ganges, toto qui solus in orbe
Ostia nascenti contraria solvere Phœbo
Audet, et adversum fluctus impellit in Eurum:
Hic ubi Pellæus post Tethyos æquora ductor
Constitit, et magno vinci se fassus ab orbe est;
Quaque ferens rapidum, diviso gurgite, fontem
Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen;

225. *Taurique nemus.* Montis Asiæ; proprie ita dicitur ea pars quæ Ciliciam et Pamphyliam ab Armenia distinguit. — *Perseaque Tarsos.* A Perse condita urbs Ciliciæ. Alii a θάρσῳ, Persei talaribus, vel quod ibi ungulam seu plantam fregerit Pegasus, vel παρὰ τὸ τερσανθῆναι, quod ea loca primum a diluvio exaruerint, dictam volunt, legendumque *Terseaque Tarsos.* Cœl. Rhodig. lib. IV, cap. 11.

226. *Coryciumque patens,* etc. Portus et specus in Cilicia; de quo vide Melam, lib. I, cap. 13.

227. *Mallos*, Ciliciæ oppidum, postea Antiochia. — *Ægæ.* Civitas, quæ significatur mari vicina, sita in extrema Ciliciæ ora ad sinum Issicum. Neptuno consecrata fuit. Ed.

228. *Justa, jam non pirata, carina.* Auxiliari, non prædatoria, ut olim. Confer II, 576. Recte Scholiastes: « Justa, quia jam non pirata. »

229. *Eoos bellorum fama recessus.* Extremas Orientis partes, accolas Gangis.

231. *Ostia nascenti contraria.* Miraculi simile dicit, quod Ganges contra solem orientem in Oceanum exeat; quum reliqui amnes vel a sole aversi, vel in septemtrionem, vel in austrum cursum teneant. Sed et Hister adversus solem labitur. *Nascentem Phœbum*, orientem solem vocat.

233. *Ubi Pellæus post Tethyos*, etc. Craterus ad matrem Aristopatram scripsit, Alexandrum ad Gangem usque pervenisse: alii Hypanim itineris ejus finem fuisse referunt: fluminis autem vastitate inhibitus constitit circa Oceanum Orientalem Indicum, quem itineris finem statuerat. *Pellæus.* Alexander, sic dictus a Pella, urbe Macedoniæ. Juven. Sat. X, 168: « Unus Pellæo juveni non sufficit orbis. »

235. *Diviso gurgite*, etc. Duobus ostiis in mare influit Indus, et quo loco dividitur, insulam Patalenen facit. Strab. lib. XV.

236. *Mixtum non sentit Hydaspen.* Adeo ex se vastus est; vel, ut Schol. explicat, quia Hydaspes in Indum cadens nomen suum perdit. Ed.

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,
Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis adstringunt carbasa gemmis.
Quique suas struxere pyras, vivique calentes
Conscendere rogos. Pro, quanta est gloria genti,
Injecisse manum fatis, vitaque repletos,
Quod superest, donasse Deis! Venere feroces
Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani,
Armeniusque tenens volventem saxa Niphatem :
Æthera tangentes silvas liquere Coastræ.
  Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,

237. *Quique bibunt tenera*, etc. Indicam intelligit cannam, ex qua hodie fit saccharum, quod olim non igne concoquebatur, sed aqua dumtaxat exprimebatur ad potum. Itaque saccharum priscis celebratum alius generis, et ex alia arundine. Arundo ea, quæ saccharum veteribus cognitum fert, arboreæ est magnitudinis, et *mambu* ab Indis vocatur et saccharum *mambu* quoque olim appellarunt, quod in his arundinibus gignitur et colligitur. *Salmasius* Plin. Exercit. pag. 1298.

238. *Et qui tingentes*, etc. Cathæi, Indiæ populi, pulchritudinem omni modo adstruunt; regem ob formam eligunt; puerorum mentum tingunt et vestes et capillum. Strabo, lib. XV. Vestes et ipsas gemmis distinctas zonis gemmatis cingunt.

239. *Carbasa*. Lineas vestes indicat. Propert. IV, 3, 64: « Rapta que odorato carbasa lina duci. » — *Coloratis*. Agroetes dicit, quos dicunt pro purpura clavos habere de discoloribus gemmis. Schol.

240. *Quique suas struxere pyras*. etc. Brachmanes, Gymnosophistæ, philosophi Indiæ, Brachman oppidum, vel, ut alii, insulas Gangis, incolentes. Se vitæ saturos in rogum a se exstructum conjectos comburunt. Strabo. lib. XV. Philostrat. III. De Calano notum. — *Calentes*. Tapeinosis: ardentes enim dicere voluit.

241. *Genti*. Non hoc genti toti dedit Mela, sed tantum sapientiam professis. L. III, c. 7.

242. *Injecisse manum fatis*. Non mortem exspectare, sed illam, ingerendo semet ignibus, arripere. Ed.

245. *Niphatem*. Fluvium Armeniæ. Aliis tamen est mons.

246. *Æthera tangentes*, etc. Populi incolentes extremæ Indiæ lucos, ubi « aera vincere summum Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ. » Virg. Georg. II, 123. — *Coastræ*. Populus est ad Mæotim, Plinio memoratus, l. VI, c. 7. De hoc forte populo Valer. Flacc. VI, 151: « Diros magico terrore Choatras. »

247. *Ignotum vobis Arabes*, etc. Respexit poeta Arabiam Felicem seu australem: ubi sol in Cancro um-

Umbras mirati nemorum non ire sinistras.
Tunc furor extremos movit Romanus Horetas,
Carmanosque duces, quorum devexus in Austrum
Æther non totam mergi tamen adspicit Arcton;
Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes.
Æthiopumque solum, quod non premeretur ab ulla
Signiferi regione poli, nisi, poplite lapso,
Ultima curvati procederet ungula Tauri.

bram efficit meridionalem, quæ occidentem spectantibus in sinistram, id est, austrum versus projicitur, quæ citra cancri tropicum positis in dextram semper. Rudes ergo isti in sua patria amphiscii, translati jam cis tropicum, mirati sunt umbras nunquam sinistras ire in nostris terris, ut in illorum regionibus.

249. *Furor Romanus.* Belli Romani. — *Horetas.* Vid. Q. Curt. IX, 10. Alii Gens Indica, de qua Plin. L. VI, c. 20. Alii *Orestas* unde Farnabius *Oretas*, sunt quidem proximi Carmanis Ὠρεῖται apud Strabonem XV. Sed poeta primam syllabam corripuit, ea licentia, quam in voce *Orion* usurpari cernimus. Vide insuper Plin. II, c. 75. *Grot.* Neque probanda lectio *Orestas*, ut sit populus septemtrionalis. Quæ lectio tantam Jos. Scaligero in Prolegom. in Manilium præbuit ansam exagitandi Lucanum et se torquendi. *Extremos.* Respicit ad etymon nominis ab ὅρος *terminus*, qui mos Poetis frequentissimus. Ed.

250. *Carmanosque duces*, etc. Asiæ populum inter Persidem et Indiam, ut volunt, sic a Carmano rege terræ filio dictum; quibus sub tropico cancri vel ulterius positis ursa major non tota occidit, sed prominet aliquid de capite ejus. — *Devexus*, i. e. declivis. sic apud Virgilium Georg. I, 241: Mundus... premitur Libyæ devexus in Austros. »

252. *Exigua*, etc. Exigua noctis parte lucet. — *Velox*: quia Carmanis citius occidit quam nobis. Solent enim stellæ velociores videri et velocius occidere, quo remotiores sunt in nostro horizonte. Ed. — *Bootes.* Arctophylax nuncupatur. Idem et Arcturus dicitur et custos plaustri. Hic agitur de majori Arcto; minor enim illic non videtur.

253. *Æthiopumque solum*, etc. Locus (inquit Glareanus) vix intelligibilis et in quo multi egregii viri frustra sudarunt. Forte Æthiopas ultra æquinoctialem positos voluit poeta, dicereque, « Æthiopia non subest ulli e signis Septemtrionalibus, nisi quod Taurinus pes ultra æquinoctialem protendatur circa quinquagesimum longitudinis gradum. »

255. *Curvati*, etc. Propter geniculationem Arato κιπτηὸς dicitur, Manilio *flexus*. — *Procederet.* Nisi a Tauri ungulis æquinoctialis circuli margines contingerentur, ubi Meroe est. Cæterum quantum Æthiopia ultra tropicum hiemalem est, nullum signiferi signum habet; ut neque ii, qui intra Cancrum et circulum Arcticum habitant. Hort.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, et incertum, tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquis. Sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ:
At Tigrim subito tellus absorbet hiatu,
Occultosque tegit cursus, rursusque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.
Inter Cæsareas acies, diversaque signa
Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem,
Contenti fecisse duos. Tinxere sagittas
Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros

256. *Rapido tollit cum Tigride.* Unde et nomen habet; sagittam quippe Persæ *Tigrin* appellant.

257. *Euphrates...diversis*, etc. Uterque fluvius oritur in Armenia ex fontibus parum distantibus: vulgo tamen creditum unum habuisse fontem. Euphrates Mesopotamiam rigans, ut Ægyptum Nilus, infra Seleuciam aquas suas nomenque in Tigrim evomit, a quo per duo ostia in sinum Persicum defertur. — *Non diversis.* Boeth. Cons. philos. « Tigris et Euphrates uno se fonte resolvunt. »

258. *Incertum*, etc. Intell. incertum, utrum Euphrates an Tigris vocari debeat, quum amnes confluxerint. Ed.

259. *Sed sparsus in agros.* Dum per camporum planitiem funditur, eosque rigat, quotannis excursu aquarum suarum, Nilum imitatur. Inter omnes quos habet Asia, clarissimus est Euphrates, post hunc Tigris, dein Araxes.

260. *Fertilis Phariæ undæ.* Periphrasis Nili, a turri Pharo ad Nilum sita. Ed.

261. *At Tigrim*, etc. Tigris autem antequam Euphratem excipiat, Taurum montem subterlapsus, mox ad lacum Thespitim in cuniculos mersus, post XXV M. pass. redditus, in Sinum Persicum prolabitur.

263. *Pelagi non abnegat*, etc. Post longum enim et amfractuosum cursum in mare devolvitur; uno, vel, ut alii, duobus ostiis, per agrum Susianum lapsus. Hort.

264. *Inter Cæsareas acies.* Parthi, inquit, neutri misere auxilia, gratulantes sibi quasi bellum hoc civile Romanis objecerint, ut qui, Crasso sublato, Pompeium et Cæsarem inter se commiserint. Conf. I, v. 99. Pompeianas tamen partes secutos, refert Justin. l. 47. — *Diversaque signa.* Pompeiana.

266. *Contenti fecisse duos.* Ut duo duces inter se committerentur: qui de principatu decertarent. Hort. — *Tinxere sagittas.* Veneno, toxico.

267. *Errantes Scythiæ populi*, etc. Nomades, ἁμαξόβιοι, Bactriani, populi Scythiæ, ad Bactron, fluvium Scythiæ.

Includit gelido, vastisque Hyrcania silvis.
Hinc Lacedæmonii moto gens aspera freno
Heniochi, sævisque adfinis Sarmata Moschis;
Colchorum qua rura secat ditissima Phasis:
Qua Crœso fatalis Halys, qua vertice lapsus
Rhipæo Tanais diversi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiæque et terminus idem
Europæ, mediæ dirimens confinia terræ,
Nunc huc, nunc illuc, qua flectitur, ampliat orbem.
Quaque, fretum torrens, Mæotidas egerit undas
Pontus, et Herculeis aufertur gloria metis,

268. *Hyrcania silvis.* Regio Asiæ, silvis nobilis.

269. *Lacedæmonii..., Heniochi.* Equites feri ad Caucasum: ab Amphyto et Telecbio, Lacedæmonils Castoris et Pollucis ἡνιόχοις orti.

270. *Sarmata Moschis.* Vulgo *Russes* et *Tartares.*

271. *Phasis.* Populi ad Hyrcanum mare, circa fontes Phasidis, fluvii Colchorum. — *Rura ditissima* propter vellus aureum.

272. *Halys.* Fluvius, Lydos a Medis dirimens, Crœso fatalis ex oraculi amphibologia. Herod. I. Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. — *Qua vertice lapsus*, etc. Qua Tanais e montibus Rhipæis ortus Europam ab Asia disterminat.

273. *Diversi nomina mundi.* Europæ nempe et Asiæ, sibi oppositæ: ut dextra orbis pars per Mæoticum lacum intranti, Asia: læva, Europa appelletur. Atque ita ripis suis diversa nomina indit Tanais. Sic infr. 382: « Aggere diversos vasto committere colles. »

276. *Nunc huc, nunc illuc.* Nunc enim Asiæ, nunc Europæ largius indulget. Sic edidit Burm. Alii ingratiore sono, *Nunc hunc, nunc illum*, ut est in MS. 7900. Ed. — *Ampliat orbem.* Orbis illam partem, quam flexu declinat, ampliorem reddit.

277. *Quaque fretum torrens*, etc. Appositive Pontus Euxinus, *fretum torrens.* Qua Bosphorus Cimmerius emittit undas Mæotidis paludis in Euxinum mare, hinc Bosphorus Thracius in Propontidem, inde Hellespontus in Ægæum. Ita non sibi solis maris mediterranei admissi gloriam vindicent columnæ Herculis, per quas immittitur Oceanus occidentalis. Plin. L. III, procem. Solin. c. 28; Mela, L. I, c. 5.

278. *Herculeis metis.* Sensus est: pontum Euxinum auferre illam gloriam metis Herculeis, quæ scilicet est vulgatissima, Herculem Abylam, quæ in Africa est, et Calpen, quæ in Hispania, junctos olim colles diremisse, atque ita maria Mediterranea admissa fuisse. Ideo autem Pontus Euxinus auferre dicitur hanc gloriam Herculi, quia maria omnia interiora illo capite nascuntur, non a

Oceanumque negant solas admittere Gades.
Hinc Essedoniæ gentes, auroque ligatas
Substringens, Arimaspe, comas : hinc fortis Arius,
Longaque Sarmatici solvens jejunia belli
Massagetes quo fugit equo, volucresque Geloni.
Non, quum Memnoniis deducens agmina regnis
Cyrus, et effusis numerato milite telis
Descendit Xerxes, fraternique ultor amoris
Æquora quum tantis percussit classibus, unum
Tot reges habuere ducem : coiere nec umquam

Gaditano freto, et ita hæc gloria admissi intra terras Oceani, erit Ponto Euxino, non Herculi adscribenda. Quidam male hunc locum ad Aras Alexandri referunt, quas ille ad Tanaim fluvium constituisse traditur, finem ac terminum itineris sui videlicet, perinde ut Hercules columnas suas ad Gades.

279. *Oceanumque negant.* Scil. homines, nunc possunt negare a solis Gadibus Oceanum admitti. Plerique, et MS. 7900, *negat*, scil. Pontus.

280. *Essedoniæ gentes*, etc. Populi ad Mæotida et his conjuncti, gens unocula Arimaspi, accolæ fluvii cognominis auriflui, et ipsi comas auro in nodum colligati. Avien. Descrip. orb. 55; Priscian. Perieg. 40.

281. *Arius.* Populus, Colchis vicinus, in insula *Aria* vel *Area*. Mela, II, c. 7: « Non longe a Colchis Aria, quæ Marti sacrata» : ideo *fortis*.

282. *Longaque.* Massagetes Scythiæ populi, qui sitim famemque levant epoto equorum sanguine. De iis Claudianus, in Rufin, I, 311: « Et qui cornipedes in poeula vulnerat audax Massagetes. » De his Virgil. Georg. III, 463: « Et lac concretum cum sanguine potat equino. » Addit Noster, *quo fugit*; ut ostendat id ab illis non semper fieri, sed in rebus adversis, et quum *longo jejunio* coguntur, ut ipso, quo fugerunt, equo vescantur. — *Volucresque Geloni.* Hi Sarmatiæ populi. Virg. Georg. III, 461: « Acerque Gelonus. » Ed.

284. *Non quum Memnoniis.* Amplificat poeta auxiliares copias Pompeii ex collatione exercituum Cyri, Xerxis, et Agamemnonis, sed hyperbolice. — *Memnoniis... regnis Cyrus.* Persicis et Susianis ab oriente, unde et Memnon Tithoni et Auroræ filius venit olim auxilio Priami.

285. *Effusis numerato.* Singulis singulas mittere jussis sagittas, exercitum numeravit. Conf. Herod. lib. VII.

286. *Xerxes.* Alii legunt *Perses*; male; fuit enim Cyrus etiam rex Persiæ. — *Fraternique.* Agamemnon ulturus fratris Menelai uxorem a Paride raptam.

288. *Ducem.* Imperatorem, ut regem regum Agamemnona. — *Coiere nec umquam....* Imitatus est Claudianus, in Rufin. II, 106: « Numquam tantæ ditione sub una Convenere manus, nec tot discrimina vocum. »

Tam variæ cultu gentes, tam dissona vulgi
Ora : tot immensæ comites mixtura ruinæ
Excivit populos, et dignas funere Magni
Exsequias Fortuna dedit. Non corniger Hammon
Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas :
Quidquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,
Usque Parætonias Eoa ad litora Syrtes,
Acciperet felix ne non semel omnia Cæsar,
Vincendum pariter Pharsalia præstitit orbem.
  Ille ubi deseruit trepidantis mœnia Romæ,
Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem.
Quumque alii famæ populi terrore paverent,
Phocais in dubiis ausa est servare juventus

290. *Tot immensæ comites.* Ut Priamo Trojam rogum, ita Pompeio tot gentes Fortuna dedit exsequias et cædis socias.

292. *Non corniger Hammon.* Neque Africa cessavit auxilia mittere, in cujus regione Cyrenaica, deserta et arenosa, Jovi Hammoni sub specie arietis culto templum consecravit Liber pater. Infra. IX, 511; X, 38.

293. *Marmaricas.* Marmarica Africæ regio est, Ægyptum versus: hodie est *Barca*.

294. *Quidquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,* etc. Omnes gentes a Mauritania, quæ ultima pars est Africæ ad occasum, usque ad Parætonium oppidum orientem versus.

295. *Parætonias.* Epitheton longius petitum: nam Parætonium longius distat a Syrtibus, media Cyrenaica interjacente. Ed.

296. *Acciperet felix,* etc. Ne Cæsari opus esset singulas gentes persequi, contulit huc omnes undique Fortuna, ut una acie Pharsalica orbem totum subigeret Cæsar.

298. *Ille ubi deseruit,* etc. Cæsar ab Urbe profectus in ulteriorem Galliam, cognovit Domitium, nuper a se captum Corfinii et dimissum, advenisse Massiliam, cujus urbis cives, Pompeio faventes, portas Cæsari venienti occluserunt. Cæsar XV primos Massiliensium evocatos monet, ne, dum unius hominis voluntati obtemperare velint, illi soli ex omnibus Italiæ civitatibus bellum sibi accersant: ita monitos ad suos dimittit, hos ad Cæsarem cum responso a suis civibus reducit poeta. « Misera (inquit Florus) Massilia, quæ dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit. »

299. *Agmine rapto.* Celeri itinere. Sic IV, 717: « Rapit agmina furtim. » Ed.

301. *Phocais in dubiis,* etc. Massilienses. Phocæenses quippe, Ionia,

Non Graia levitate fidem, signataque jura,
Et causas, non fata, sequi. Tamen antc furorem
Indomitum, duramque viri deflectere mentem
Pacifico sermone parant, hostemque propinquum
Orant, Cecropiæ prælata frondc Minervæ:
« Semper in externis populo communia vestro
Massiliam bellis testatur fata tulissc,
Comprcnsa est Latiis quæcunıquc annalibus ætas.
Et nunc, ignoto si quos petis orbe triumphos,
Accipe devotas externa in prælia dextras.
At si funestas acies, si dira paratis
Prælia discordes, lacrymas civilibus armis

quæ est in Asia, ab Harpago, Cyri præfecto pulsi, in Galliam venere Narbonensem, ubi Massiliam condiderunt.

302. *Graia levitate fidem*. Græca gens levis fidei olim habita. πιςὸν Ἕλλας οἶδεν οὐδὲν. Eorip. in Iphig. Ergo isti contra morem suæ gentis feeernnt, fortiter in fide staotes. SCHOL.— *Signataque jura*. Intelligit fœdera, quæ cum Massiliensibus, et populo rom. contracta, sancita, et ab utraque gente signata sunt. Clandian. in Eutrop. I, 379: « Germaois responsa dabat, legesque Caiicis Arduns, et flavis sigoabat jura Suevis. »

303. *Et causas, non fata, sequi*. Æquitatem non fortunam seqoi.

304. *Viri deflectere*, etc. Cæsaris.

306. *Cecropiæ prælata fronde Minervæ*. Gestaotes manu et prætendeotes frondem oleaginam pacis signum; Pallas vero præses Athenarum, Ceeropi quondam regnatarum, oleæ perhibetur inventrix. Sie apud Virg. Æn. lib. VII, v. 153: «Ceotum oratores augusta ad mœnia regis Ire jobet, ramis velatos Palladis omnes.»

307. *Semper*, etc. Annales Italiæ et populi Romani testantur, Massiliam in exterois bellis communem fortunam, secnndam et adversam, cnm Romanis semper tnlisse. Legati fide sua moileste et constanter exposita, dissnadent bellum civile, sibi ut liceat extra partes esse petunt: non esse sui jndicii discernere utra cansa sit justior: sed quidvis potius pati se esse paratos, quam armatum Cæsarem admittere.

310. *Et nunc, ignoto*. Hanc nostram fidem et nuoe promptam habes, si externa paras bella; si civilia, libet eerte misereri eorum sortem qui arma capessunt; perfuginm victis, supplicibus atque iis, qui in partibus esse oolont, dabimus.

312. *Si dira paratis Prælia*. Conf. VII, 689: « Fuge prælia dira. » ED.

313. *Lacrymas*, etc. Per *lacrymas* commiserationem significat. Schol. male coojungit *discordes lacrymas*, et explicat: lacrymæ sunt discordes quando læsi a civibus cives deflent.

Secretumque damus. Tractentur vulnera nulla
Sacra manu. Si cælicolis furor arma dedisset,
Aut si terrigenæ tentarent astra gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis,
Vel votis, prodesse Jovi : sortisque Deorum
Ignarum mortale genus, per fulmina tantum
Sciret adhuc cælo solum regnare Tonantem.
Adde quod innumeræ concurrunt undique gentes,
Nec sic horret iners scelerum contagia mundus,
Ut gladiis egeant civilia bella coactis.
Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent
Fata, nec hæc alius committat prælia miles.
Cui non conspecto languebit dextra parente?
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.
Finis adest rerum, si non committitis illis

Sensus est : si vos, Romani, discordes, etc. Ed.

314. *Secretumque.* Secessum quo confugiant cives qui volunt esse a bellis immunes. Tacit. Hist. III, 63 : «Secreta Campaniæ offerre.» — *Tractentur*, etc. Absit ut Massilienses, vel alius quisquam, manum admoveant Romæ vulneribus, quæ sacra sunt nullique tangenda, velut sacrum bidental. Ed.

315. *Si cælicolis*, etc. Neque nobis causas vestras expendere aut ad partes ire magis fas est, quam hominibus hoc idem facere liceret, si Dii inter se dissentirent, aut iis arma, ut olim, gigantes Terræ filii inferrent.

317. *Pietas humana.* Homines pii.

318. *Vel votis prodesse.* Ne precibus quidem et oratione juvare auderet.

319. *Per fulmina tantum.* Tonitrua tantum demonstrarent Jovem esse cæli regem. Sic apud Horat. Carm. III, 5, 1 : « Cælo tonantem, etc.» Ed.

322. *Nec sic horret*, etc. Non utique opus erit populis coactis ad partes in bello hoc civili : satis hominum passim reperietis qui arma sumant, nec tot scelerum contagia timeant.

324. *Sit mens ista quidem cunctis.* Atque utinam omnibus sociis aliisque gentibus eadem esset mens quæ nobis, neque se bello huic fatali immiscerent alii, quam cives romani.

325. *Nec hæc alius.* Sperat orator fore ut, si non alii, quam cives romani, ex utraque parte starent, bellum cito finem capiat.

326. *Cui non conspecto*, etc. Quis audebit ferire hostes, si conspectus fuerit a diversa parte pater, aut frater?

328. *Finis adest rerum*, etc. Statim videbitis exitum belli hujus, nisi suscitaveritis externos, quos inter se et contra vos bellum gerere fas est; et sine quibus necessario bellum ci-

Arma, quibus fas est. Nobis hæc summa precandi,
Terribiles aquilas, infestaque signa relinquas
Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,
Excludique sinas, admisso Cæsare, bellum.
Sit locus exceptus sceleri, Magnoque, tibique
Tutus, ut, invictæ fatum si consulat Urbi,
Fœdera si placeant, sit quo veniatis inermes.
Vel, quum tanta vocent discrimina martis Hiberi,
Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
Nec momenta sumus : numquam felicibus armis
Usa manus, patriæ primis a sedibus exsul,

vile interibit. Sic VII, 314 : « Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt, Non credit fecisse nefas. » — *Nobis hæc summa*, etc. Nos summopere a te petimus, hoc scilicet solum deprecamur, ut signis infestis animoque hostili exclusis urbem nostram amicus ingrediaris

333. *Sit locus exceptus*, etc. Liceat modo nostræ civitati esse a partibus liberæ, civili bello exemptæ, et loco esse medio, quo in colloquium et fœdera, si diis ita visum est, conveniatis inermes tu et Pompeius. — *Exceptus sceleri :* in quo scelus non sit admissum. Schol. Sic fere apud Flor. II, 6, Saguntus dicitur « excepta in libertatem », quia sola ex Hispanis civitatibus nec Romani, nec Carthaginiensis juris esset. Ed.

334. *Invictæ*. Boni ominis verba profert legatus, et passim Roma *æterna, invicta* dicitur.

335. *Sit quo veniatis inermes*. Hoc plane ex more et instituto Massiliensium. Valer. Max. II, 6, 9 : « Sed ut ad Massiliensium civitatem revertar, intrare oppidum eorum nulli cum telo licet, præstoque est qui id, custodiæ gratia acceptum, exituro reddat, ut hospitia sua, quemadmodum advenientibus humana sunt, ita ipsis quoque tuta sint. »

336. *Vel quum tanta*, etc. Aut tibi, properanti ad Hispanum bellum, in quo cardo rerum vertitur, quæ tandem causa divertendi ad nos, populum nullius momenti aut ponderis ad summam victoriæ?

338. *Nec momenta sumus*. Conf. IV, 819. — *Numquam felicibus*. Terrere tentant Cæsarem, ne eos sibi velit jungere, et amplificant suam et majorum in bellis gerendis infelicitatem. Ed. — Hæc autem omnia falsissima sunt. Fuerunt enim felicissimi, et totum illum litoralem tractum sibi subjugaverunt. Hæc vero non ad fidem historiæ, sed ex persona Massiliensium extenuat Lucanus. Ideo igitur injuste in auctorem invehitur summus Scaliger in Proleg. ad Manilium, pag. 16. Au hæc vera forent, non disputandum erat; sed legato in rem patriæ hæc licebat fingere et affirmare.

339. *Manus exsul*. Multitudo profuga ab antiqua Græcia patria. Sulp.

Et post translatas exustæ Phocidos arces,
Mœnibus exiguis, alieno in litore, tuti,
Illustrat quos sola fides. Si claudere muros
Obsidione paras, et vi perfringere portas,
Excepisse faces tectis, et tela parati,
Undarum raptos aversis fontibus haustus
Quærere, et effossam sitientes lambere terram:
Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni,
Fœdaque contingi maculato carpere morsu.

340. *Et post translatas exustæ Phocidos arces.* Error communis latinorum scriptorum, *Phocenses*, qui Phocæenses erant, appellantium. *Phocæenses* ab urbe Asiæ Phocæa condiderunt Massiliam; non Phocenses a Phocide, regione circa Parnassum. Illi Φωκαιεῖς vel Φωκαεῖς dicti: isti Φωκεῖς. Non ferendum ergo Lucanum *Phocidem* dixisse pro *Phocaide*. Quomodo enim ἡ Φωκὶς possit esse Φωκαΐς, aut Φωκαεῖς. Atque idem Lucanus paulo ante *Phocaida juventutem* Massilitanos dixerat: Sed idem rursus *Phocaicum* usurpavit pro Phocico, v. 144, ubi *Phocaica laurus* manifeste pro Parnassia et Phocica. Qua ratione fieri possit, Φωκαϊκὸν ἀπὸ τῶ Φωκίων non video. Salm. Plin. Exerc. p. 94.—*Phocidos arces.* Videtur poeta eos sequutus qui Massiliam conditam volunt a Phocensibus Græciæ: repugnant tamen Just. lib. XLIII; Strabo lib. IV; Herod. I, 464. — *Translatas... arces.* Non intelligo ipsas arces, sed incolas, ut Ovid. Epist. VII, 151: «Ilion in Tyriam transfer feliciter urbem.» —*Exustæ.* Nescimus an Phocæenses relictam urbem incenderint. Modum quo excesserint narrat quidem Herodotus, sed nullam mentionem urbis *exustæ* habet. Burmann. tentat *exhaustæ*, quia uxores, liberos, et omnia quæ poterant, navibus imposuerunt. Ed.

342. *Si claudere muros.* Docent difficulter se superari posse a signis tolerantiæ in rebus angustis. Terrent ab exemplo Saguntinorum, quos decretum est imitari.

344. *Excepisse faces tectis*, etc. Tum ad urbis defensionem, tum ad extrema omnia perferenda sumus parati: si avertatis flumina, aquam e puteis bibere; si deficiat frumentum, illa, quæ visu horrida, contactu fœda sunt, edere parati.

345. *Aversis fontibus.* Fontes hic sunt aquæ, quas si avertes, quæremus nobis *raptos haustus*, potum subtractum, scil. effossis puteis; qui si non largam aquæ copiam præbent, lambemus terram effossam ac madentem. Ed.

347. *Tunc horrida cerni.* Ordo est et sensus: Tunc parati sumus carpere maculato morsu, quæ sunt horrida cerni, et fœda contingi, nempe immunda quævis et ipsa cadavera. Græca forma adject. cum infinitivo.

348. *Carpere.* Hoc verbum recte se habet, et rei convenit, et famelicorum aviditatem exprimit. Infra VI, 544: «Pendentia corpora carpsit.»

Nec pavet hic populus pro libertate subire,
Obsessum Pœno gessit quod marte Saguntum.
Pectoribus rapti matrum, frustraque trahentes
Ubera sicca fame medios mittentur in ignes;
Uxor et a caro poscet sibi fata marito.
Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti
Hoc potius civile gerent.» Sic Graia juventus
Finierat; quum turbato jam prodita vultu
Ira ducis, tandem testata est voce dolorem:
« Vana movet Graios nostri fiducia cursus.
Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
Massiliam delere vacat. Gaudete cohortes:
Obvia præbentur fatorum munere bella.
Ventus ut amittit vires, nisi robore densæ
Occurrunt silvæ, spatio diffusus inani:

349. *Nec pavet*, etc. Nec dubitamus tolerare quæcumque Saguntini in Hispania tulere ab Hannibale obsessi. Liv. XXI; Juven. sat. 15; Val. Max. Lib. VI, c. 6. Qui quum vim punicam ulterius nequirent arcere, aurum, argentum, pretiosa quæque, liberos conjugesque a se cæsos, se denique in ignem, in foro exstructum, præcipitavere.—*Hic populus*. Cum emphasi dictum: *Hic*, quem tu mollem et imbellem credis.

355. *Hoc potius*. Si cogantur bellum civile gerere, Massilienses malunt hoc genus belli civilis gerere, id est, sese mutua internecione conficere, quam Cæsaris cum Pompeii bello interesse. Schol. *Hoc*, scil. inter se, quum suos obsessi perimunt. — *Graia juventus Finierat*. Massiliensium legati. Sopra v. 340.

356. *Prodita*. Futuræ orationis sensum ante demonstrat, ut Virg. Æn. IV, 364: « Sic accensa profatur. »

358. *Graios*. Massilienses. — *Cursus*. Expeditionis in Hispaniam. Errant putantes nobis adeo esse festinandum. Ed.

359. *Hesperium*, etc. Occiduam mundi plagam, in qua Hispania. — *Axem*, improprie quum axes duo sint tantum, arcticus et antarcticus. Vulgo de qualibet regione usurpatur.

360. *Delere vacat*. Variant quidam codd. *juvat*, sed properanti *vacat* melius respondet. — *Gaudete cohortes*. Expetivistis prælia vobis dari et urbes rapiendas; ecce vobis fato oblata, quæ poscitis.

362. *Ventus ut*, etc. Duobus similibus ostendit, bellis suas vires crescere: unum ductum a natura ventorum; alterum ab ingenio ignis: quorum uterque deficiente materia, vires suas amittit. — *Nisi robore*. Alii cum MS. 7900 *robora*, et sic intellig.

Utque perit magnus nullis obstantibus ignis,
Sic hostes mihi deesse nocet : damnumque putamus
Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.
Sed si solus eam dimissis degener armis,
Tunc mihi tecta patent. Jam non excludere tantum,
Inclusisse volunt. At enim contagia belli
Dira fugant. Dabitis pœnas pro pace petita :
Et nihil esse meo discetis tutius ævo,
Quam duce me bellum.» Sic postquam fatus, ad urbem
Haud trepidam convertit iter : tum mœnia clausa
Conspicit, et densa juvenum vallata corona.

Haud procul a muris tumulus surgentis in altum
Telluris, parvum diffuso vertice campum
Explicat : hæc patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes, tutisque aptissima castris.
Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem

densæ silvæ, casu nominativo per epexegesin. Burmannus male : *silvæ densæ robora*, id est, roboribus, per græcismum.

364. *Nullis obstantibus.* Nulla materia obstante, vim alente.

365. *Damnumque*, etc. Supra, II, 439 : « Nullas nisi sanguine fuso Gaudet habere vias. »

366. *Rebellant.* Nobis bello resistunt.

367. *Sed si solus*, etc Cum indignatione redarguit id, quod legati obtulerant, modo v. 331, atque invertit, velle Massilienses ipsum ab exercitu semotum excipere, ut inclusum perdant.

369. *At enim*, etc. At vero nolunt bello civili pollui ; pacem scilicet exoptantes.

370. *Dira fugant.* At se avertunt.

372. *Quam duce me bellum.* Quam meas partes et signa sequi.—*Sic postquam fatus*, etc. Vid. Bell. Civ. I. I : Quibus injuriis permotus Cæsar, legiones tres Massiliam adducit : turres vineasque ad oppugnationem urbis agere, naves longas octodecim facere Arelate instituit. His D. Brutum præfecit, etc.

374. *Vallata corona.* Circumdata ad defensionem urbis.

375. *Tumulus surgentis*, etc. Tumulus nativus intelligitur et collis, qui mox rupes vocatur.

376. *Campum Explicat.* Hujus collis cacumen in planitiem modicam extendit.

377. *Hæc patiens*, etc. Hic tumulus, quum posset vallo circumdari, visus est locus castris aptissimus.—*Proxima pars*, etc. Tumuli edi-

Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva.
Tunc res immenso placuit statura labore,
Aggere diversos vasto committere colles.
Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem
Clauderet, a summis perduxit ad æquora castris
Longum Cæsar opus, fontesque et pabula campi
Amplexus fossa, densas tollentia pinnas
Cespitibus, crudaque exstruxit brachia terra.
Jam satis hoc Graiæ memorandum contigit urbi,
Æternumque decus, quod non impulsa, neque ipso
Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli
Præcipitem cursum : raptisque a Cæsare cunctis,
Vincitur una mora. Quantum est quod fata tenentur!
Quodque virum toti properans imponere mundo

tioris altitudinem æquabat arx urbis, colli huic oppusita; inter rupem vero et collem quasi in convalle jacebat longa camporum plauities. — *Consurgit in arcem.* Recte Silius, II, 446. « Eminet excelso consurgens colle Saguntos. » Ed.

381. *Statura*, i. e. constatnra.

382. *Aggere diversos*, etc. Aggere conjungere urbis et castrorum colles.

383. *Sed prius ut totam*, etc. Massilia tribus partibus mari allnitnr; quartam partem, qua oppngnatu difficilior visa est propter loci uaturam et arcem, Cæsar interclusit, ducto, a suis castris in edito colle positis, ad mare utrimqne aggere.

385. *Fontesque et pabula campi.* Fossis interrupit agros ab urbe et hac ratione oppidanos frnmentatione et pabulatioue prohibuit.

386. *Tollentia pinnas.* Ordo est: exstruxit cum cespitibus et cruda terra *brachia* tollentia deusas pinnas: scil. incurvos aggerum flexus, brachiorum in moduin curvatos, pinnatos instar murorum et turribus distinctos. Ed.

388. *Jam satis*, etc. Gratulatur urbi poeta ubique Pompeianus, fidei, constantiæ, fortitudinis gloriam.

391. *Raptisque.... cunctis.* Statim vel se dedentibus, vel occupatis et impulsis a Cæsare, cæteris urbibus.

392. *Vincitur una mora.* Diuturna obsidione ad hanc unam subigendam opus fuit.—*Quantum est quod fata.* Id est, quanta gluria fuit huic civitati, quud nna fatorum cursum retardarit, et causa fuerit, cur fortuna, etsi pruperaret totum orbem Cæsari snbmittere, aliquot tamen dies perdiderit.—Burmann. pro *quod* bis dedit *quo*, id est, quantulum est illud qno, etc. Ed.—*Tenentur.* Retardantur. Ed.

393. *Properans imponere mundo.* Festinans præficere Cæsarem, eum

Hos perdit Fortuna dies! Tunc omnia late
Procumbunt nemora, et spoliantur robore silvæ;
Ut, quum terra levis mediam virgultaque molem
Suspendant, structa laterum compage ligatam
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.
  Lucus erat, longo numquam violatus ab ævo,
Obscurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas alte submotis solibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Silvani Nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ;

quasi mundi cervicibus imponere, qui tamquam onus reip. et orbi terrarum grave esset. Sic X, 376: « Quæ sustulit illum, Imposuitque orbi. »

394. *Perdit*. In cassum conterit.— *Tunc omnia late*, etc. Cæduntur passim silvæ, ad turres exstruendas, vineas, aliasque machinas: nec non ad firmandos continendosque lignorum strue et interjectis trabibus aggeres, ne subsideret ac difflueret levis per se terra, turrium superstructarum mole gravata.

398. *Arctet humum*. Cohibeat terram, ne sidat et defluat.

399. *Lucus erat*, etc. Descriptio luci, quem Cæsar, opera excitaturus ante urbem, exscindi jussit.— *Numquam violatus*. Inciduus et non violatus per longum ævum. Hoc de religione silvæ dixit, ut Cæsar innuatur admisisse sacrilegium. Ed.

400. *Cingens aera*. Noctem et tenebras includens ramis arborum spissis et inter se connexis, solem submoventibus et frigidam umbram efficientibus. Sic contra v. 443: « Fronde carentes Admisere diem. » *Cingere* bene alibi de nubibus obscurum aera reddentibus. Virg. Æn. V, 13: « Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi. » —*Connexis*. Dixit Horat. Carm. II, 3, 10, *consociare* umbram *ramis*.

401. *Submotis solibus*. Sic Auson. Mosell. 14: « Et jam, consertis per mutua vincula ramis, Quæritur exclusum viridi caligine cælum. » Ed.

402. *Hunc non ruricolæ Panes*. Non Dii agrestes noti, et numina rustica, quæ alias colunt silvas, Panes, Fauni, Satyri, Silvani, Nymphæ, Dryades, etc., hunc lucum tenent.

403. *Barbara ritu*, etc. Effera, Scythicæ Dianæ æmula, immolatis hostiis humanis, ut I, 445.

404. *Altaribus aræ*. Aræ sunt humiliores, altaria vero altiora. Hic aræ debent altaribus superstructæ intelligi. Alias altaria sunt ea pars aræ, in quam igne accenso pars extorum inferebatur. Solinus hoc sensu, c. 9: « Ara est in cacumine Jovi dicata, cujus altaribus si qua de extis inferuntur. » Hinc alii aras capiunt pro altarium fundamentis. Forsan *altaria* pro ipsis sacrificiis dixit. Ed.

Omnis et humanis lustrata cruoribus arbor.
Si qua fidem meruit Superos mirata vetustas,
Illis et volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ ; nec ventus in illas
Incubuit silvas, excussaque nubibus atris
Fulgura : non ullis frondem præbentibus auris,
Arboribus suus horror inest. Tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacraque mæsta Deorum
Arte carent, cæsisque exstant informia truncis.
Ipse situs, putrique facit jam robore pallor
Attonitos : non vulgatis sacrata figuris

405. *Humanis cruoribus.* Male hic reprehenditur a Scaligero Lucanus. Non dicit Noster hæc inhumana sacrificia a Massiliensibus facta : sed omnes illas arbores tam vetustas olim jam fuisse lustratas humano sanguine ab illis populis, quos describit I, 444. Ed.

406. *Si qua fidem*, etc. Et si qua fide digna sit religiosa antiquitas, declinant illum lucum aves, feræ, venti, fulgura. Conf. ad Stat. tom. I, p. 317; Silv. III, 2, 9.

410. *Non ullis frondem*, etc. Fronde (inquiunt interpretes) caret lucus propter opacitatem ramorum solis radios non admittentium. Micyllus καθ' ὑπαλλαγὴν exponit, « frondibus nullas auras *præbentibus*. » H. Grotius agnoscit lectionem *ferientibus*, hac mente et dispositione : nullis auris frondem moventibus, ex se horrent arbores. Sed nihil est mutandum, sic enim se habere potest ordo et sensus : Suus horror inest arboribus præbentibus frondem nullis auris. Ut *præbentibus* cum *arboribus* non cum *auris* conjungatur. Recte arbores dicuntur præbere folia ventis, ut sic Ovid. Epist. VII, 171 : « Præbebis carbasa ventis. » Ed.

411. *Arboribus suus horror.* Plerique interpretes, *horrorem* simpliciter hic accipiunt pro veneratione ; sed hic *horror* propria significatione sumitur pro motu, qui inest arboribus per se, id est, *suus*, non agitantibus illas ventis. Ex quo tamen proprio arborum horrore nasci potest quædam veneratio. Confer. Valer. Flacc. III, 403.

413. *Informia truncis.* Squalida, inculta, rudia, hinc mærorem inducentia, cum veneratione quadam.

414. *Ipse situs.* Squalor. *Pallere* autem arescentes arbores et herbæ vulgo dicuntur. Ovid. Met. VIII, 759 : « Pariter frondes, pariter pallescere glandes Cœpere ; ac longi pallorem ducere rami. » Ed.

415. *Non vulgatis*, etc. Non adeo metuunt simulacra notam et vulgatam hominis imaginem habentia, quam has Deorum sibi ignotorum formas insulitas, sine arte ex cæsis arborum truncis dolatas. Augentur terrores, quia non agnoscunt Deos, quos timent.

Numina sic metuunt : tantum terroribus addit,
Quos timeant, non nosse Deos! Jam fama ferebat,
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,
Et procumbentes iterum consurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia silvæ,
Roboraque amplexos circumfluxisse dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed cessere Deis. Medio quum Phœbus in axe est,
Aut cælum nox atra tenet, pavet ipse sacerdos
Accessus, dominumque timet deprendere luci.
Hanc jubet immisso silvam procumbere ferro :
Nam vicina operi, belloque intacta priori
Inter nudatos stabat densissima montes.
Sed fortes tremuere manus; motique verenda
Majestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.

417. *Quos timeant.* Scil. Teutatem, Hesum, Taranim, I, 445, Deos ignotos et superstitiose cultos.

418. *Cavas cavernas.* E Virgilio sumptum, *Æn.* II, 52.

419. *Consurgere taxos.* Erigi, vel renasci. Funesta enim arbor, ut et cupressus, quæ succisa non regerminat.

420. *Et non ardentis.* Flammis, velut lambentibus corripi arbores, neque tamen absumi. Sic Senec. Thyest. 673 : « Quin tota solet Micare flamma silva, et excelsæ trabes Ardent sine igne. »

421. *Roboraque amplexos.* Infra, IX, 364 : « Serpens Robora complexus rutilo curvata metallo. » — *Circumfluxisse.* Circumfusos esse arboribus.

422. *Non illum cultu populi,* etc. Tamquam sacrosanctum, nempe Diis solis incolendum permittunt populi.

423. *Medio quum Phœbus,* etc. Ne in Deum luci præsidem et tutelarem incidat, tamquam δαιμόνιον μεσημβρινὸν, aut Empusam meridianam, media die aut noctu nemora lustrantem, horret adire ipse sacerdos.

425. *Accessus.* Sine pœna enim Deos videre se non posse putabant. Imitatus est Statius, Theb. I, 94 : « Occursus dominæ pavet. » Ed.

428. *Inter nudatos stabat,* etc. Silvis spoliatos superiori bello Gallico. Sed Cæsar numquam circa Massiliam bellum gessit. — *Nudatos.* Sic *nudus Hæmus* apud Statium Theb. V, 16. Ed.

429. *Manus.* Militum. — *Verenda.* Veneranda luci religione.

431. *In sua credebant,* etc. Quod passus est Lycurgus Threicius rex

Implicitas magno Cæsar terrore cohortes
Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum,
Effatur merso violata in robora ferro :
« Jam ne quis vestrum dubitet subvertere silvam,
Credite me fecisse nefas. » Tunc paruit omnis
Imperiis, non sublato secura pavore
Turba, sed expensa Superorum et Cæsaris ira.
Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
Silvaque Dodones, et fluctibus aptior alnus,
Et non plebeios luctus testata cupressus,
Tunc primum posuere comas, et fronde carentes
Admisere diem : propulsaque robore denso

quondam, quum vites, in odium Bacchi et suorum temulentiæ tædium, incidere vellet.

432. *Magno terrore cohortes.* Pavore Deum ac religione. Virg. Æn. VIII, 349: «Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes. » — *Implicitas.* Sic Virg. in Culic. 199: «Implicuit dira formidine mentem. » Ed.

433. *Primus.* Cæsar, sumpta bipenne, primum ictum sacræ silvæ infert, ut milites confirmet, derivata in se omni violati numinis ira.

434. *Aeriam.* Sic Virg. Eclog. I, 59: « Aeria .... turtur ab ulmo. »

435. *Merso*, etc. Immisso, impacto. Hic Schol. Bene *merso*; percussit enim antequam loqueretur, ne quis dissuaderet.

436. *Quis vestrum*, etc. Ne qua vos loci religio moretur, mihi vani numinis profanatio imputetur.

439. *Expensa Superorum.* Postquam inter se deliberarunt utra magis esset verenda, iraue Deorum an Cæsaris, huic parere decreverunt. Racine, *Iphig.* Act. V: « Mais, quoique seul pour elle, Achille furieux Epouvantait l'armée, et partageait les Dieux. » Ed.

441. *Silvaque Dodones.* Quercus Dodonæo Jovi sacræ, IV, 427. Dodona autem silva in Epiro est, quercu, vel, ut Herodotus vult, fago fatidica celebris. — *Fluctibus aptior alnus.* Navigiis apta. Conf. cum hac descriptione locum plane similem Stat. Theb. VI, 90.

442. *Non plebeios*, etc. Divitum et nobilium funeribus, propter raritatem arboris. Cupressus rogis et luctibus dicata, ut quæ excisa non repullulet. Horat. Carm. II, 14, v. 22: « Neque harum, quas colis, arborum Te, præter invisas cupressos, Ulla brevem dominum sequetur. » Silius Italic. X, 535: « Ac, ferale decus, mæstas ad busta cupressos. »

443. *Posuere comas.* Excisæ sunt.

444. *Diem.* Lucem, solem. —

Sustinuit se silva cadens. Gemuere videntes
Gallorum populi : muris sed clausa juventus
Exsultat. Quis enim læsos impune putaret
Esse Deos? servat multos Fortuna nocentes;
Et tantum miseris irasci numina possunt.
Utque satis cæsi nemoris, quæsita per agros
Plaustra ferunt : curvoque soli cessantis aratro
Agricolæ raptis annum flevere juvencis.
 Dux tamen impatiens hæsuri ad mœnia martis
Versus ad Hispanas acies, extremaque mundi,
Jussit bella geri : stellatis axibus agger

Propulsaque robore, etc. Arboribus inter se stipatis et spissis non erat spatium decidendi. Ultima enim quæque excisa, primis eam sustinentibus, stare adhuc videbatur.

447. *Exsultat.* Lætati sunt Massilienses, quod sacrum lucum cædendo, sacrilegio sese adstringeret Cæsar; quod facinus non impune eum admissurum sperabant. Ed.

448. *Servat multos Fortuna nocentes.* Juv. Sat. XIII, 103: « Multi.. Committunt eadem diverso crimina fato, Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema. » Sic sæpe poetæ incusant Deos, quod servent nocentes, et pios in miseriam detrudant. Conf. Claudian. in Rufin. I, in princ. *Multos nocentes*, quia majore numero sunt scelerati, cui favet fortuna. Ed.

450. *Utque satis cæsi nemoris.* Plaustra cum jumentis exiguntur ad silvas succisas in castra et ad opera convehendas.

451. *Curvoque soli.* Ordo est: Agricolæ, raptis juvencis aratro curvo (pro *ab* aratro curvo), fleverunt annum soli cessantis. *Annum*, id est, messem. Valer. Flacc. Argonaut. V, 424 : « Otia læta Phari, pinguemque sine imbribus annum. » Ed.

453. *Dux tamen impatiens.* Præmiserat Cæsar C. Fabium legatum cum legionibus tribus in Hispaniam, ejecturum præsidium Afranii legati Pompeii, qui Pyrenæos saltus occupaverat; reliquis legionibus, quæ longius hiemabant, subsequi jussis, ipse navibus effectis et intra dies triginta armatis D. Brutum præfecit, C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliæ reliquit, deinde cum equitibus nongentis, quos sibi præsidio reliquerat, in Fabii castra pervenit.

454. *Ad Hispanas acies.* Sulpitius explicat de exercitu Pompeii; melius Flor. IV, 2, qui Cæsarem dicit ad Hispanienses exercitus transiisse. — *Extremaque mundi.* Conf. infr. IV, 1 : « At procul extremis terrarum Cæsar in oris Martem sævus agit. » Ed.

455. *Jussit bella geri.* Non per se gerere voluit, sed ducibus mandavit. Florus apposite IV, 2, de Massilia : « Quia tutis muris erat, vinci

Erigitur, geminasque æquantes mœnia turres
Accipit : hæ nullo fixerunt robore terram,
Sed per iter longum causa repsere latenti.
Quum tantum nutaret onus, telluris inanes
Concussisse sinus quærentem erumpere ventum
Credidit, et muros mirata est stare juventus.
Illinc tela cadunt excelsas urbis in arces.
Sed major Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat : neque enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso ballistæ turbine rapta,

eam sibi jussit absenti.» Ed. — *Stellatis axibus.* Turres ambulatoriæ erant, fundamentis innixæ, non in solida terra, sed in rotis, quarum radii modiolo ducti stellas scintillantes imitabantur? Oudend. intelligit per *stellatos axes*, lignorum seriem cancellatim et transversim varie ligatam, et e lateribus prominentem stellarum et radiorum instar. Forte melius, nam *causa latenti* quod sequitur cum *stellatis* radiorum *axibus* non bene cohæret. Conf. Silius, XIII, 109.

456. *Geminasque æquantes*, etc. Agger accipit, etc. i. e. super aggerem constituebantur turres duæ in eam altitudinem erectæ, ut æquarent alta urbis mœnia.

457. *Hæ nullo fixerunt.* Turres nullo robore dicuntur terram fixisse, quia nullis palis terræ infixæ erant. Vide Cæsar. huj. edit. T. II, p. 335 sqq. Ed.

458. *Sed per iter longum*, etc. Hæ turres, ita paulatim procedebant, ut nemo causam motus videre potuerit: ita enim promovebantur trochleis, funibus, seu nervis interioribus, ut sua sponte procedere viderentur, quæ αὐτόματα a Græcis dicuntur. Conf. Bell. Civ. II; Veget. III, cap. 2. Ed.

459. *Quum tantum nutaret*, etc. Quas moles quum viderent Massilienses nutando procedere, credebant id factum terræ motu, cujus causa est ventus in cavernis terræ vacuis luctans et exitum quærens.

461. *Muros.* Omnes intelligunt de muris Massiliæ. Bene. Putantes enim tantum onus terræ motu nutare, mirabantur non pariter sua mœnia moveri. Interpres sit hujus loci Livius XXXVIII, 5 : «Ut præter spem stare muros viderunt.»

462. *Illinc tela cadunt.* Ex iis turribus.

463. *Major Graio Romana*, etc. Magnus enim in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, magnaque multitudo tormentorum, quo fiebat ut tela Massiliensium vim majorem haberent; non enim lacertis tantum, sed et machinis emittebantur. Ed.

465. *Tenso ballistæ turbine rapta.* Sagittas ballistis emissas, neque ossium, neque armorum vis moratur, quo minus uno jam transfixo, etiam ulterius evolent. Ballistæ ut et alia-

Haud unum contenta latus transire, quiescit :
Sed pandens perque arma viam, perque ossa, relicta
Morte fugit : superest telo post vulnera cursus.
At saxum quoties ingenti verberis ictu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas,
Frangit cuncta ruens :- nec tantum corpora pressa
Exanimat ; totos cum sanguine dissipat artus.
Ut tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisque innexa priores
Arma ferunt, galeamque extensus protegit umbo,
Quæ prius ex longo nocuerunt missa recessu,

rum machinarum formam, vide apud Am. Marcellin. lib. XXIII. — *Tenso turbine*, etc. Turbine tensæ ballistæ. Male Oudend. dedit *denso*, quod unde deprompserit, nescio. Nervi enim quibus tela vel saxa emittuntur, adducuntur, tenduntur. — *Turbo* autem de ballista frequens. Sil. XV, 631 : « Hinc lancea turbine nigro Fert letum. » Ed.

467. *Relicta morte fugit.* Egreditur relicto mortifero vulnere.

468. *Superest telo*, etc. Post vulneratum trajectumque hominem, telum tamen ulterius cursum servat et continuat.

469. *At saxum quoties*, etc. Saxa vero ballistis emissa, non minori vi quam rupes vetustate exesa et venti procella abrupta, corpora comminuunt. Pro *ictu* Burm. dedit *actu*.

471. *Impulsu ventorum*. Aperte imitatus est Val. Flacc. II, 528 : « Quantum ventis adjuta vetustas Impulerit. »

474. *Testudine muros*, etc. Testudo proprie erat tabulatum ex trabibus factum, coriis ac ciliciis contextum adversus tela et incendium, sub qua milites latentes, viam turribus muniebant aut vineis, solum æquabant, ac muros tentabant. Subita autem testudo, quæ et hic innuitur, erat series scutorum supra capita sublatorum continuata in morem squamarum, qua protecti milites sagittas, saxa, telaque alia declinabant. Conf. Liv. lib. XLIV, c. 9; *Folard*, *Traité de la colonne*, tom. I, p. 56. Ed.

475. *Subit virtus.* Milites fortes, consertis et supra caput elevatis scutis, muros subeunt. — *Innexa priores*. Agitur de primo ordine, qui sua scuta innectebant scutis proximi cujusque, ut undique tuti essent.

476. *Galeamque extensus*, etc. Scutum eorum *galeam*, id est, caput a saxis defendit.

477. *Quæ prius*, etc. Etenim jam intra ballistarum destinatum jactum se receperant Romani. — *Recessu*. Id est, spatium, intervallum inter mœnia et oppugnantes absumebatur, ob appropinquantem testudinem, unde irrita et post tergum cadebant tela. Sic apud Sil. IX, 321 : « Amisere ictus spatium. »

Jam post terga cadunt : nec Graiis flectere jactum,
Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum : sed pondere solo
Contenti, nudis evolvunt saxa lacertis.
Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
Innocua percussa sonant, sic omnia tela
Respuit : at postquam virtus incerta virorum
Perpetuam rupit defesso milite cratem,
Singula continuis cesserunt ictibus arma.
Tunc adoperta levi procedit vinea terra,
Sub cujus pluteis, et tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant, et vertere ferro

478. *Nec Graiis flectere jactum.* Neque Massiliensibus expeditum erat ita torquere ballistas, ut cominus ferirent.

479. *Longinqua ad tela.* Ita enim disposita erant tormenta, ut eminus tela et saxa projicerentur.

480. *Sed pondere solo.* Nulla tormentorom vi pondus augere valentes. Ideo addit *nudis lacertis,* id est, nulla machina adjutis.

482. *Dum fuit armorum series.* Quamdiu testudo illa sibi constitit, conjuncta invicem scutorum continuatione, non plus Romanis nocere dejecta a Massiliensibus saxa, quam tectis grando. Liv. loc. supra citato : « Tela... testudini injecta, imbris in modum lubrico fastigio, innoxia ad imum labebantur. » Ed.

484. *Respuit*, rejicit. — *Virtus incerta.* Nempe Romanorom, quæ facta est incerta, dum milites erant defessi, et alius ab oppugnatione cessare voloit', testudioi pondus amplius non ferens, alius vero durare pergere adnisus est. Minus bene quidam et MS. 7900, *incensa virorum*, i. e. Massiliensium. Ed.

485. *Perpetuam rupit*, etc. Solvit testudinem, defessis militibus Romanis.

486. *Singula continuis*, etc. Divisa singulorum scuta cesserunt saxorum superinjectorum ictibus.

487. *Vinea terra.* Vinea est machina tabulatis cratibusque constrata, crudis deinde coriis et centonibus udis tecta, sub qua obsidentes tota murorum fundamenta subruebant. In hac compagine tabolæ invicem per qoadrum coibant. Sic traxit nomen a *vinea*, quæ qoadrata dispositione plantatur.

488. *Pluteis*, etc. Plutei hic significant tabulas et asseres, quibus armata est vineæ frons. Alias ploteus et ipse est machina, vineæ haud dissimilis. De quo vide Veget. lib. IV, 15; et Lips. Poliorc. I, Dial. 7. Ed.

489. *Moliri.* Nunc murorom fondamenta ferro eruere aggrediuntur. Sic Liv. XXI, c. 11 : « Annibal... Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit. »

Mœnia : nunc aries suspenso fortior ictu
Incussus densi compagem solvere muri
Tentat, et impositis unum subducere saxis.
Sed super et flammis, et magnæ fragmine molis,
Et sudibus crebris, et adusti roboris ictu
Percussæ cedunt crates, frustraque labore
Exhausto fessus repetit tentoria miles.
 Summa fuit Graiis, starent ut mœnia, voti.
Ultro acies inferre parant : armisque coruscas
Nocturni texere faces; audaxque juventus
Erupit : non hasta viris, non letifer arcus,
Telum flamma fuit; rapiensque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina cursu.

490. *Aries suspenso*, etc. *Aries*, trabs ingens, adunco præmunita ferro, transversis asseribus intra testudinem plerumque suspensa et librata, quæ a multitudine retroacta ad majorem impetum, emissa deinde propellebatur ad extrahendos lapides, quassandos labefactandosque muros. Vid. Ammian. Marcell. lib. XXIII; et Joseph. in bello Jud.

492. *Unum subducere*. Saxum scil. grandius, quales lapides more prisco muris indebantur. Hic Schol. Unum sc. saxum. Lapis unus quum evertitur, omnes sequuntur incussum desuper.

493. *Sed super*, etc, Romanos submotos ab operibus et in castra compulsos, mox ipsa opera nocte incensa refert Noster, sed poeta, sed Pompeianus. Verum ex comment. lib. II, patet quoddam induciarum genus, supplicibus Massiliensibus esse concessum : eos vero sine fide occasionem fraudis nactos, languentibus Romanis atque otio deditis, meridiano tempore ignem operibus intulisse. — *Super*. Desuper, e muris.

494. *Et adusti roboris*. Facibus nempe ex robore accenso factis. Ed.

495. *Crates*. Vinea et testudo cratibus tectæ.

497. *Summa fuit voti*. Hactenus unicum Massiliensium votum fuerat, ne mœnia subruta dejicerentur : nam stratis muris capta fuisset civitas.

498. *Ultro*. Hoc successu elati in Romanos impetum facere audent : eruptionem parant. — *Armisque coruscas*. Operiebant ignes scutis, ne adverterent Romani.

499. *Nocturni*. Id est, per noctem. Rem temporis ad personam transtulit. Schol. — Conf. Tasso, *Gerusalemme liberata*, lib. XII. Ed.

501. *Telum flamma fuit*. Pro telis faces gerebant.

502. *Tulit*. Scil. ipsa incendia. — *Munimina cursu*. Opera Romanorum, turrim, pluteos, etc.

Nec, quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires : tæda sed raptus ab omni
Consequitur nigri spatiosa volumina fumi :
Nec solum silvas, sed saxa ingentia solvit,
Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit, majorque jacens apparuit agger.
  Spes victis telluris abit, placuitque profundo
Fortunam tentare mari. Non robore picto
Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, et qualis procumbit montibus, arbor
Conseritur, stabilis navalibus area bellis.
Et jam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis,
Stœchados arva tenens. Nec non et Graia juventus

503. *Luctetur.* Difficulter corripiat et urat lignum adhuc viride.

504. *Tæda sed raptus*, etc. Quacumque injiciuntur tædæ, rapitur et propagatur ignis et in aere consequitur fumum. Ed.

506. *Nec solum silvas.* Neque ligna tantum aggeris et operum, sed et ipsa saxa in pulverem soluta defluunt. Sic supra I, 25 : « lapsisque ingentia muris Saxa jacent. » Ed.

507. *Et crudæ cautes.* Dura saxa. — *Fluxerunt.* In calcem sunt resolutæ.

508. *Procubuit.* Agger combustis, quæ continebant eum, trabibus, diffluebat, et ejus ruinis per terram dispersis visus est major.

509. *Victis.* Romanis, ut vult poeta. — *Placuitque profundo*, etc. Bis quidem pugna certatum est navali: in priore Brutus victor exstitit.

510. *Non robore picto*, etc. Non ornabantur, non fulgebant naves tutelare numen in puppi pictum gerentes : construuntur tantum rudi et subitaneo modo, arboribus adhibitis, sicut ex montibus concidebantur. Horat. I, Od. 14, v. 14. Ed.

513. *Stabilis area.* Conseruntur naves in modum areæ ac stabilis basis, ut in ea naumachia edi posset et pugna stataria. Conf. inf. v. 556, *stabilem carinam.* Florus II, 11, 9 : « Coacti hostes quasi in solido decernere. » Ed.

514. *Turrigeram ... carinam.* Navem Bruti prætoriam. Infra v. 535.

515. *Venerat in fluctus*, etc. Naves longæ duodecim, quas Arelate fieri jusserat Cæsar, flumine Rhodani secundo deductæ in mare, stationes ad insulam Stœchada habebant. Stœchades autem tres sunt insulæ, ab ora Ligurum ad Massiliam usque dispersæ, ab ordine dictæ στοῖχος.

516. *Nec non et Graia*, etc. Massi-

Omne suum fatis voluit committere robur;
Grandævosque senes mixtis armavit ephebis.
Accepit non sola viros, quæ stabat in undis,
Classis; et emeritas repetunt navalibus alnos.

Ut matutinos spargens super æquora Phœbus
Fregit aquis radios, et liber nubibus æther,
Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris,
Servatum bello jacuit mare, movit ab omni
Quisque suam statione ratem, paribusque lacertis
Cæsaris hinc puppes, hinc Graio remige classis
Tollitur : impulsæ tonsis tremuere carinæ,
Crebraque sublimes convellunt verbera puppes.
Cornua Romanæ classis, validæque triremes,

lieoses volueruot omnes vires navalis pugnæ eventu committere. Antea quidem pugna navali eertatom foerat, sed leviter ; jam L. Nasidius, a Pompeio cum sexdecim oavibus missus, Domitium Massilieosesque hortatus erat, ut rursus eom Bruti classe, additis suis auxiliis, coofligerent.

519. *Accepit non sola viros*, etc. Neqoe aroiant instruuntque classem tantum, qoam in mare deductam habuerant, sed et veteres ex navalibus productas refecerunt.

520. *Emeritas*, etc. Naves per vetustatem inutiles. — *Alnos*. Pro navibus.

522. *Fregit aquis radios*, ete. Reflexu. Omuia enim quæ in aqua appareot, fracta et velut intorta cerountur. Schol. — Vid. *La Fontaine*, VII, fab. 18. Ed.

523. *Posito Borea*. Quieto, non flante. Virg. Æn. VII, 27 : « Quum venti *posuere*. » Ovid. Ep. VII, 49 : « Jam veuti *ponent*. »

524. *Servatum bello*, ete. Compositum, pacatum, quasi prælio accommodatum.

526. *Graio remige*, etc. Massiliensi.

527. *Tollitur*. Sic Val. Fl. I, 340 : « Coocussoque ratem gauderem tollere remo. » Ed.—Tonsæ sunt remi, et ita dicuotur, quia froodes tonsæ, id est, abscisæ eraot. Schol. — *Impulsæ tonsis tremuere carinæ*. Sic Æo. VII, 26 : Et in lento luctantur marmore tonsæ. — *Tremuere*. Hoc recte de remorum impulsu. Valer. Flacc. II, 77 : « Certatim remis agitur mare, rostraque cursu Prima tremont. »

528. *Convellunt*. Movent et vi educunt ex uodis.

529. *Cornua Romanæ classis*. Romana classis promovebator in formam semiluoæ, deductis in eoroua utrimqne navibus validioribus, rejectis in medium agmen liburnis et ratibus levioribus.

Quasque quater surgens exstructi remigis ordo
Commovet, et plures quæ mergunt æquore pinus,
Multiplices cinxere rates. Hoc robur aperto
Oppositum pelago. Lunata fronte recedunt,
Ordine contentæ gemino crevisse Liburnæ.
Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit, et summis longe petit æquora remis.
  Ut tantum medii fuerat maris, utraque classis
Quod semel excussis posset transcurrere tonsis,
Innumeræ vasto miscentur in æthere voces;
Remorumque sonus premitur clamore; nec ullæ
Audiri potuere tubæ. Tum cærula verrunt,

530. *Quasque quater.* Et quadriremes, quibus ordo quadruplex est remigum, ita dispositorum, ut alii super alios surgerent. ED.

531. *Et plures*, etc. Et naves quæ pluribus remis aguntur : pro remis posuit *pinus*, ut quidem explicat Scholiastes. Sed non facile producatur locus ubi hoc sensu dicatur.

532. *Multiplices cinxere rates.* Dubium interpretibus est an cornua sit accusativus vel nominativi casus; an cornua cinxerint multiplices illas naves, an naves illæ cornua. Explico *cornua* apposite dictum, nempe ut triremes, quadriremes, quæ cornua faciebant Romanæ classis, cinxisse alias minores, et ideo multiplices. — *Hoc robur.* Nempe hæ validiores.

533. *Lunata fronte recedunt.* Sic acie in lunæ speciem disposita, introrsus positæ sunt leviores rates. Silius, l. XIV, 370 : « Classis, et artabat lunato cærula gyro. »

534. *Ordine contentæ*, etc. Biremes Liburnæ celeres, a Liburnis pop. Dalmatiæ, quibus in usu erant dictæ. — *Gemino ordine.* Duobus remigum ordinibus. — *Crevisse.* Attollere sese.

536. *Verberibus senis agitur.* Sex remigum ordinibus. Hexeris. — *Molemque profundo*, etc. Scil. ingentis magnitudinis navem et longius in mare remos utrimque protendentem.

537. *Summis petit*, sc. vix, ægre tangit æquora extrema parte remorum, quum minores mergerent æquore remos. ED.

538. *Utraque classis*, etc. Quantùm uno utrimque remorum ictu possent committi.

539. *Excussis.* Id est, valide motis, ut supra I, 424: « Excussi lacerti. »

541. *Premitur clamore.* Sonitus remorum non auditur præ clamore sese hortantium et concurrentium.

542. *Cærula verrunt.* Sumpsit ex Virg. Æn. III, 208.

Atque in transtra cadunt, et remis pectora pulsant.
Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra;
In puppim rediere rates, emissaque tela
Aera texerunt, vacuumque cadentia pontum.
Et jam diductis extendunt cornua proris,
Diversæque rates laxata classe receptæ.
Ut, quoties æstus Zephyris Eurisque repugnat,
Huc abeunt fluctus, illuc mare : sic ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, hæc rettulit æquor.
Sed Graiis habiles, pugnamque lacessere pinus
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo.

543. *In transtra cadunt.* Remis insurgunt, deinde in transtra cadunt, non proni, sed supini : nam adducentes ad pectus remos quisque cadebat in remigis, post ejus tergum sedentis, transtrum.—*Remis pectora pulsant.* Ennius, Ann. lib. VII : «Vestraque pectora pellite tonsis. Ed.

544. *Ut primum.* Simul ac concurrerunt rostra rostris collisa, et quasi arctantia. Ed.

545. *In puppim*, etc. Naves congressus impetu repulsæ, dissiluere in puppim, id est, retrorsum. Gallice, *virer de bord.* Græce, χωρεῖν πρύμναν.

546. *Aera texerunt.* Hyperbolice. Notum de Xerxis exercitu in Catal. Pithœi : « Solem texere sagittæ. »—*Vacuum pontum.* Scil. intervallum maris tunc vacuum, quia naves retrocesserant, tela supernatantia contexerunt. Conf. infr. 703.

547. *Et jam diductis*, etc. Et jam utraque ex parte divertuntur proræ, extenduntur cornua, classis ordines laxantur, ut naves *diversas*, i. e. hostiles suscipiant et includant.

549. *Ut quoties æstus Zephyris.* Remis hinc inde impelluntur maris fluctus in diversas partes, ut fit quum æstus maris contrarius est ventis. Conf. II, 455.

551. *Varios tractus.* Iverunt diverso tramite et sulco.

552. *Illa.* Quæ discessit. Quæ venit, reducit vim aquæ, quam prior abstulerat. Ed.

553. *Sed Graiis habiles.* Sed Massiliensibus *pinus*, id est, naves magis celeres, quia nunc adoriebantur, nunc fugiebant. — *Pugnamque lacessere.* Ita rectius quam *capessere*, ob id quod sequitur. Livius XXXVIII, 16 : « Lacessebatur magis, quam conserebatur pugna.» Conf. IV, 720.

554. *Nec longo frangere gyro Cursum.* Producta longius acie Romanas naves circumveniebant.

555. *Nec tarde.* Et celeriter clavo obediebant.

At Romana ratis stabilem præbere carinam
Certior, et terræ similem bellantibus usum.
Tunc in signifera residenti puppe magistro
Brutus ait : « Paterisne acies errare profundo?
Artibus et certas pelagi? jam consere bellum :
Phocaicis medias rostris oppone carinas. »
Paruit, obliquas et præbuit hostibus alnos.
Tunc quæcumque ratis tentavit robora Bruti,
Ictu victa suo, percussæ capta cohæsit.
Ast alias manicæque ligant, teretesque catenæ,
Seque tenent remis : tecto stetit æquore bellum.
Jam non excussis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro,

556. *Stabilem præbere*, etc. Romanorum rates graviores præbebant carinam minus mobilem navali prælio, stationem firmam, et qua ut in terra firma bellari posset, pedestri velut certamine.

558. *Signifera*, etc. Prætoria, quæ signum præfert.

559. *Paterisne acies errare profundo?* Visne cum istis certare arte et navium agilitate, quibus inferiores sumus? Quin age conserto bello cominus decernamus rem.

561. *Phocaicis medias*. Oppone itaque latera navium rostris Massiliensium; scilicet ut rostra figentia naves Bruti, darent militibus facultatem dimicandi pede collato, et in hostilem navem transiliendi. Conf. Liv. XXVI, 39.

562. *Obliquas et præbuit hostibus alnos*. Transversas naves.

563. *Tentavit*. Id est, in naves Romanas acta fuit. — *Robora* dixit, quia magis robustæ et firmæ, quam Massiliensium, Bruti naves erant.

564. *Percussæ*. Adhæsit navi quam percusserat, ipso impulsu suo victa. Ed.—Ita Curtius, l. IV, c. 4, § 7 : « In quarum alteram quinqueremis eadem concitata, et ipsa rostro icta est, et illam invicem tenuit. »

565. *Alias manicæque ligant*. Alias Massiliensium naves uncis et manibus ferreis, harpagonibus et catenis injectis retinuerunt, quum ipsi Romani se remis continerent.

566. *Remis*. Pectinatim connexis, vel transversis. — *Tecto stetit*, etc. Antea, v. 546, cadebant tela in pontum vacuum : nunc vero cohærentibus navibus æquor erat tectum et pugna stataria. Conf. Sil. Ital. XIV, 518.

567. *Jam non excussis*. Jam non amplius pugnatur eminus, neque ictus ex intervallo telorum conjectu infliguntur; sed cominus, consertis manibus, res agitur. — *Torquentur*. Emittuntur.

Miscenturque manus. Navali plurima bello
Ensis agit : stat quisque suæ de robore puppis
Pronus in adversos ictus : nullique pe rempti
In ratibus cecidere suis : cruor altus in undis
Spumat, et obducti concrescunt sanguine fluctus.
Et quas immissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conserta cadavera puppes :
Semianimes alii vastum subiere profundum,
Hauseruntque suo permixtum sanguine pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes,
Fractarum subita ratium periere ruina.
Irrita tela suas peragunt in gurgite cædes :
Et quodcumque cadit frustrato pondere ferrum,
Exceptum mediis invenit vulnus iu undis.
  Phocaicis Romana ratis vallata carinis,
Robore diducto dextrum lævumque tuetur

569. *Navali plurima*, etc. Rem agit gladius, non hasta.

570. *Stat quisque suæ*. Proni in adversos ictus ex connexis inter se navibus pugnabant, de puppe sua ita prominentes, ut qui caderent, non in navem suam caderent, sed in hostilem, vel in mare. Unde apparet fuisse intervallum aliquod inter naves, injectis vinculis ferri, in quo cadavera jacuisse apparet.

573. *Obducti*. Tecti, ut IX, 109 : « caput ferali obduxit amictu. » — *Concrescunt sanguine*. Virg. Æn. II, 277 : « Concreti sanguine crines. »

574. *Et quas immissi vincula ferri*. Quæ supra dixit, manicas, uncos et harpagones, quibus tractæ naves, tamen, ob multitudinem cadaverum, conjungi non poterant. Juven. Sat. X, vs. 185 : cruentis Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora. »

575. *Conserta*. Tentari posset *conferta*; sed *conserta*, sunt colligata, conjuncta, commixta. Ed.

576. *Semianimes*. Qui tantum saucii in mare ceciderunt, aquam sanguine e suis vulneribus mixtam haurire coacti sunt.

580. *Irrita tela suas*. Tela, quæ destinata fuerant in eos qui in navibus stabant, quum irrita et sine ictu transiissent, cadentia in mare, inveniunt alterum vulnus, scilicet in natantes incidentia.

581. *Frustrato*, etc. Nisu irrito.

583. *Phocaicis Romana*, etc. Romana quædam navis obsessa a duabus navibus Massiliensium.

584. *Robore diducto*. Fortibus militibus divisis, et utrumque latus defendentibus.

Æquo marte latus: cujus dum pugnat ab alta
Puppe Catus, Graiumque audax aplustre retentat,
Terga simul pariter missis et pectora telis
Transigitur: medio concurrit pectore ferrum,
Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis,
Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum.
Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,
Qua nullæ melius, pelago turbante, carinæ
Audivere manum: nec lux est notior ulli
Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua lunæ,
Semper venturis componere carbasa ventis.
Hic Latiæ rostro compagem ruperat alni:
Pila sed in medium venere trementia pectus,

585. *Æquo Marte.* Neutram in partem inclinante victoria.

586. *Catus.* Romanus miles conatus revellere et retinere ornamentum navis Massiliensis. — *Aplustre.* Vel amplustre, ornamentum navis, quod summo malo imponitur.

588. *Transigitur.* Non *transfigitur*, ut nonnulla exemplaria, repugnante metro. — *Medio concurrit*, etc. Utriusque hastæ cuspis sibi obvia facta est in medio corpore.

589. *Quo vulnere sanguis.* Anticone per pectus, an postico per dorsum.

591. *Divisitque animam*, etc. Ex utroque vulnere emisit, ita ut videretur plus quam unam mortem accepisse. Omnia hæc sunt luxuriantis ingenii argutiæ. Ed.

592. *Telonis.* Hic Massiliensis gubernator navem suam huc malo omine direxit.

593 *Qua nullæ melius.* Id est, non alteri melius paruerunt naves, mari turbato, et cursum rectum impediente.

594. *Audivere manum.* Imitatur Virg. Georg. I, 514: « Neque audit currus habenas. » Silius de navibus, XIV, 392: « Docilesque regentis Audivisse manum. » — *Nec lux est*, etc. Neque alius quisquam melius explorabat præsentiebatque venturæ diei ventos tempestatemque ex adspectu solis aut lunæ.

596. *Componere.* Explica, ad componendum, vel supple *notum est*, aut *paratus*, *peritus*, *doctus* componere vela ex habitu cæli et ventorum. Ed.

597. *Latiæ rostro compagem ruperat alni.* Impulsu proræ in eo erat, ut Romanam navem rumperet. *Ruperat* enim hic capiendum pro conatu. Rupisset quidem nisi ex mortifero vulnere magistro navis labente, ejus dextra adhærens clavo navem avertisset. Ed.

Avertitque ratem morientis dextra magistri.
Dum cupit in sociam Gyareus erepere puppim,
Excipit immissum suspensa per ilia ferrum,
Adfixusque rati, telo retinente, pependit.
Stant gemini fratres, fecundæ gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis:
(Discrevit mors sæva viros: unumque relictum
Agnorunt miseri, sublato errore, parentes,
Æternis causam lacrimis: tenet ille dolorem
Semper, et amissum fratrem lugentibus offert.)
Quorum alter, mixtis obliquo pectine remis,

599. *Morientis magistri.* Adhuc moriens — retinet gubernaculum, et suam ratem avertit.

600. *Dum cupit.* Massiliensis quidam, occupaturus munus Telonis cæsi. — *Erepere.* Non *irrumpere*: nam de socia navi vix dici hoc potest, et melius de hostili sumatur. *Erepere* autem notat ex inferiori loco ad altiorem conari ascendere. Gyareus forte in mare lapsus in sociam navem *erepere* conabatur, quod firmabit seq. versu *suspensa ilia*. Ed.

602. *Adfixusque rati*, etc. Telo, quo vulneratus est, affigebatur navi, in quam *erepere* cupiebat. Male Sulpitius exponit navi ex qua transilire in aliam volebat, in quem errorem incidit *Marmontel*. Ed.

603. *Gemini fratres.* Intellige uno partu editi, nam sequitur «Quos eadem genuerunt», nempe idem uterus. Pari exemplo Ovid. Met. V, 107: «Hinc gemini fratres, Broteasque et cæstibus Ammon.» Alio tamen sensu apud Virgil. Æn. II, 415 et 501 *gemini* Atridæ dicuntur, quamvis diversis partubus editi.

605. *Discrevit.* Omnino parenthesi hic opus, quam visum est addere. *Discrevit mors sæva viros.* Imitatur Virgil. Æn. X, 391: «Daucia, Laride, Tymberque, simillima proles, Indiscreta suis, gratusque parentibus error: At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas, etc.» — *Unumque relictum.* Alterum superstitem parentes facile noverunt, quum viventes adeo similes essent, ut non possent dignosci.

606. *Sublato errore.* Interfecto illo, qui vivens causa erroris erat. Stat. Theb. IX, 295: «Solus abi miseros non decepture parentes.»

607. *Æternis causam lacrimis.* Qui, quum fratrem cæsum repræsentet, memoriam usque illius apud parentes lugentes non sinit interire.

609. *Mixtis obliquo*, etc. Innuit vero auctor remos diversarum navium ita ex transverso inter se consertos fuisse, ut ab utraque parte pectini similes apparuerint, et remi se remis tenuerint, ut loquutus est supra v. 566. — *Pectine.* Similiter Ovidius, Metam. IX, 299: «digitis inter se pectine junctis.» Ed.

Ausus Romanæ Graia de puppe carinæ
Injectare manum; sed eam gravis insuper ictus
Amputat : illa tamen nixu, quo prenderat, hæsit,
Deriguitque tenens strictis immortua nervis.
Crevit in adversis virtus : plus nobilis iræ
Truncus habet ; fortique instaurat prælia læva,
Rapturusque suam procumbit in æquora dextram.
Hæc quoque cum toto manus est abscissa lacerto.
Jam clypeo, telisque carens, non conditur ima
Puppe : sed expositus, fraternaque pectore nudo
Arma tegens, crebra confixus cuspide perstat;
Telaque, multorum leto casura suorum,
Emerita jam morte tenet. Tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus;

610. *Ausus Romanæ Graia*, etc. Poeta Massiliensi id tribuit quod fuit Acilii, militis Cæsaris. Sueton. Cæs. cap. 68 : « Acilius (miles Cæsaris) navali ad Massiliam prælio, injecta in puppem hostium dextra, et abscisa, memorabile illud apud Græcos Cynægiri exemplum imitatus, transiluit in navem, umbone obvios agens. » Idem Plutarchus in Cæs. et Val. Max. lib. III, cap. 2.

612. *Nixu.* Eodem conatu et gestu.

613. *Deriguitque*, etc. Rigida facta est in tenendo. *Tenax* male Gujet.

614. *Crevit.* Fortior factus est, quum periret. SCHOL.

615. *Truncus habet.* Mutilatus ipse et mancus, dextra manu amputata.

616. *Rapturusque suam*, etc. Inclinat corpus ex navi in qua stabat, projecta sinistra ad intercipiendam dextram jam in æquore natantem. Strenue in his prodigiis Noster, ut solet, nugatur. ED. — Hic Schol. « Non quia prodesset, si fuisset inventa ; sed cupiditatem dolentis expressit. »

617. *Hæc quoque*, etc. Læva, cum magna parte brachii.

618. *Jam clypeo*, etc. Destitutus jam sinistra, quæ clypeum, dextra, quæ tela gestaret, non in imam navem se recipit.

619. *Expositus.* In aperto positus, aperte adstans.

621. *Telaque, multorum leto*, etc. Excipit, et tenet solus tela casura in mortem suorum, id est, quibus multi alii occidi possent, ipse jam omni mortis certæ munere defunctus.

622. *Emerita.* Optime dictum de morte, quam virtutis illud monstrum, ut stipendia miles, acceptis multis vulneribus, meruerat. ED. — *Tum vulnere*, etc. Jam deficientem per vulnera animam emissurus, vires collegit.

Membraque contendit toto, quicumque manebat,
Sanguine, et hostilem, defectis robore nervis,
Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.
Strage virum cumulata ratis, multoque cruore
Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.
At postquam ruptis pelagus compagibus hausit,
Ad summos repleta foros, desidit in undas,
Vicinum involvens contorto vortice pontum.
Æquora discedunt mersa diducta carina,
Inque locum puppis cecidit mare: multaque ponto
Præbuit ille dies varii miracula fati.
  Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos,
Adfixit Lycidam: mersus foret ille profundo,

624. *Membraque contendit.* Membra sua intendit sanguine, quemcumque, licet parvum, reliquum post tantam tot vulnerum effusionem habebat. Ed. — *Contendere membra* sic dictum, ut *contendere arcum*, *vires*, etc.

625. *Defectis robore nervis.* Hoc est, omnibus suis viribus destitutus, omnem reliquum vigorem advocavit, ut in navem hostilem insiliret, vel solo pondere ei vim illaturus, quum alia ratione nequiret.

627. *Strage virum*, etc. Navis cadaveribus cumulata, et transversis ictibus quassata, solutis compagibus, tandem desedit.

628. *Per obliquum.* Imitatus est Val. Flacc. I, 618: «Conversaque frontem Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus.»

630. *Foros.* Fori in navibus sunt tabulata, per quæ nautæ discurrunt. — *Desidit.* Quidam *descendit.*

631. *Vicinum involvens.* Desidens fecit vorticem circa se, quod fieri in navi submersa quisque novit. Ed.

632. *Discedunt.* Mare sese aperit in voraginem, mox *cecidit*, id est, cavum illud replevit, quod mersa navis effecerat. Silius, XIV, 412: «Media subsedit in unda, Divisitque fretum.» Ed.

633. *Inque locum.* Quod navis occupare consueverat spatium, hoc unda replevit. Schol. — Eximia est apud Nostratem Thomas, *Éloge de Duguay-Trouin*, Anglicæ navis *Devonshire* in mare pariter subsidentis descriptio. Ed.

635. *Ferrea dum puppi*, etc. Immissa a Romanis harpago navi Massiliensium corripuit Lycidam quemdam; quem dum socii retinere conantur, discerptus est divisusque. Ita inferior pars ab imo ventre ad talos statim defecit, superior vero pars in qua pulmo, hepar, cor, cerebrum, membra vitalia sunt, diu luctata, restitit, lentiusque interiit.

Sed prohibent socii, suspensaque crura retentant.
Scinditur avulsus: nec, sicut vulnere, sanguis
Emicuit lentus; ruptis cadit undique venis:
Discursusque animæ diversa in membra meantis
Interceptus aquis. Nullius vita perempti
Est tanta dimissa via: pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus:
At tumidus qua pulmo jacet, qua viscera fervent,
Hæserunt ibi fata diu; luctataque multum
Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.
Dum nimium pugnax unius turba carinæ
Incumbit prono lateri, vacuamque relinquit,
Qua caret hoste, ratem: congesto pondere puppis
Versa, cava texit pelagus nautasque carina:
Brachia nec licuit vasto jactare profundo,
Sed clauso periere mari. Tunc unica diri

638. *Scinditur avulsus.* Sunt qui referunt hos versus a Lucano recitatos, Neronis jussu incisis sibi venis et profluente sanguine. Alii eos illum protulisse autumant, quos habes IX, 811. Tacitus Annal. XV.— *Nec, sicut vulnere.* Sanguis non fluit ut uno ex vulnere; sed omnes simul rumpuntur venæ; et sic anima, quum meatu sanguinis in diversa membra discurreret, aquis intercepta est. Ed.

639. *Emicuit lentus.* Hæc contraria videntur. Senec. Œdip. 345: «Utrum citatus vulnere angusto micat.»

640. *Discursusque animæ.* Sanguinis, in quo vita.

641. *Interceptus.* Confusus et mixtus; exstinctus. Ed.

642. *Tanta dimissa via.* Nemo unquam vitam amisit tam spatiosa mortis porta, vulnere tam amplo. — *Pars ultima.* Corporis pars inferior, ubi artus vim vitalem minorem habent, statim defecit.

645. *Fata.* Mors.

646. *Vix omnia membra tulerunt.* Vix totum corpus simul fata abstulerunt, tradideruntque morti.

647. *Dum nimium*, etc. Dum milites unius navis, pugnæ nimis intenti, omnes se conferunt in unum latus, eorum pondere inclinatum.

649. *Congesto pondere*, etc. Inversa est navis, ita ut, in modum fornicis, carina cava mare et nautas demersos tegeret. Ed.

651. *Brachia*, etc. Natare non licuit. Sic infra 662: *Jactatis lacertis.*

652. *Clauso mari.* Interposita enim et supertegente navi, quæ natatum

Conspecta est leti facies, quum forte natantem
Diversæ rostris juvenem fixere carinæ.
Discessit medium tam vastos pectus ad ictus :
Nec prohibere valent obtritis ossibus artus,
Quo minus æra sonent : eliso ventre, per ora
Ejectat saniem permixtus viscere sanguis.
Postquam inhibent remis puppes, ac rostra reducunt,
Dejectum in pelagus perfosso pectore corpus
Vulneribus transmisit aquas. Pars maxima turbæ
Naufraga, jactatis morti obluctata lacertis,
Puppis ad auxilium sociæ concurrit : at illi
Robora quum vetitis prensarent arctius ulnis,
Nutaretque ratis, populo peritura recepto,
Impia turba super medios ferit ense lacertos :

probibebat. Ed. — *Unica diri*, etc. Miserrima apparuit una leti facies, quum interciperetur a duabus navibus concurrentibus, juvenis quidam natans, rostris navium in medio illius pectore collisis.

657. *Æra sonent.* Quamvis obterantur ossa, sic utriusque rostri æra sonuere, tamquam nulli artus venientibus obstitissent.—*Eliso ventre.* Compresso et contuso. — *Per ora*; etc. Sanguis intestinis mixtus ejicitur ore, velut sanies.

659. *Postquam inhibent remis puppes, ac rostra reducunt*, etc. Gronovio placet *remi* : ut remis rostrisque actio et motus adscribantur; ut apud Ovidium. « duo defendunt retinacula navem · » ἀντὶ τοῦ duobus defenditur retinaculis navis : attribuitur instrumento, quod est tractantis instrumentum. Sed *remis* servandum est, ut intelligantur homines, viri, remiges inhibent naves remis ut retro cedant, et reducantur rostra. Quo motu perfossi disjicitur in mare corpus, et per vulnus pervium transmissæ sunt aquæ.

661. *Pars maxima*, etc. Navis cujusdam Massiliensis fractæ milites ac nautæ, conati vitæ suæ consulere, sociam navem natando petunt auxilium quæsituri.

664. *Robora*, etc. Prohibentur, nec minus arctissime prensant robora, id est, naves sociorum cum nisu prehendunt. Virgil. Æn. II, 444 : «prensant fastigia dextris.» — *Ulnis*, pro manibus, ut Stat. Theb. X, 510.

665. *Nutaret.* Inclinaret se et periclitaretur. — *Populo peritura recepto.* Erat enim tantus numerus, ut si susceptus fuisset, navis procul dubio mergeretur. Sulp.

666. *Impia turba.* Quia socios lædebat. — *Super medios ferit ense.* Desuper, in navi. — *Lacertos.* Navim prensantium.

Brachia linquentes Graia pendentia puppe,
A manibus cecidere suis : non amplius undæ
Sustinuere graves in summo gurgite truncos.
Jamque omni fusis nudato milite telis,
Invenit arma furor : remum contorsit in hostem
Alter ; at hi tortum validis aplustre lacertis
Avulsasque rotant excusso remige sedes.
In pugnam fregere rates : sidentia pessum
Corpora cæsa tenent, spoliantque cadavera ferro.
Multi inopes teli, jaculum letale revulsum
Visceribus traxere suis, et vulnera læva
Oppressere manu, validos dum præbeat ictus
Sanguis, et hostilem quum torserit, exeat, hastam.
 Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades,

667. *Graia.* Massiliensi. — *Pendentia puppe.* Amputata scil.

668. *Cecidere.* A manibus, quibus inhærebant, abscissi.

669. *Graves in summo*, etc. Inerti pondere, non natantes, brachiis jam destitutos.

670. *Jamque omni fusis*, etc. Jamque deficientibus telis, quæ milites utrimque effuderant.

671. *Invenit arma furor.* Sic Virg. Æn. I, 150 : « furor arma ministrat. » et VII, 507 : « quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit. » Conf. Silius VI, 46 : « certamine nudo Invenit Marti telum dolor. » Ed.

672. *Validis aplustre lacertis.* Viribus enim opus erat, ut aplustre, quod erat tabulatum in puppe maxime conspicuum, in hostes torqueretur. De aplustri vid. v. 586. Ed.

673. *Rotant.* Rotando immittunt. — *Sedes.* Transtra e quibus remiges exturbant : non tamen occidunt, ut perperam Scholiastes explicat. Silius, XIV, 547 : « Nautarum interdum convulsa sedilia torquens. »

674. *In pugnam fregere.* Similiter Silius, XIV, 548 : « frangendæ in vulnera proræ. » *In pugnam*, scil. ut pugnarent. Conf. XI, 150 et X, 492. — *Sidentia pessum.* Subsidentia. Sic V, 616. Melius autem Schol. in profundum cadentia retinent corpora mortuorum, et iis tela auferunt.

676. *Inopes teli.* Sic IV, 264 : « inops undæ. »

677. *Vulnera læva.* Ut sanguinem sisterent, viresque sibi suppeterent, quoad hastam illam suis visceribus extractam in hostem misissent : tum libenti animo spiritum emissuri.

679. *Hostilem.* Scil. quæ ab hoste immissa erat. Ordo est : « et sanguis exeat, quum torserit hastam. »

Quam pelago diversa lues : nam pinguibus ignis
Adfixus tædis, et tecto sulfure vivax
Spargitur : at faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
Nec flammas superant undæ : sparsisque per æquor
Jam ratibus, fragmenta ferus sibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus, exstinguat ut æquore flammas :
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.
Mille modos inter leti, mors una timori est,
Qua cœpere mori. Nec cessat naufraga virtus:
Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant;
Incertasque manus ictu languente per undas
Exercent : nunc, rara datur si copia ferri,
Utuntur pelago : sævus complectitur hostem

681. *Quam pelago diversa lues.* Quam ignis, qui aquæ contrarius. — *Pinguibus ignis*, etc. Phalaricæ sagittæ e tædis oleo incendiario, pice, bitumine, nitro, sulphure et resina involutæ e balistis in naves emittuntur, qui *ignis Græcus* dictus est. Nostris *feu Grégeois.* Sil. XIV, 427 : « per pingues unguine tædas. » et Virg. Georg. III, 450.

683. *Faciles præbere.* Id est, quæ facile præbent.

684. *Pice ... cera.* Quibus naves ungebantur ad juncturas committendas. — *Liquida* : nempe calore liquefacta. — *Rapuere incendia.* Concepere incendium, igne correptæ sunt.

685. *Nec flammas superant undæ,* Non exstinguere valent ignes aquæ.— *Sparsisque*, etc. Et ipsa fragmenta tabulasque lacerarum ratium sparsas corripiunt ignes.

689. *Mille modos inter leti.* Inter tot mortium genera, eam solam mortem timent, quæ prima ipsis occurrit; puta, mergi aut uri. Bene Schol. Quum mille genera mortis inirent, quisque hanc metuit, qua mori cœpit, id est, si mergi poterat, festinabat ad flammas; si poterat cremari, se in fluctibus obruebat. Ita patiebatur alteram mortem, dum alteram fugit. Ed.

690. *Nec cessat naufraga virtus.* Illi qui, fractis navibus, nabant, non tamen pugna se abstinent.

691. *Tela legunt dejecta mari.* Colligunt tela fluitantia, ministrantque sociis qui sunt in ratibus; quin et debili et incerto propter fluctus ictu petunt hostes; eosque, si deficiant tela, mari submergunt, etiam cum suo periculo.

694. *Utuntur pelago.* Ipso pelago, quo merguntur, ut hostibus circa

Hostis, et implicitis gaudent subsidere membris,
Mergentesque mori. Pugna fuit unus in illa
Eximius Phoceus animam servare sub undis,
Scrutarique fretum, si quid mersisset arenis,
Et nimis adfixos unci convellere morsus,
Adductum quoties non senserat anchora funem.
Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,
Victor et incolumis summas remeabat ad undas.
Sed se per vacuos credit dum surgere fluctus,
Puppibus occurrit, tandemque sub æquore mansit.
Hi super hostiles jecerunt brachia remos,
Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
Maxima cura fuit; multus sua vulnera puppi
Adfixit moriens, et rostris abstulit ictus.
  Stantem sublimi Tyrrhenum culmine proræ
Lygdamus excussa Balearis tortor habenæ
Glande petens, solido fregit cava tempora plumbo.

se natantibus noceant, juvantur.

696. *Mergentesque mori.* Dum merguntur, mergere alios.

697. *Phoceus.* Massiliensis. Sic ob græcam originem dictus: conf. v. 340. — *Animam servare.* Eximius, sc. doctus spiritum retinere. Fuit hic urinator egregius.

698. *Scrutarique fretum.* E fundo aliquid repetere, et anchoram sub aquis solvere, si fune refigi non posset.

700. *Adductum.* Attractum: adducitur funis, ut anchora solvatur, IV, 453: « ad cautes adducto fune sequuta est. »

701. *Penitus deduxerat.* Funditus demerserat, ipse emersurus, uti assuerat.

703. *Vacuos credit.* Non occupatos navibus.

704. *Puppibus occurrit.* In naves incidit, et illisus in undis demersus est.

705. *Hi super hostiles jecerunt.* Alii brachiis remos impedierunt, fugientes hostes moraturi.

706. *Non perdere letum.* Hoc agebant ne inulti morerentur, et ut ipsa in morte hostibus nocerent.

707. *Multus sua vulnera puppi.* Multi, ut socias tutarentur naves, interposuerunt corpora sua vulnerata hostium rostris objecta.

709. *Tyrrhenum.* Militem Romanum.

710. *Lygdamus.* Miles Massiliensis. — *Balearis.* Vide I, 229.

711. *Glande petens.* Pila plumbea.

Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit
Vincula, procumbunt oculi : stat lumine rapto
Attonitus, mortisque illas putat esse tenebras.
At postquam membris sensit constare vigorem,
« Vos, ait, ô socii, sicut tormenta soletis,
Me quoque mittendis rectum componite telis.
Egere quod superest animæ, Tyrrhene, per omnes
Bellorum casus : ingentem militis usum
Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver;
Viventis feriere loco. » Sic fatus in hostem
Cæca tela manu, sed non tamen irrita, mittit.
Excipit hæc juvenis generosi sanguinis Argus,
Qua jam non medius descendit in ilia venter,
Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum.
Stabat diversa victæ jam parte carinæ
Infelix Argi genitor, (non ille juventæ
Tempore Phocaicis ulli cessurus in armis :

712. *Sedibus expulsi.* Sedes has intellige sinus oculorum.

713. *Vincula.* Nervos.—*Procumbunt*, scil. excidunt. Ed.

714. *Mortisque illas putat.* Ictum letalem esse putat.

716. *Sicut tormenta soletis.* Collocate me, ut balistas soletis, rectum ad projicienda tela in hostes.

717. *Rectum.* I. e. recto corpore, ut tela et jacula mittere solebant erecto et extenso, quantum poterant corpore. Sic Burmannus, male ut opinor. Vult miles ille sociis ita usui esse, ut tela immissa in illos corpore excipiat. *Rectum* ergo est *adversum*, sic IV, 166, dicitur *recto pectore excipere ferrum.* Ed.

718. *Egere.* Se ipsum hortatur ut reliquum spiritum exhauriat, pugnantibus adhuc utilis.

719. *Ingentem militis usum.* Faciet cadaver officium militis: intermortuum enim habet, quod feriatur loco viventis.

722. *Cæca tela manu.* Sui ipsius cæci.

723. *Argus.* Massiliensis.

724. *Qua jam non medius.* Venter medius circa umbilicum est, qui hinc ad ilia ut e clivo descendit. *Imus* ergo est venter, venter jam non medius. Ed.

725. *Adjuvitque*, etc. Et ipse in telum procumbens addidit telo vim.

726. *Diversa.* In prora, nam filius in puppi. Vid. inf. 732.

728. *Phocaicis.* Massiliensibus.

Victum ævo robur cecidit, fessusque senecta
Exemplum, non miles erat;) qui funere viso,
Sæpe cadens longæ senior per transtra carinæ
Pervenit ad puppim, spirantesque invenit artus.
Non lacrymæ cecidere genis, non pectora tundit,
Distentis toto riguit sed corpore palmis.
Nox subit, atque oculos vastæ obduxere tenebræ,
Et miserum cernens agnoscere desinit Argum.
Ille caput labens, et jam languentia colla
Viso patre levat: vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantum petit oscula vultu,
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut torpore senex caruit, viresque cruentus
Cœpit habere dolor, « Non perdam tempora, dixit,
A sævis permissa Deis, jugulumque senilem
Confodiam : veniam misero concede parenti,

730. *Exemplum*, etc. Excitator virtutis alienæ, licet viribus per annos exhaustis ipse non pugnaret. — *Funere*, nempe filii.

731. *Sæpe cadens*. Vel senio, vel nimia festinatione. *Sæpe* nam longa erat carina, et inde longum ad filium iter. Ed.

734. *Distentis toto*, etc. Extentis manibus pedibusque calore destitutis et rigentibus.

735. *Nox subit*, etc. Mortis caligo ceu animi deliquium obrepit patri exanimato e filii cæde.

737. *Ille*. Argus juvenis. — *Caput labens*. Inclinatum caput attollit.

738. *Solutas*. Morte resolutæ fauces nullam vocem emittunt.

739. *Tacito tantum petit oscula vultu*. Vultu gestuque petit extrema illa munera, osculi spiritum supremum excipientis, et dextræ oculos comprimentis. Necessitudine enim proxime conjunctus morientibus oculus claudebat, et exspirantem de osculatus, fugientem ore animam excipiebat. Virg. Æneid IV, 684: «Extremus si quis super halitus errat, Ore legam. »

741. *Ut torpore senex caruit*. Ubi animi torpore ejecto respiravit senex, ad se rediit, recepitque a dolore vires. — *Cruentus dolor*. Immanis, dirus, cruoris avidus. Ed.

742. *Non perdam tempora dixit*. Non fruar miseræ vitæ usura mihi a diis haud æquis concessa, sed confodiam jugulum.

743. *Senilem*. Alii *senile*. Sed jugulus incerti est generis.

Arge, quod amplexus, extrema quod oscula fugi.
Nondum destituit calidus tua vulnera sanguis,
Semianimisque jaces, et adhuc potes esse superstes. »
Sic fatus, quamvis capulum per viscera missi
Polluerat gladii, tamen alta sub æquora tendit
Præcipiti saltu : letum præcedere nati
Festinantem animam morti non credidit uni.
  Inclinant jam fata ducum ; nec jam amplius anceps
Belli casus erat : Graiæ pars maxima classis
Mergitur ; ast aliæ mutato remige puppes
Victores vexere suos : navalia paucæ
Præcipiti tenuere fuga. Quis in urbe parentum

746. *Nondum destituit*, etc. Exapecta, habebis me supremi itineris comitem, nolo tibi superesse, et quum spires adhuc, potest fieri ut ego te antevertam. Ed.

748. *Quamvis capulum*, etc. Præoccupare filii mortem festinans duplex mortis genus quærit. Gladium capulo tenus in viscera adegerat, inde se in mare præcipitavit.

751. *Animam*. Male capit Burmannus de anima immortali, quam cum corpore nasci, crescere et interire crediderit Lucanus : intelligenda est vita, apiritus. Ed. — *Morti non credidit uni* : i. e. uni generi mortis. Sic Stat. Theb. VIII, 418 : « Et formidandæ non una morte sagittæ, » i. e. acumine ferri et veneno.

752. *Inclinant jam*, etc. Victoria inclinabat, et victi meditabantur fugam. Constat epilogus affectibus variis, a miserabili facie urbis Massiliæ, in quo ingens luctus virorum ac mulierum ortus, omnia miseebat. Hort. — *Ducum*. Massiliensium intellige, inter quos præcipui L. Domitius de quo supr. lib. I et L. Nasidienus, qui post primam pugnam navalem (duæ enim commissæ fuerunt) a Pompeio cum classe sedecim navium subsidio Massiliensibua et Domitio missus fuerat. Conf. Cæs. lib. II. Micyll. — Sed melius capi debet de ducibus Cæsare et Pompeio, quorum fata dicit declarari. Ed.

753. *Graiæ pars*. Massiliensis. Ex Massiliensium classe quinque sunt depressæ, quatuor captæ ; Com. civil. bell. II.

754. *Aliæ mutato remige*. Captæ, scilic. et Romanis remigibus actæ.

755. *Victores*. Romanos. — *Navalia*. Paucæ fuga portum petere potuerunt.

756. *Præcipiti*. Dubitat Jever, an legendum sit *ancipiti*, id est, dubia et periculosa, ut ægre evaserint. Sed jam supra dictum est *anceps*, quod quidem, sed male amoliri tentat ; fatendum tamen et 752 præcessisse *præcipiti*. Vid. Disq. var.

Fletus erat! quantus matrum per litora planctus!
Conjux sæpe sui, confusis vultibus unda,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
Accensisque rogis miseri de corpore trunco
Certavere patres. At Brutus in æquore victor,
Primus Cæsareis pelagi decus addidit armis.

757. *Quantus.* Corrigit Bentleius *quanti*, ut suavius. Quis vero hic de suavitate cogitet!

758. *Conjux.* Scil. Massiliensis, Romanum cadaver amplectitur, putans esse sui mariti.

761. *Certavere patres;* incerti de corporibus, quia capitibus abscissis filios agnoscere non poterant. Ed.

762. *Pelagi decus.* Fuit enim hæc prima in bello civili Cæsaris maritima victoria. — Hæc verba *pelagi decus*, victoriam navalem significare non posse contendit Jev. siquidem hoc sine exemplo est; et versum sic reficit: « *Primum* Cæsareis *belli* decus addidit armis. » Tum multa congerit exempla, quibus emendationem suam confirmet. Quis tamen in vulgata lectione hæreat? Ed.

IN LIBRUM TERTIUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

11. *Et accenso furialis stare sepulcro.* Julius Scaliger in Hypercritico suo, VI, 6: «Quis inquit, cum ferat excientem Juliæ umbram, quam ab Elysiis exactam scribit, ob culpam crimenque viventium?» Verum Lucanus non *exciet* umbram sacris magicis; sed Pompeio somnium modo affingit, quod ille vanum esse pronuntiet: nec magis aut æque injustum, pias umbras ex Elysio per tempus aliquantum propter crimina patris et mariti, quam Tonantis matronam ob unius Paridis judicium omnes Troas et ipsum pium Ænean internecino odio prosequi: quod idolum Scaligeri Virgilius per totum opus inducit. Conf. Æn. I, 41. Si cælestium animarum talis apud Maronem justitia est, quam injusta Scaligeri querela est de Diis inferis Lucani? Quanto justius eum accusasset, quod *furialem* fecerit Juliam; quod *accenso* sepulcro processisse finxerit, et tamen per *hiantes terras?* sed ne hæc quidem Lucani crimina sunt, sed injuriæ librariorum. Pro *furialis* dedit ille *feralis*, lugubris, mæsta, ut VI, 623: «Feralis strideat umbra.» Probat hoc v. 35: «Umbra per *amplexus* trepidi dilapsa mariti.» An ille vel in somnio *furialem* amplexu peteret? neque *accenso* a manu poetæ est. Equidem fateor, non semel hic occurrere *sepulcrum* pro *rogo*, ut VI, 526 et 765 et IX, 54. Sed quum hiantes terras jam dixerit, vel inde constat, *sepulcrum* non de rogo aut pyra, sed proprie de tumulo seu monumento accipi. Legerim ergo,

Visa caput mæstum per hiantes Julia terras
Tollere, et *effracto feralis* stare sepulcro.

Confer supra I, 588. Bentl.

Corruptus insigniter hic locus. *Mæstum caput* Juliæ cur tribuat poeta, quæ sæva et Furiarum more minax Pompeio cladem et mortem vaticinatur, nullam equidem satis justam causam video. Præterea accensum illud sepulcrum, utut defendere conetur Burmannus, hic ἀπροσδιόνυσον apparet. *Escenso* corrigebat Heinsius, quod et Oudendorpio in mentem venerat. Verum hoc verbum menti poetæ non congruit ejusque manum non redolet. Bentleii emendatio *effracto* nimis a vestigiis vulgatæ scripturæ recedit,

et naturæ rei repugnat. Sensus poetæ, arbitror, hic fuerit, somniasse Pompeium, « se videre Juliam, hiatu terræ inferis emergentem et ex alto sepulcro, Furiarum more, minaciter se increpantem.» Levissima igitur duarum vocum immutatione crediderim exhiberi poetæ manum, hoc modo

Visa caput *medium* per hiantes Julia terras
Tollere, et *in celso* furialis stare sepulcro.

Medium caput *per hiantes terras* extulisse visa Julia, sive *medio ex terræ hiatu* emersisse. Ita *medius* et *mœstus* permutata vidimus ad Lib. I, v. 260. *In celso sepulcro* rescripsi summo, ni fallor, jure. Nugatur Scholiastes, qui suis ineptiis hic iterum viros doctos in errorem induxit. Ita enim ait : Unum pendet ex altero. Ideo *accenso sepulcro*, quia *furialis;* Furiæ enim cum facibus describuntur. Quis vero non rideat tam putidas nænias ? Quod si enim facibus armare Juliam voluisset Lucanus, tam frigide, quæso, eam induxisset loquentem : *Vidi ipsa tenentes Eumenidas,* etc. Unde dubito, an præstiterit legere *feralis.* Cæterum, res hoc modo se habet. Librarius anagnostæ verba male excipiens pro *in celso* scripserat *incenso*, unde postea illud pravæ lectionis monstrum *accenso* natum. Conf. *Euripid. in Hecub.* v. 37 et 94. Ita, nisi fallor, ineptis illis de *accenso sepulcro*, et *facibus*, quibus Furiarum more armatam finxit Juliam Scholiastes, somniis libenter carebimus. JEV.

12. .... *Campoque expulsa piorum.* Sedes, lucos, arva piorum in Elysio sæpissime dici, nostro et aliis locis probat Bentl. ad Horat. Carm. III, 4, 6. WEBER.

13. *Ad Stygias.* Ulcus hic tectum latet; interpretes tamen, sicco pede transeunt. Ast, cedo, quid causæ esse dicamus, cur Julia queratur sedibus se Elysiis expulsam ? a quo, quæso, expulsa ? et quare? Hoc siquidem dictum oportuit, ut nobis de mente poetæ constaret. Verum enim vero, cur jam (nam hoc et magis mirandum !) ad Stygias tenebras et manes nocentes trahitur misella ? et quæ hujus pœnæ causa ? Nihil vero minus! « Erumpit inferis, ut sequatur Pompeium, quum reges silentum eum sequi ipsi permiserint.» Quomodo vero jam omnia hæc *post bellum civile?* Civile bellum nunc demum inceperat, et præterea minatur Pompeio, « se, eo bella gerente, in medias acies venturam, somnos ejus disturbaturam, facturamque, ut nullum ipsi vacuum sit tempus ad amplectendam Corneliam.» Quin et lib. VIII, v. 103, Pompeii cum Cornelia nuptias *bello civili ulta* dicitur *Julia.* Inepta et obscura hæc orationis series nec Juliam decet, nec menti auctoris congrua ! Codices nihil juvant, nisi quod in Vossianis duobus erat *furentes Eumenidas.* Hoc unice mihi probatur. Si mentem poetæ rite cepi, crediderim, eum hoc modo nobis reliquisse.

Sedibus Elysiis campoque *excussa* piorum
Per Stygias, inquit, tenebras manesque *profundos*
Ad bellum civile trahor. Vidi ipsa *furentes*
Eumenidas, quaterent quæ *diris* lampadas armis.

Librarii bellam illam antithesin inter *campos piorum* et *manes nocentum* poetæ liberali manu de suo donaverunt, ut ex Scholiaste videre licet. Certe *manibus* illis *nocentibus* hic nullus locus. « Ego, inquit Julia, audito belli civilis tumultu, Elysiis campis furiata mente relictis (hoc enim *excussa* hic notat) per Tartara et Erebum (*manes profundos* vocat, quod *hiatum Erebi* dixit Seneca in Troad. v. 178) via facta, sponte rapior in bella civilia, ut te sequar. Jam tandem meus eris. In Tartaro ipsa vidi *furentes Eumenidas* infaustas faces quatientes devotis armis tuis. » Quin et puto, auctorem dedisse,

.... ducam ipsa *furentes*
Eumenidas, quatient quæ *diris lampadas armis.*

Suadere certe hoc videntur minacis Juliæ verba, quæ sequuntur *umbras. Trahi ad bella*, elegans locutio, pro *ferri* et rapi *in bella*, seu spontaneo impetu, seu vi occulta. *Furentes* ex Vossianis prætuli τῷ *tenentes*, quod ineptum et languidum, nisi enim *tenerent*, *quatere* quomodo posset? Hinc *quas* in *quæ* mutatum ingratum sibilum tollit. *Vestris* et *diris* confundi facile potuere. Hæc criticorum judicio permitto lubens. Jev.

21. *Semperque potentes.* Illud *semper* corruptum mihi videtur. Si enim *fato damnata*, et *semper* damnata fuerit, quia fata immutabilia. Cogitabam olim *certamque;* nunc vero legendum apparet *secumque*, ut fato *damnata* dicatur Cornelia ad *potentes quoscumque maritos secum in cladem trahendos.* Ita enim et VII, 655, loquitur poeta. Jever.

25. *Dum non securos*, etc. *Rumpere somnos non securos* mihi, ut libere dicam, ridicule admodum dici videtur. *Somni* enim *non securi*, nisi fallor, sunt interrupti. Non igitur hoc a manu poetæ. Quin frigide admodum Juliæ hæc verba tribui videntur. Cur enim, quæso, dicat Julia, *dum mihi liceat*, quum et a regibus silentum hoc ei permissum sit, eaque mox subjungat: «Sed teneat Cæsarque dies et Julia noctes.» Quare, quum in tribus codd. sit *tibi*, haud dubitem equidem rescribere,

Dum non securos liceat *tibi ducere* somnos.

Verum enimvero illud *ducere* longius a vestigiis vulgatæ lectionis recedit, et ipse Lucanus mihi significat, alio elegantiore verbo se usum, quod indoctis librariis errandi ansam suppeditavit. Si quid video, in codice fuit *capere*, ut putabant, sicuti dicimus *capere somnos*, sed quum legi carminis repugnaret prima syllaba, illud in *rumpere* mutare cœperunt. At de-

derat Lucanus : « Dum non securos liceat *tibi carpere* somnos. » Ita *carpere noctes securas* dixit Valer. Flacc. V, 48. JEVER.

33. *Abscindis, abscidis*. Cf. ad Stat. Silv. III, 2, v. 21, et Drak. ad Sil. XV, 470. (Vid. ad eumdem *Ruperti*.) — Adi quoque Livium, III, 70, not. 2, et IV, 29, not. 5.

47. . . . . *Et litore solus Dux stetit Hesperio*. Sermo hic, uti recte observavit Cortius, est plane ἀνακόλουθος. Neque enim τὸ *Cæsar*, licet illa verba, *non illum gloria pulsi Lætificat Magni*, parenthesi includantur, ad sequentia commode referri potest, quum intermedia illa, *et litore solus Dux stetit Hesperio*, seriem orationis vel sic interturbent : neque pronomen *illum* defectum hunc supplere posse videtur. Nominativus vero absolutus hic mihi placere non potest, quippe nihil ad loci hujus intellectum vel illustrationem facit. Præterea, quid insulsum illud *Dux* sibi velit, nulla conjectura assequi datur. Mendæ igitur suspectum semper habui hunc locum. In Pulmanni codice, teste Oudendorpio, erat *in litore*. Impense hoc mihi placet : nam conjunctio copulativa hic plane otiosa est, mentique poetæ repugnat. Si sensum auctoris bene cepi, eum nobis hoc modo reliquisse crediderim : « in litore solus Mox furit Hesperio. Non illum, etc. » Hoc sensu : « Cæsar, postquam effugisse videt classem Pompeii, mox *solus furit in litore Hesperio*, id est, se solum in Italia relictum dolet. Tantum enim abest, ut gaudeat gloria expulsi Italia Pompeii, ut contra tristis sit, non solum, quod elapsus fuga hostis spem decretorii prælii sibi ademisset, sed vel maxime, quod defectu navium in Italia manere cogeretur, eumque mari persequi non posset. Cito quippe bello civili defungi cupiebat Cæsar. Indicant sequentia, *neque enim*, etc. *Furit* et *stetit* in MSS. confusa vidimus. *Mx* et *Dx* quam facile initio versuum confundi soleant, notum iis, qui codices versare sueti. *Furere* proprie de nimio dolore, qui ad insaniam sæpe agere mortales solet. Sic de ira, luctu, aliisque gravioribus affectibus passim poetæ. Convenit præcipiti Cæsari, qui omnis moræ impatiens bello persequi Pompeium ardebat, et spe sua frustratus furebat dolore. Dolebat Cæsar, « quod elapsus sibi fuga Pompeius, coactis undique, quæcumque inveniri uspiam poterant, navibus, præsentem sui insequendi facultatem ipsi ademisset, » ut Cæsar ipse ait, lib. I, Bel. Civ. cap. 29. Quare hac necessitate, inopia navium, manere coactus in Italia et damnare consilium persequendi Pompeii « tunc pectore curas Expulit armorum. » Ita omnia cohærent. JEV.

54. *Quoque modo vanos populi conciret amores*. Codices duo regii, *populi vanos*. Cur vanos amores? Ad hæc, Fr. Modius, Epist. LXV : « Qui enim *vani* amores populi, quos in bello deditiones oppidorum et gentium fere subsequuntur? » Idem *varios* substituit pro *vanos*, sed inepto uno relegato, ineptius aliud sufficit. *Veros* potius oportebat, quam *va*-

rios. Sed alind est in hoc versu intolerabile. Qnis enim unqnam sic loquutus est, *concire amorem? Concire* iram, odium, invidiam, simnltates, passim invenies; amorem aut gratiam nusquam. Sed esto hoc: erga quem *conciret?* se an Pompeium? Dictum hoc, non intellectum oportuit. Dederat auctor: « Quoque modo populi *sibi conciliaret* amores. » BENTL.

56. .... *Namque asserit urbes Sola fames.* Corrige *urbem*, hoc est, Romam. Ibi enim, nec alibi, frumentnm publice et gratnito plebi datum. Appianus diserte hoc dicit.

59. *Curio Sicanias.* Vid. Poet. Lat. Min. T. IV, p. 318, et Sil. Ital. lib. XIV, vs. 11. ED.

66. *Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullæ, Nec Romana magis complerunt horrea terræ.* Alii *nec prius.* Quid autem est, *nec plus* (vel *prius*) *Hesperiam, nec Romana magis horrea?* Quid interest inter illam et hæc? Eadem prorsus sunt: aut verbo saltem distinxisse oportuit; et Hesperiam totam, et in hac præsertim Romam. Sed huic distinctioni non erat locus: Hesperia enim, si Romam demseris, suis ipsa cultoribus sine messe aliena sufficiebat. In veterrimo codice erat *nec primus*, unde conjicio:

Nec plus *Massiliam* longinqnis messibus ullæ,
Nec Romana magis complerunt horrea terræ.

Massilia, nrbs nobilissima, Roma ipsa quondam major, et ipsa propter solum saxosum aliena messe indigebat, et eam in regiones dissitas in suo portu emptam navibus deportabat. Quod memorat Strabo, lib. IV. BENTL.

Locus hic plane desperatus. Disputant interpretes de vocibus *plus* et *prius*, quæ mntari frequenter solent. Bentleius nimis audacter ejicit vocem *Hesperiam*, quam codices tantum non omnes hic repræsentant. Ut jam taceam, sensum ita oriri incongruum, quique rerum naturæ plane repngnet. En levissima mutatione menti poetæ et veritati congruam, nisi fallor, emendationem!

Utraque frugiferis est insnla nobilis arvis:
Nec *prior Hesperia est;* longinquis messibus nllæ, etc.

Frumenti copia, inquit Lucanns, abnndant hæ duæ insnlæ, frugumque fertilitate enm omnibus terris certare possunt. Quin ipsa *Italia*: « Fertilis frugum pecorisque tellus » (Horat. Carm. Secul. v. 29,) Fertilitate has non snperat: neque ullæ externæ regiones plns frnmenti in horrea Romana conferunt quam hæ duæ insulæ. Ipsa Africa, licet fertilissimnm annnm habuerit, easdem fertilitate non vincat. » Frugnm omnis generis et frumenti fertilitate nobilis fuit Italia, ut nulla terra eum Italia frugum fertilitate et copia certare posse videretur. Vid. Virg. Georg. II, 136; Varro, de R. R. I,

cap. 11; Columell. Lib. III, cap. 8; Plin. Hist. Nat. Lib. III, cap. 5; Ælian. V. H. Lib. IX, cap. 16. *Non prior est* his insulis Italia, id est, non melior, non potior est, non vincit eas. Horat. Carm. IV, 10, 4: « Nunc et qui color est puniceæ *flore prior rosæ* », id est, qui superat colorem purpureæ rosæ. Jev.—Hic versus Webero suspicionem interpolationis movet, quia eadem fere ac sequens exprimat, *plus* autem et *magis* singulari modo posita sint. Nihilominus versus genuinus est: sæpe enim videmus a Lucano eamdem rem variari. Vox autem *terræ* sine *ullæ* intelligi nequit. Denique meliores libri *prius* præbent, quod probamus. Sensus est hic: « Nulla terra citius Italiam, neque ulla magis Romam frumento sustentavit, quam Sicilia et Sardinia. » Ita conjectura non opus est, qua Bentleius locum sanare studet, neque melius Jever verborum ordine nexuque turbato. *Longinquis messibus*, id est, advectis a longinquis regionibus. Ed.

69. *Nubes Borea cogente.* Æstuat hoc loco Burmannus, nec se satis expedit. Scholiastes ait: « Boreas, quum apud Italiam serenus sit, apud Africam pluvias facit. E contrario Auster Italis pluviosus, sed in Africa siccus et calidus est. Ergo ex Borea fertilis est. » Corruptum autem locum pronuntiat Jever, et corrigit:

> Quum, medium nubes Borea *cohibente* sub axem,
> Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.

Borea *cohibente* nubes, id est, continuo flatu faciente, ut nubes in medio axe, sive meridie, spissatæ hæreant et in pluvias imbresque colligantur. *Cessantibus* quippe *Austris* inde dissipari nequeunt. *Cohibere* est uno in loco retinere. Sic infra IX, 925, de Psyllis, venenum ex vulnere exsugentibus:

> Nam primum tacta designat membra saliva,
> Quæ cohibet virus retinetque in vulnere pestem.

Atque ita passim. Jever.

77. .... *Celsos ut Gallia currus Nobilis, et flavis sequeretur mixta Britannis!* Multa hic mendosa sunt; *Gallia* hic debet simulacrum esse Galliæ in pompa ductum: cur itaque *nobilis?* potius certe *flebilis?* Sic enim formabantur effigies gentium triumphatarum. Denique quid illud *sequeretur currus*, contra omnem Romanorum morem? *Præcederet* certe, non *sequeretur*. Scripsit, ni valde fallor, Lucanus: « Celsos ut *Gallica* currus *Nobilitas* flavis *anteiret* mixta Britannis. » *Gallica nobilitas*, hoc est, nobiles Galli, flavis Britannis mixti. Noster, II, 101, et VII, 582. Nobiles Galli: nimirum duces et principes gentium devictarum catenati *anteibant* currum triumphantis. Conf. Cicer. Orat. in L. Pisonem, cap. 25, et Lactantium I, 11. Seneca quidem in Troasi, de Priamo, vers. 150:

« Non adsuetas ad sceptra manus Post terga dabit; currusque sequens Agamemnonios, aurea dextra Vincula gestans, lætis fiet Pompa Mycenis. » Sed Lucanus neque nescire potuit morem patrium, nec oblivisci. BENTL. — Idem notat epitheta *nobilis* et *flavis* non juste opposita, et Britannis aliud vel simile vel abjectius epitheton addendum fuisse. *Gallica* quidem erat in Voss. pr. *anteiret* vero, quum nimis a vulgata lectione recedat, audax merito et temerarium videtur. Duces quidem hostium captivos, aureis catenis vinctos, *ante currum triumphantis* trahi solitos fuisse, notum est. Attamen illud *anteiret* proletarium mihi videtur. Tentabam igitur, insistendo vestigiis scripturæ vulgatæ: «*Celsoque* ut Gallica *curru* Nobilitas flavis *tereretur* mixta Britannis.» Ita enim Statius, Silv. I, 1, 50:

.... vacuæ pro cespite terræ
Ænea captivi frontem *terit* ungula Rheni.

Sed locum attentius contemplanti tandem patuit, vulgatum *sequeretur* se recte habere, adeoque nihil novandum esse. *Sequi* enim currus hic notat currum triumphantis comitari, ut *sequi* puellam dicitur amator, qui eam comitatur, et non relinquit. Ovid. Amor. I, IX, 10:

Militis officium longa est via: mitte puellam:
Strenuus, exempto fine, *sequetur* amans.

Propert. II, El. 20, 29. Ita *sequi* et *comitari* ducem dicitur Victoria Claudiano, Sec. Cons. Stil. v. 215. JEVER.

81. *Sed tacitæ videre metu.* Reponit Bentl. « Sed *tacito* videre metu. » Non lætis cœtibus, sed *tacito metu*. Lucretius VI, 1177: « mussabat *tacito* medicina *timore*.» BENTL.—*Læti* illi *cætus* hic mihi valde displicent, quum mox sequatur: « Non constitit usquam Obvia turba duci. » Hinc, puto, Withof. emendat *lætæ vadentem vocibus*. Burmannus *cantibus* legi posse judicat, sed tum rescribi debere pronuntiat *lætæ cantibus*, ut *tacitæ metu*; quare vulgatam defendit, ut *lætis cœtibus* sit, quod v. 102 poeta dicit, *læto tumultu*. Langerm. cod. habet *venientem*. Rectissime, ut mihi videtur; nam *venienti* optime congruit *obvia turba*, et vulgata *vadentem* nihil venustatis habet. Credo dedisse Lucanum:

Non illum lætis *venientem plausibus* urbes,
Sed *tacito* videre metu, *nec* constitit usquam
Obvia turba duci.

Cives victorem Cæsarem, urbes suas intrantem, non *læto plausu* exceperunt, sed *tacito metu* adspexerunt, et nemo ei obviam ire ausus fuit. Tanta nempe consternatio animorum erat, quippe credebant, hostili eum

animo in patriam sævituruṁ. Alias enim ad adventum ducum et imperatorum cives signa lætitiæ promere, vias floribus sternere, obviam prodire, lætis vocibus nomen in cælum tollere et plausus congeminare solebant. Claudian. Cons. Stilich. II, 400. *Tacitus* autem ille civium *metus* ita recte *lætis plausibus* sive claris lætitiæ publicæ signis opponi videtur. Ita *læto clamore* Pompeii nomen ingeminant et plaudunt Romani, VII, 11. Jever.

81. .... *Non constitit usquam Obvia turba duci.* Heinsius ad Claud. Rufin. II, 427, corrigendum censet: « non confluit usquam Obvia turba duci. » Cæsar Brundisio Romam petebat, via Appia; de urbibus, quæ in ista via sunt, dixerat auctor, tacito eas metu vadentem Cæsarem transmisisse: nunc de ipsa *via* narrat, eos qui Cæsari occurrebant, non *constitisse*, sed iter continuasse, neglecto eo et insalutato. Quare recte, opinor, habet *constitit*. Ed. Veneta, *nec constitit*.

88. *Excelsa de rupe procul jam conspicit Urbem.* Codex Academicus:

Et celsa de rupe procul jam conspicit Urbem.

95. ... *Dacisque Getes admixtus.* Codex Trin. pro varia lectione *Dacisve*. Illud recte; sed et aliud restat: cur *admixtus?* quasi de medicamento componendo, non de hominibus ageretur. Quin et si *admixtus Getes* recte dici possit, nimis adfine tamen esset *juncto Pannonio*. Codex Bersmanni; *admotus;* sed egregie Arundelianus, *adjutus*. Bentl.

99. .... *Ut captæ rapturus. Ignibus rapere mœnia urbis* singularem loquendi morem agnoscit Burmannus. Scholiastes ait ad illa: « Sparsurusque Deos », id est, de templis simulacra dejecturus in publicum. Cæsarem, credo, Leonem Isauricum esse somniavit, cognomento Iconomachum. Lege:

.... namque ignibus atris
Creditur *aut* captæ *sparsurus* mœnia Romæ,
Rapturusve Deos.

Spargere mœnia ignibus et *spargere mœnibus ignem* elegans locutio est et proba. Sic *spargere faces mœnibus*, Val. Flacc. I, 12. Spargere igitur ignes mœnibus, vel mœnia ignibus, est ignem injicere. Sic *spargere ignes in mœnia* dixit Seneca in Troad. vs. 39:

Non cantus *ignes* Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus *in vos sparsit*, aut fallax Sinon.

Rapturus Deos est spoliaturus templa Deorum. Supra, I, 484: « .... jussamque feris a gentibus *Urbem*, Romano spectante, *rapi*. » *Aut captæ* et *rapturusve* rescripsi, copulativa conjunctione in discretivam mutata, quia hæc

timoris civium mensura erat, quod crederent, Cæsarem, infestum Romanis, facturum omnia quæ impune, prohibente nullo, facere poterat. Putabant igitur aut captam Romam incensorum, aut templa spoliaturum. Jever.

101. .... *Non omina festa*, *Non fictas læto voces*. Alii *nec fictas*. *Festa omina* habent omnes. Corrigendum tamen Bentleio videtur *fausta*, « *Non omina fausta*. » Tàcitus, Annal. I, 35 : « *Faustis* in Germanicum *ominibus*. »

103. *Vix odisse vacat*. Quis hic odio fuerit locus fausta inter omina et simulatas fictæ lætitiæ voces? Scholiastes sic nugatur : « Etiam ipsa odia libere exercere non poterant præ timore : sive, ut adventu Cæsaris subito trepidi tempus tunc nec odio vacuum reperirent. » Non mirum certe! Quomodo enim odia libere exercerent, qui ne hiscere quidem, nedum obviam procedere auderent? Sensum commodiorem affinges, legendo :

.... non *omina festa*,
Non *ficto lætas mentes* simulare tumultu,
Vix *audisse* vacat.

Hoc sensu : Non vacat civibus timore consternatis *festiva plausus omina* exhibere, nec *ficto concursu falsam* et *simulatam* ad adventum ejus *lætitiam* ostentare. Tantum aberat, ut de plausu et publicæ lætitiæ signis exhibendis cogitarent, ut ne *audire* quidem vellent nomen Cæsaris. *Omina festa*, est in omnibus fere scriptis, quod mutari non debuit. *Omina festa* sunt quæ festivo et auspicato Cæsaris, urbes Italiæ intrantis, adventui congrua. *Festus* enim et *feriatus dies* Romanis, imperatoris adventus! Dein *lætas mentes ficto tumultu* rescripsi paullo melius, puto, quam *fictas voces læto tumultu*. Quomodo enim, quæso, cives, præ metu, ne hiscere quidem audentes læto concursu fictas voces simularent? Non vacabat illis, inquit poeta, concursu de industria facto, lætitiam simulare, quin ne nomen quidem ejus audire poterant sine metu. Respexit forte Noster veteris poetæ verba, quæ citat Cicero, Ep. ad Div. VII, 30 : « Quin hinc ipse evolare cupio, et aliquo pervenire, ubi « Nec *Pelopidarum nomen* nec facta *audiam*; » quæ et citat ad Atticum, V, 11. Facilis vero lapsus τοῦ *audisse* in *odisse*. Sic et *aura* in *ora*; *cautes* in *cotes*, *aula* in *olla* migraverunt. Jev.

104. .... *Nullo cogendi jure senatus*. Sensus poetæ, nisi fallor, hic fuerit : « Cæsarem nullo more in templo Apollinis coegisse senatores vitio creatos, qui ad nutum ejus parati censerent, quidquid jussisset. Nullos consules, nullos prætores, nullos denique legitimos senatores in eo adfuisse. « Igitur rescribo :

.... Phœbea palatia complet
Turba patrum, *nullo cogenti more senatum*

E latebris educta suis....
Prætor adest, vacuæque *locum* cessere curules.
Omnia Cæsar erat. Privatæ curia vocis
Testis *abest.* Sedere patres, etc.

Nullo more dicit, quia Cæsar privatus erat. *More* enim majorum hoc nulli privato licebat, ut recte hic vidit Scholiastes. Hinc ultro jam patet *cogenti* rescribendum esse Hamb. pr. ut sit *turba patrum*, educta Cæsari, *nullo more senatum cogenti*, pro *a Cæsare*. Vitio creati erant. Publicis enim judiciis damnati senatores legi non poterant. At tales erant hi senatores, quos lege Pompeia ambitus damnatos restituit et senatores fecit Cæsar, ut ipse testatur lib. III, cap. 1 Bel. Civ. Unde *turbam* patrum per contemptum vocat et eductam e *latebris* suis, sive ex fuga et exsilio retractos ac patriæ restitutos. Damnatis exsulibus constabat hic senatus. Ita enim de hoc Cæsaris senatu loquitur sub persona Lentuli Noster, V, 32:

.... curia solos
Illa videt patres, plena quos urbe fugavit.

Dein summo jure rescripsi, *testis abest* : nam et *adest* proxime præcesserat, et illud *omnia Cæsar erat* hanc emendationem probat. Vides hic omnia ad Cæsaris invidiam composita. Privatus Cæsar, *nullo more* cogit senatores vitio creatos. Unus ibi, Cæsar, totus senatus erat. Nam neque consules, neque prætores adsunt; quin aberant senatores, nullusque legitimus senator aderat, qui de actis a Cæsare in illo senatu testari posset. Hoc enim innuunt illa: « ... Privatæ curia vocis Testis abest. » Vacuas proinde legitimis magistratibus curules huic væ-senatui locum dedisse ait, ut jam constet legendum esse : « vacuæque *locum* cessere curules. » Nam invidiose subjungit : « sedere patres censere parati, etc. » JEVER.

107. ..... *Vacuæque loco.* Vid. Poet. Lat. Min. t. I, p. 403.

111. .... *Exsiliumque petat.* Lege *exsiliumve :* non enim utrumque, et jugulum et exsilium : *senatus* autem absentis, qui cum Pompeio erat, quippe hi, qui *sedere patres*, senatus nomine indigni. BENTL.

120. .... *Sed pars vilissima rerum Certamen*, etc. Alii *et pars. Et* melius cum sententia quadrat, quam *sed.* Olim scribebant *set.* IDEM.

121. .... *Prohibensque rapina Victorem.* Nondum certe *victor*, vivo Pompeio, totque ejus exercitibus salvis : neque *victor* tum præsertim recte dicitur, quum tribunus eum in ordinem cogit. *Doctorem* igitur hic repono. Ordo est, *testatur ductorem*, non *prohibens ductorem.* Val. Flaccus, V, 624 : «Questuque Jovem testatur acerbo.» IDEM.—*Victor* profecto dici poterat qui Romam armis tenebat, etiamsi nondum fugisset Pompeius. ED.

127. .... *Sæva tribunitiæ noverunt prælia diræ.* Hunc versum sic citat Bentleius. Heinsius reponit : « *Læva* tribunitiæ *voverunt* prælia diræ. » *Vovere* sic fere usurpat Naso in Ibid. v. 243 : « Tempus in immensum lacrymas tibi *vovimus* istas. » Sed multa huic emendationi obstant. Esto enim, quod tamen dubites, recta locutio, *diræ* ipsæ voverunt, non dirarum auctor et certe Romæ *voverunt*, Crasso ex urbe exeunte, non, postquam in bella profectus est, eum Parthiam usque sunt *sequutæ*. Neque verum est, læva et infausta prælia *vovisse eas*; sed in Crassum modo ipsum ejusque caput diræ concipiebantur. Tribunus plebis Ateius non *prælia*, sed πολλὰ καὶ ἄτοπα, πολλὰ καὶ δεινὰ, ut Dion XXXIX, 39; ἀρὰς δεινὰς καὶ φρικώδεις, ut Plutarchus, Crass. c. 29; sed *diras* et horrendas detestationes in caput ejus effudit : et uterque animadvertit exitio pessimo publico tribunum hoc fecisse; quippe quum ducem devoverit, consequenter etiam exercitum et totam civitatem iisdem diris implicuisse. Non ergo *prælia* hic stare poterit; sed aliud indagandum rectius, quod reperisse me existimo :

.... Crassumque in bella sequutæ
Sæva tribunitiæ *novere piacula* diræ.

Florus II, 6 : « Quasi has *inferias* sibi Saguntinorum ultimæ *diræ* mandassent. » Justinus XIV, 4 : « Has vobis *diras* atque *inferias* dico. » *Diræ*, ut vides, *inferias* post se et sibi trahunt. Atqui *inferiæ* id ipsum quod *piacula*. Conf. II, 175; Horat. Epod. V, 90. Id. Carm. I, 28, 33 : « precibus non linquar inultis; Teque piacula nulla resolvent. » Scil. *diræ* meæ preces nescient ulla *piacula*. *Novere* eleganter, ut paulo ante *invenit Deos*. *Sæva* piacula, ut alibi, *dira*, miseranda, horrenda. Codex tamen rec. vere et venuste, *sera*. Sic Val. Flacc. IV, 252 : « Dixit, et urgentis post *sera piacula* leti. » BENTL.

Tota illa locutio *potestas violata invenit Deos*, pro : *iratos et ultores* habet, uti Burmannus explicat, mihi displicet, adeoque frigida esse videtur, ut a Lucano sic profecta hæc esse credere nequeam. Corruptus locus. Namque hæc mera ταυτολογία esse videtur, *diræ sequutæ Crassum in bella voverunt sæva prælia.* Præterea, ad quæ bella Crassum diræ sequutæ, non additur; nec *sæva prælia* commodam interpretationem recipere posse videntur. Variant codd. alii *voverunt*, alii *voluerunt*, alii *noverunt* et *moverunt* exhibentes. Hæc Jever, et emendationem suam (sup. p. 279, not.) sic defendit et explicat : « Sacrosancta tribunitia potestas mea, a te violata, expertura fuerit vindices injuriæ testes Deos, ut Crasso, vetante tribuno, ad bella Parthica profecto, diræ tribunitiæ sævam mortem concitarunt. » *Senserit testes Deos*, i. e. *vindices* et *ultores habuerit*. Tibull. El. III, 6, 26 : « Quid valeat læsi, sentiat, ira Dei, » id est, sentiat iram violati numinis. Scelera enim testes Deos *sentire* dicuntur, quum a Diis puniuntur et vindicantur : *non sentire*, quum a Superis negliguntur et non puniuntur. Sic magnæ linguæ vindicem Apollinem proles Niobea *sensisse* dicitur apud Horatium, Carm. IV, 6, 2.

Testis enim *Deüs* tam vindicem et ultorem notat, quam fautorem et approbatorem. *Bactra sequenti* lego, pro *in bella sequutæ*. Bella enim et prælia male hic conjunguntur. Diræ vero Crassum in bella inepte sequi dicuntur. *Bactra sequenti* est ad Parthica bella proficiscenti, Parthis bella inferenti. *Sequi* enim hac significatione usitatum. Propert. El. II, 10, 63 : « Seu pedibus Parthos *sequimur*, seu classe Britannos. » *Bactra* autem sedes regni Parthici. Lucan. VIII, 423. Porro cum Versellano vel invitis codicibus scribendum putem *moverunt funera* : nam diræ illæ non solum triste Crasso prælium, sed et ipsam mortem concitarunt. Jev.

138. .... *Non usque adeo permiscuit.* Nemo hic vitium orationis observavit, quod miror. Si enim *permiscuit* scribere voluisset Lucanus, non *malint*, sed *mallent*, ut in Langermanni codice legitur, nobis reliquisset. Sed non ita se res habet. Scripsit, nisi fallor, poeta: « Non usque adeo *permisceat* imis Longus summa dies, etc. » *Permisceat*, id est, *permiscuerit*. Præsens pro futuro. Idem.

148. *Paruimus victi.* Beutleius : *Paruimus : victi.... pudoris*; quia non sunt *victi*, qui arma non sumpserunt, nec passi sunt. At illi armorum metu, necessitate adacti, ideoque victi fuerant. Ed.

170. Burmannus in hac recensione Pompeiani exercitus loquacitatem intolerandam et Geographiæ ostentationem exagitat. Florus multo modestius, lib. IV, 2. Populos autem multos enumerat Lucanus nomine tantum tunc Romanis cognitos, certe nondum devictos, e quibus Arabas tempore Augusti adhucintactos. Vid. Horat. Carm. III, 24. Ed.

177. *Alpheus.* Meliores scripti *Alpheos*, ut etiam apud Senecam. Cæterum populi *Sicani* dicuntur, prima syllaba correpta, non Sicanii.

177. *Tunc Mænala liquit Arcas.* Colbert. cum aliis aliquot *linquit*, ut mox 179, *Dryopesque ruunt.* Placet eo magis, quod mox habemus, v. 180, *liquerunt.* Bentl. — Immo lege cum Voss. cod. « .... tum Mænala *linquit* Arcas et Herculeam *vilis* Trachinius Œten. » Ita malim, quam *miles.* Sponte hoc intelligitur. Ideo enim linquunt patriam, ut militent. Lapidoso saxo condita, unde nomen habet, Trachin pauperes incolas habebat, et nullum bello nomen habentes. Recte igitur *vilis* Trachinius. Senec. Herc. Œt. vs. 135 :

> Ad Trachina vocor, saxa rigentia,
> Et dumeta jugis horrida torridis,
> Vix gratum pecori montivago nemus. Jev.

182. *Exiguæ Phœbea tenent.* Mendum latere existimo. Quid enim est *tenent navalia puppes*? Si tenent navalia, non exeunt : quomodo igitur (quod sententia ipsa postulat) ad Pompeium et ejus arma veniunt? Dedit, aut fallor, Lucanus,

Exhausit totas quamvis delectus Athenas;
Exiguæ *Piræa tamen* navalia puppes,
Tresque petunt veram eredi Salamina carinæ.

Notat auctor, celeberrimas fama Athenas philosophiæ deditis magis abundasse, quam militiæ, et exigua partibus auxilia suppeditare. Ordo est, «Tamen exiguæ (parvæ) naves petunt credi Piræa navalia, et tres petunt credi veram Salamina.» Nimirum, quum florerent res Atheniensium, in magna erant fama Piræus portus et Salamis vera; plane ut ὁ Διὸς Κόρινθος. Hæ exiguæ licet copiæ ingenti se fastu ferebant, et vetere locorum fama se tutabantur. Unde vos? ex portu Piræo. Unde autem vos? ex Salamine vera. Vix credibile, tam paucas, tam tenues, ex locis per totum orbem celebratis, οἷα ἐξ οἵων. Petunt igitur credi. Salamis *vera*, quod jam notum est, ut a colonia ejusdem nominis, a Tenero condita, distinguatur. Seneca Troad. 844: «Numquid Ajacis Salamina veram?» Manilius, v. 50: «Vera Syracusis Salamis non merget Athenas.» *Quamvis*, et in redditione *tamen; quamquam, tamen*, passim reperies. Virgilius, Eclog. VI, 49:

At non tam turpes pecudum *tamen* ulla sequuta est
Concubitus, *quamvis* collo timuisset aratrum. Bentl.

Hic multum sudaverunt critici. Alii Actium, alii Rhodon, alii denique Apolloniam intelligunt. Sunt qui pro *Phœbea* corrigant *Piræa*. Inveniuntur quoque, qui in portu Piræo templa vel navalia Apollini sacrata somnient, et propterea *Phœbea* a Lucano vocari, magna cum confidentia adseverent. Varias vero virorum doctissimorum opiniones recensent Oudendorpius et Burmannus, qui conjiciebat *vetant* pro *petunt*. Corruptus manifesto locus est. Puppes enim exiguæ et tres carinæ ineptissima putidissimaque ταυτολογίᾳ hic conjunguntur. *Piræum portum* sæpe audivi, at *Piræa navalia* numquam De Athenis et victoria Salaminiaca sermo est, quod probet hæc emendatio,

Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Eximiam Thesea tenent navalia *pubem*,
Tresque *probant*, veram credi Salamina, carinæ.

Manifesto, et menti poetæ, ni fallor, congruo sensu. Dicit poeta: «Licet continuo delectu fere exhaustæ essent Athenæ, in navalibus tamen *Atticæ* ad auxilium Pompeii superfuisse eximiam et electam pubis nauticæ copiam, qua oneratæ tres carinæ antiquam rei navalis gloriam et veritatem victoriæ ad Salamina satis probarent.» *Thesea navalia* lego, id est *Attica*, u Virgilio, Georg. II, 383, *Thesidæ* sunt Athenienses.

Præmiaque ingentes pagos et compita circum
Thesidæ posuere.

Eximiam pubem (*nauticam*, uti patet ex voce *navalia*), id est, rei navalis peritissimam, quæ tribus carinis probare posset, veram esse famigeratam illam Salaminiacam de Persis quondam victoriam. JEV.

185. .... *Gnososque agitare pharetras Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.* Male alii *Gnossas*, quasi Gortyna non habuerit pharetras, nisi quas a Gnosso petebat? Veterrimi quatuor, cum Arundeliano, *Gnososque*. Sed quid est *agitare pharetras?* An eas agitando doctrina ostentabatur? Immo vero ea demum peritia erat, si pharetræ humeris apte insiderent, non *agitatæ*, non gerenti molestæ. Dederat auctor: *Gnososque aptare pharetras Docta.* Imitatus est Nostrum Silius II, 101 : « Eois quamvis certet Gortyna sagittis.» *Aptare pharetras*, ut Statius, Theb. IV, 259 : «Dictæaque tela Ipsam et Amyclæas humeris *aptasse pharetras.* » BENTL.

187. .... *Et vagus altis Dispersus silvis Athamas.* Sic quidem codices, sed invitis eis, suum auctori reddendum, *Athaman*. Ab *Athaman Athamanes;* ab *Acarnan Acarnanes* : at ab *Athamas* esset Athamantes, ut *Abas* Abantes. IDEM.

189. *Encheliæ versi testantes funera Cadmi.* Hoc dicit Apollodorus, a Grotio citatus, III, 5, 4: « Cadmum cum uxore πρὸς Ἐγχέλεας, ad Encheleas, venisse : quibus ex oraculo ducem electum Illyrios bello subegisse ibique regnasse; postea eum conjuge εἰς δράκοντα μεταβαλόντα, in draconem versum, ab Jove in Elysium campum dimissum esse. » Conf. Dionysius Periegetes, v. 390, et Apollonius Argon. IV, 517. Nondum tamen hæc Lucani loco commentarium faciunt. Quid enim mirum, si funera Cadmi testantur Encheliæ? Quid in hac re testibus opus? Quis exspectabat Cadmum fore immortalem? Aut valde fallor, aut dedit auctor:

Encheliæ versi testantes *sibila* Cadmi.

Eo certe nos ducit *versi*. Horatius, Arte Poet. 187 : « Aut in avem Procne *vertatur*, Cadmus in anguem.» Claudianus I, Eutrop. 293:

In volucrem Tereus, Cadmus *se vertit* in anguem. BENTL.

Nimirum hoc erat, quod Encheliæ sive Illyrii testarentur, non obiisse eos, sed in serpentes conversos. Græcia hoc monstrum non viderat : homines a Thebis discesserant : quod postea serpentes facti sint, penes Enchelias fides erat. Necessaria hæc emendatio est, nisi ipsam in angues conversionem *funus* dici velis, et eos proteuus, ex quo mutati sunt, interiisse. Sed vetat hoc Statius, qui diu sub nova forma mansisse eos prædicat, Theb. III, 289.

190. *Colchis, et Hadriacas spumans Absyrtos in undas. Colchis Absyrtos*, ita quidem legendum, ut *Lacedæmonium Tarentum*, et alia a conditoribus nominata : quæ et Micylli olim emendatio erat; modo versus non spurius sit, quod valde suspicor. Utrimque enim populi nominantur,

hinc *Encheliæ*, inde *Penei qui rura colunt:* at in medio *tellus*, non incolæ. Tum *spumans in undas Hadriacas* de fluvio rectius dicatur, ac de insula. BENTL.

191. *Et Penei qui rura colunt.* Lectio verior, *Penei* trisyllab. deleto *et.* Sic omnes ubique codices cum Rom. et Ven. et MSS. 7900 et 8040; sic et alibi τριουλλάδως VI, 372 et 377. Et ita omnes poetæ tam Latini quam Græci. Neque vero Virgilii locum, Georg. IV, 335, sanum esse crediderim; aut poetarum doctissimum in fluvii nomine erravisse. Crediderim dedisse poetam,

Tristis Aristæus *magni* genitoris ad undam.

Mox inter lineas glossema additum *Penei:* et postea ab indocto librario textui insertum. BENTL.

194. *Miscuit ignotas temerato litore terras.* Fateor tam *temerare litora*, quam *maria* recte dici pro *violare;* hoc tamen loco, quia de prima expeditione navali *lacessitum mare* dicit auctor, rescribi malim *gurgite.* Loquitur enim de illicito mortalium ausu, quo per intentatum antea æquor viam facere tentarunt. *Illicitum* et *vetitum* enim putabant *violare undas sacras.* Vide Val. Flacc. I, 627:

Hoc erat *illicitas temerare* rudentibus *undas*,
Quod nostri timuere patres!

Conf. Horatium, Carm. I, 3, 24. Sed vulgatam *litore* defendere conatur Oudendorpius hoc colore, quod Argonautæ externa litora violaverint, belloque innoxias gentes vexaverint, atque in hanc rem exempla producit. Verum quid sit *miscere gentes ignotas*, doceri velim? Durum siquidem videatur explicare *conjunxit gentes antea ignotas.* Ego certe exemplum hujus locutionis desidero. Scripsit ergo Lucanus:

Penei qui rura colunt, quorumque labore
Thessalus *Æoliam* vomer proscindit Iolcon;
Unde lacessitum primo mare, quum rudis Argo
Imbuit ignaras temerato *gurgite* gentes.

Æoliam Iolcon scripsi, a Cretheo, Æoli filio, qui, expulsis Pelasgis, Iolcon tenuit, ut docemur ex Homeri Scholiaste, quem citat Holstenius ad Steph. Byzant. in v. Ἰωλκός, p. 152. *Unde* rescripsi pro *inde. Unde*, id est, *ex qua urbe.* Facilis hic librariorum error. Mox vero correxi, *imbuit ignaras* gentes temerato *gurgite*, hoc sensu, ut sit: *rudis* Argo (quæ numquam navigaverat) prima *docuit ignaras* (navigationis) gentes *maria transire* et *violare. Imbuit temerato gurgite*, id est, æquor temerare et transire docuit. Catullus, Carm. LXIII, 2:

Illa rudem *cursu* prima *imbuit* Amphitriten,

id est, maria nondum navigata navigari docuit. Sic *imbuere terras vomere* pro *tangere* et *sollicitare aratro*, et *feraces frumenti reddere* dixit Val. Flacc. I, 69 : « ut sævos frenasse dracones Creditus, *ignaras Cereris* qui *vomere terras Imbuit*, et flava quercum damnavit arista. » *Ignaras Cereris* terras *imbuit vomere* Triptolemus, id est, nescias frumentum ferre primus aravit et sevit, adeoque jam *frumenta ferre docuit*, uti navis Argo prima *rudem* et *antea intactam* Amphitriten *navigari docuit*. Argo igitur *ignaras* gentes navigationem docuit. Dein, credo, dedit poeta,

.... fatisque per illam
Accessit mors *uda* ratem;

id est, mors naufragii in aqua, uti Scholiastes forte bene cepisse videtur. Qui enim, quæso, Lucano minus id juris fuisse videatur quam Juvenali, qui *siccam* nobis *mortem* dedit, Sat. X, vs. 112 : «Descendunt reges et *sicca morte* tyranni. » Suffragia omnium eruditorum exspectat hæc emendatio. Jever.

199. .... *Tepido committere Nilo*. Quid, quæso, causæ esse dicamus, cur *Strymon*, Thraciæ fluvius, dicatur *consuetus committere Bistonias aves*, id est, Strymonias sive Thracias grues *Nilo tepido?* et quomodo explicabimus *committere Nilo?* Anne, ut simpliciter sit mittere in Ægyptum? Nugæ! Nullas veneres habet hæc lectio, et Lucanus tam inepte scripsisse non videtur. *Bello* et supra scriptum *Nilo* erat in Voss. sec. *Bistonas* notæ Hadriani habent ex libro vetere. *Bistoniæ aves* hinc facessant! *Strymon* suas aves, id est, *grues* dabit. Quin *Nilo tepido* forte etiam tuto carebimus. Hortensius enim in vetusto codice *rapido* invenit. Quare, arrepta Vossiani codicis scriptura, legendum censeo :

Deseritur Strymon, *trepidis* committere *bello*
Pygmæis assuctus aves.

Solitus nempe grues suas *emittere ad depugnandum* bello cum *trepidis Pygmæis*. Fundus emendationis meæ est Juvenalis, qui hunc locum imitatus esse, et satirico sale adperso, jucundissimi risus materiam inde quæsivisse videtur Sat. XIII, v. 168 :

Ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram
Pygmæus, *trepidis* currit bellator in armis, etc.

Trepidis ergo Pygmæis grues suas depugnaturas mittit Strymon. Probat Homer. Iliad. Γ, v. 5. *Committere bello*, elegans locutio. Vid. Valer. Flacc. Argon. VIII, 395; Claudian. in Eutrop. I, 282. *Committere bello* igitur *Pygmæis aves suas* dicitur Strymon, quasi paria gladiatorum, quæ bina *comparari*, *componi* et *committi* proprie dicuntur. Jev.

200. .... *Et barbara Cone Sarmaticas ubi perdit aquas*. Sane illa Cone tam barbara est, ut nullus qui nunc exstat scriptor mentionem ejus fe-

cerit. Interpretes Nostri insulam esse volunt; prorsus contra poetæ sententiam. Fluvius sine dubio est, qunm tres ordine recenseantur, *Strymon*, *Cone*, unum caput sive ostium Histri insulam Peucen alluens. Illud quoque, *Sarmaticas ubi perdit aquas*, quid aliud notat, quam fluvium Conen ex Sarmatia fluere, et in Histrum confluere, ubi aquas et nomen perdit? Nempe, ut Plinius IV, 24: « Hister, sexaginta amnibus receptis, in Pontum evolvitur. » Ex his sexaginta unus erat Cone, cujus, ut aliorum pluriumque, vetera nunc nomina interierunt. Colbertinus vetus, et Caianus *Come*. BENTL.

Locus intricatissimus, quod patet ex incerto æstu interpretum hæc explicare tentantium apud Oudendorpium. Burmannus nihil hic tentavit, quod equidem miror. Quærenda tamen via est, qua laboranti poetæ opem feramus, siquidem locus manifesto corruptus apparet. Quam inepte enim *Hister Sarmaticas aquas* hic *perdere* dicatur, nemo non videt: quale vero sit illud *unum caput*, quod *Peucen*, vel *alluit*, vel *abluit*, ne divinus quidem dixerit; ut taceam *caput* (quod recte observavit Oudendorpius) de ostiis fluminum non recte dici. Nam quod spectat locum Livii XXXIII, 41: « Inde profectum eum ad capita, quæ vocant, Sari fluminis, etc. » In eo *catadupa* legi debere videtur, quia addit, *quæ vocant*, plane eodem modo, quo Cicero loquutus est in Somnio Scipionis, cap. 5: « Sicut ubi Nilus ad illa, quæ *catadupa* nominantur, præcipitat ex altissimis montibus. » In Cæsare autem, Bel. Gall. IV, cap. 10, corrigendum puto: « Rhenus multis *exitibus* in Oceanum influit. » *Exitus*, *egressus*, *ora*, *cornua* passim de ostiis fluminum. Valer. Flacc. IV, 716; et VIII, 185, ubi *exitus*, *ostia*, et *cornua* conjunguntur. Temeritatis culpam igitur cur deprecer, nulla ratio esse videtur, siquidem in corruptis locis omnia tentare decet. De urbe *Cone* nihil uspiam mihi compertum, quare dubito an poeta nobis non dederit *Done*, urbs *Danubio* apud Sarmatas cognominis, quam sua, Romanis barbara, lingua *Done* vel *Donau* (uti etiamnum hodie) vocabant. Arguat hoc vel *Donawerta*, urbs olim libera Romani imperii, ad Danubii et Wernitii confluentes sita, verum anno 1606 a Bavariæ duce Maximiliano bello subacta. Quare legendum mihi videtur:

.... et barbara *Done*,
Sarmaticos ubi perdit *agros*, *pressamque* profundo
Multifidus Peucen *imi capit alveus* Histri.

« Ubi multifidus Histri, in mare descendentis, alveus perdit agros Scythiæ, et Peucen, in insulæ formam redactam, cingit aquis suis. » *Perdit agros*; id est, vastat, solvit et exhaurit aquis suis, ut II, 408, dixit poeta. *Sarmaticæ aquæ* risum merentur, quia sic Hister in ipsa Sarmatia Sarmaticas perderet aquas, quod qua ratione confieri possit, non video. *Multifidus imi* Histri *alveus*, est flumen Histri, uno et continuo antea alveo decurrentis, mox ad urbem *Donam* in multa se ostia dividentis, atque ita se in mare exonerantis. *Alveus* proprie de fluviis; Ovid. Met. I, vs. 423:

Sic, ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, et antiquo sua flumina reddidit *alveo*.

Pharios hic malim, utut *madidos* defendi posse videatur. Lucan. II, 217: .... « nec jam capit *alveus* amnem. » et X, 311, de Nilo:

Rursus *multifidas revocat* piger *alveus* undas.

Quo multifidus imi Histri alveus valide confirmatur. Nam *imum* pro *unum* recte res ipsa probat. *Capit pressam profundo*, i. e. ambit et cingit suis aquis. *Profundum* enim et de fluviis recte dicitur, quod probari non opus. Sic Tybris *dividua aqua premere* dicitur insulam apud Ovid. in Fastis I, 291. Ita *pressus ab hoste* Romanus est hostibus undique cinctus Lucano I, 514. Vides ibi *claudi militem pressum ab hoste*, ut hic *pressa capitur* Peuce *profundo*. Gemina hæc sunt, ut ovum ovo vix similius videatur. Negligentia librariorum locum corrupit, quos ridiculum illud *caput*, pro *capit*, *alveum* in *abluit* et *alluit* corrumpere adegit. Jev.

203. *Mysiaque, et gelido tellus profusa Caico Idalis. Mysia* Puteaneus et Harleianus, recte, non, ut alii plerique, *Mœsia*. Virgil. Georg. IV, 370: «Mysusque Caicus.» Pro *Idalis* autem, quæ nulla est, recte olim Micyllus, *Æolis*. Mela I, 18: «Proxima regio *Æolis* facta, ante *Mysia*.» Plin. H. N. V, 32: «*Æolis* proxima est, quondam *Mysia* appellata.» Bentl.—MS. 8040 *Mœseaque* (sic). Et hic locus criticorum ingenia diu torsit, qui multa tentant, nec se expediunt. Corrupta videlicet lectio. *Tellus perfusa Caico* est ipsa Mysia, ut patet ex Virgilio, qui *Mysum* Caicum appellat, ut et Naso, Art. Am. Lib. III, vs. 195:

« Sed non Caucasea doceo de rupe puellas,
Quæque bibant undas, *Myse Caice*, tuas. »

Aut igitur Caicus hinc migret, aut *Mysia* cedat, oportet. Præterea *gelidus* Caicus cur dicatur, nullam peculiarem rationem video. *Idalis* mihi juxta ac cæteris interpretibus incognita. Illud *nimium exilis* mihi perquam exile, quin et putidum videtur. Quid multa? Legendum puto:

Mysiaque et gelido tellus perfusa *Caystro*,
Side oleis nitida et glebis exilis Arisbe.

Caystro perfusa tellus est Mæonia, quam Cayster, gelidus fluvius, atque ideo oloribus frequens, alluit. *Idalis* nauci est. *Æolis*, quod Bentleio aliisque placet, locum habere nequit, quia in *Pitane* eam satis celebrat auctor. *Lydias* vel *Attalis tellus* repugnat, quia nomen urbis desideratur. Rescripsi *Side oleis nitida*. Side, urbs Lyciæ, olearum proventu celebris fuisse videtur. Memoratur, et urbi Aspendo jungitur, ab Eustathio ad Dionys. Perieg. vs. 852. Veram esse hanc emendationem patet, quum ex ipsa corrupta scribendi ratione, (nam ex *Side oleis* primum *Sidolis*, mox *Sidalis* et dein

Idalis factum videtur), tum ex ipso poeta, qui Mysiam, Mœoniam, Æolida, Cariam, Phrygiam, Lydiam, Ilium sive Troada, totamque adeo Asiam minorem celebrans, Lyciæ et Pamphyliæ immemor fuisse videri nequit: verum et præterea hoc vel maxime probari videtur, quia in Vossiano pr. talis, Oudendorpio teste, narratur fabula: « Celænæ civitas est abundans olivis. Quum igitur Apollo et Minerva quamdam inter se contentionem habuissent, et faventibus illius civitatis populis Apollo vicisset, Pallas irata exsiccavit (f. exstirpavit) illorum olivas, et hoc est, quod dicit, *tua munera, Pallas, lugent.* » Oleis igitur nitida fuit Side, ut nugatoris hujus ineptiæ docere videntur: an vero Arisbe ex hac Apollinis cum Minerva contentione, exstirpatis olivis, *glebis exilis*, sive arida facta fuerit, equidem fateor me ignorare, quippe cui hæc fabula plane ignota est; voluisse tamen hoc videtur hic Scholiastes, cujus verba male ad *Celænas* retulit librarius, quum ad *Arisben* vel *Siden* referre debuisset. Side igitur et Arisbe civitates fuerunt inter Lyciam et Pamphyliam, ut patet ex Mela, Lib. I, cap. 14. Nam quod Arisbe a Steph. Byzantino, aliisque Troadi adscribitur, factum hoc est ignorantia veterum geographorum, Lyciam cum Troade confundentium, quia utrobique est Xanthus fluvius. Certe situm illius urbis ex uuius Homeri versibus Iliad. B, vs. 825 definivisse videntur; quod quam lubricum sit, vel inde patent, quod poetæ nonnumquam, pro ratione carminis et propositi sui, verum locorum situm migrent, et longe dissitas regiones conjungant. Strabonis certe ætate jam non amplius erat *Arisbe*, quam antiquissimam urbem fuisse docet Servius ad Virgil. Æn. IX, 264. Vid. not. doctissimi viri Thom. de Pinedo ad Steph. Byzant. in v. Ἀρίσβη. Jev.

207. *Qua celer et rectis descendens Marsya ripis.* Variant codices, et alii *erectis*, alii cum MSS. 8040 et 7900 *et rectis*, alii *e rectis* repræsentant; nonnulli *quaque celer rectis* exhibent. De *rectis ripis* multa congesserunt Oudendorpius et Burmannus; verum hæ *rectæ ripæ* mihi vix placent. *Celer* Marsyas recte dicatur, quia veluci cursu defertur, antequam Mæandro miscetur, qui impetum ejus retardat ac mollit, teste Claudiano in Eutrop. II, 261:

> .... sed Marsya velox
> Dum suus est flexuque caret: *nam* flumine mixtus
> Mollitur, Mæandre, tuo.

Quid opus igitur *rectis* illis *ripis?* Quin, et *descendente Marsya* facile carebimus. Nam *celer descendens Marsyas* nescio quid coactum et proletarium sapit. Ineptum illud *celer rectis*, quod codices occupavit, quin ex *Celænæus* depravatum sit, nullus dubito. *Celereus, celerectus, celer rectis* sunt librarii allucinationes. Hinc versu proxime præcedente corruptam esse vocem *Celænas* suspicor, præsertim propter memoratam illam Vossiani codicis glossam, quæ huic voci adjecta erat. Duplicem hic a poeta fabulam tangi crediderim, alteram quidem Midæ, qui Tmoli inter Pana et Apollinem ju-

dicantis sententiam injustam vocando, pravi judicii præmium tulit *aures asininas :* alteram *Marsyæ* ab Apolline victi et excoriati. Forte legendum :

Quique colunt Pitanen, et *qua* tua munera, Pallas,
Lugent damnatæ Phœbo victore *Midææ:*
Quaque *Celænæus deceptis* Marsya *rivis*
Errantem Mæandrou adit, mixtosque refertur.

Midææ sive Midaion urbs antiquissima fuit, cujus meminit Steph. Byzant. *Midææ* urbs a Mida condita, luxisse dicuntur munera Pallados, sive tibias, quibus canens Pan a Phœbo lyræ cantu superatus fuit, et *damnatæ a Phœbo victore* recte dicuntur propter pœnam Midæ, quem ob ingenii stuporem longis auribus damnaverat. Dein *Quaque Celænæus* rescripsi ex Hamb. tert. qui habebat *Quaque celer rectis* proxime verum. *Celænæus Marsya* ab urbe Celænis, unde :

.... Illustres Satyro pendente Celænas,

dixit Statius, Theb. IV, 186. Tandem pro *et rectis ripis* vere, puto, correxi, *deceptis rivis errantem Mæandron*, id est, « recurvatis, incertis, nunc cedentibus, nunc in se redeuntibus aquis ludentem et cursus suos fallentem.» Manifesta imitatione Propertii, cujus verba, Lib. II, Eleg. 25, v. 35, plane expressit:

Atque etiam ut Phrygio fallax *Mæandria* campo
Errat et ipsa suas *decipit unda vias.*

Sic passim de Mæandro. Conf. Senec. Herc. Fur. vs. 684; Ovid. Met. VIII, 162. Sic Lucanus, nisi fallor, majori elegantia enituit. JEVER.

214. *Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes, Et felix, sic fama, Ninos: ventosa Damascus. Damascos* legendum, terminatione Græca. Valerius Probus, p. 1462: « In *cos*, ait, nullum nomen repperi latinum terminatum; unum repperi Græcum, *Damascos*, *Damasci*, sicut Lucanus, *ventura Damascos*, nomen civitatis. » Locum hunc respicit; sed quid facit *Ninos* inter urbes Syriæ? Non Syriæ erat Ninos, sed Assyriæ, ad Tigrim fluvium sita : tantumque abest, ut *felix* tum diceretur, ut diu ante excisa fuerit, vixque nomen, nedum potentiam retinuerit. Quid quod tum sub Parthorum ditione fuit? At Parthi, v. 265, Pompeio nullas copias submiserunt. Falsum igitur *Ninos :* quid illud alterum *ventosa Damascos? Ventura*, quod Probi nunc editio habet, prima fronte se ipsam redarguit: sed quis umquam dixit, aut dicere potuit χαρακτηρίζοντι epitheto, *Damascum ventosam?* Illane, præter alias urbes, ventosa, quæ sub monte Libano in valle amœnissima sita? Ni fallor, vera Lucani verba : « Et felix, sic fama, *nimis prunosa Damascos.*» Colb. veterrimus *Ninus*, iisdem apicibus ac *nimis. Nimis felix*, felicissima Damascus. Conf. Virgil. Georg. II, 458; Æn. IV, 657. Noster, *ut fama*, dicit, quippe non testis oculatus. Jam vero *prunosa Damascus* peculiari sibi epitheto; ut mox *Idume dives arbusto palmarum*, et

Sidon, murice pretiosa. Singulas urbes ex singularibus naturæ donis denominat. *Pruna Damascena* veteribus celebratissima; quin et hodie nomen servant. Columella, lib. X, 404:

Armeniisque, et cereolis, *prunisque Damasci.*

Sammonicus, c. 29:

Prunaque conveniunt, quæ mittit clara *Damascus.*

Prunosa igitur *Damascus;* plane ut Virgilio, Æn. III, 705:

Teque datis linquo ventis, *palmosa Selinus.*

Quod si quis hic objiciat, hoc vocabulum non hodie alibi exstare, neque *palmosa* nunc usquam alibi legitur, quam in isto loco Virgilii. BENTL.

Hoc loco æstuant interpretes. *Felix* cur dicta sit Ninus, equidem ignoro, et nulla conjectura assequi hactenus mihi datum fuit. Scholiastes delirat: « Ninus, Syriæ, inquit, civitas. Felix dicta, quod post victoriam de finitimis actam, rex Indorum eam condiderit, ibique victoriæ titulos consecraverit. » Oudendorpius ita dictam autumat ob ubertatem et divitias. Relandus ad Joseph. Antiq. Jud. lib. I, cap. 6, ob rerum gestarum gloriam. *Ventosam Damascum* dictam putat Scholiastes, quia ventis objecta est, quippe campestris. In recentioris notæ codice, glossa hæc erat, id est vana. His tamen nihil profectum, et latet nos hujus appellationis causa. Ut ingenue fatear, nec *ventosa* mihi nec *prunosa* Bentleii placet Damascos, et in illo vulgato *ventosa* antiquæ urbis nomen latere arbitror. Quare vix dubito, quin scripserit poeta,

Et *Belo sacrata* Ninos: *Palmyra*, Damascos,
Gazaque et arbusto palmarum dives Idume.

Vulgatum *sic fama* ineptum est, quum mox vs. 200, sequatur «famæ si credimus.» *Ninos Belo sacrata* sive a Belo condita. Utut enim Ninon sive Babylona a Semiramide conditam dicant multi auctores, non desunt tamen, qui majore jure *Belum* conditorem jactent. *Curtius*, lib. V, c. 1. Veritatem hujus emendationis jam firmabit *Scholiastes*, quem nunc ita corrigo. *Ninos*, Syriæ civitas. *Belo sacrata*, quod post victoriam de finitimis actam rex *Syrorum* eam condiderit, *sibi*que victoriæ *titulum consecraverit.* Rationem reddit, cur Belo sacrata *Ninus.* « Quia nempe hanc urbem victoriæ titulum sibi consecravit, regnique sedem ibi fixit primus ille monarchiæ Assyriorum conditor. »

219. *Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.* Quid hoc est? Cynosura nullis carinis certior quam Tyriis et Sidoniis? Soli Phœnices Cynosuram servabant, reliquæ gentes Ursam majorem. Quomodo ergo certior iis, qui ea numquam utebantur? Valer. Flaccus I, 17:

.... Neque enim in Tyrias Cynosura carinas
Certior, aut Graiis Helice servanda magistris.

Conf. Manilium, I, 306; et Germanicum in Arateis, v. 45.

Vides quidem ibi *Cynosura certior:* sed oratio diversa. Hic enim certa est illis, qui eam servant; at apud Nostrum certa est illis, qui negligunt. Rectius utique dixisset *aptior*. Sed verum est, quod Bersmanni codex suppeditat, ab ipso spretum: « *Gratior* haud ullis duxit Cynosura carinis. » Bentl.

Criticus non cepit sensum hujus loci: vult poeta nullis aliis certiorem esse Cynosuram, quam his quæ a Tyro navigant. Ed.

227. *Mallos, et externæ resonant navalibus Ægæ.* Cur *externæ* magis quam alia loca hic memorata? Nescio unde primum venerit. Codices nostri universi cum Rom. et Ven. *extremæ:* nempe *Ægæ*, Cilicum orbs, in extremo maris Mediterranei sinu. Bentl.

230. .... *Ganges, toto qui solus in orbe Ostia nascenti contraria solvere Phœbo.* Iterum insurgit Julius Scaliger (Hypercrit. VI, 6, p. 781), « quam sciens fuerit orbis terrarum, his ostendit Lucanus. An solus Ganges? nonne Padus, nonne Hister in Orientem fluunt? Quod si vult dicere, e directo solis orientis, hoc quoque falsum est, Ganges enim in Austrum exit. » In his nihil præter meram æruginem reperies. Quid Padum et Histrum narrat? Hoc ut nesciverit auctor? non noverit orientem et occidentem ubique terrarum esse, vicibus pro diverso respectu mutatis? non noverit ubique nasci Phœbum et occidere? Sed nascentem hic Phœbum, cum omnibus aliis poetis, pro extremis Asiæ finibus orientem versus ponit, ut IV, 72, fines Zephyri in Hispania collocat, etsi orbem terrarum non nescius fuerit rotundum esse. Jam vero Gangem in Eurum fluctus impellere, Lucani ætate crediderunt, etiam qui se geographos professi sunt. Strabo XV, p. 1011, ed. Casaub. « Fluvii, ait, Indici a Caucaso monte orti, alii ad meridiem feruntur, ut Indus; alii πρὸς ἕω ἐπιστρέφονται, ad orientem convertuntur, ut Ganges. » Codex Puteaneus: « Et adversum fluctus *attollit* in Eurum. »

235. *Quaque ferens rapidum, diviso gurgite, fontem Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen.* Nova correctorum flagitia. *Fontem ferens* quis mortalium intelligat? fons certe manet, rivos fertur. *Rapidum* amnem, fluvium, flumen, torrentem, ubique lego, *rapidum fontem* quis audivit? Unicum vero fontem toti Indo, qui tamen ingentem fluvium Hydaspen misceri sibi non sentiat, non tanta accessione crescat? Restituo: « Quaque *petens Rubrum*, diviso gurgite, *pontum*, Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen. » Pro *fontem* Bersmanni codex, habuit *pontum:* id præfert Colb. vet. et a manu secunda alter. Cætera ex conjectura dedimus, quæ ipsa se probant. *Rubrum* itaque *pontum*, qui ad Indiam et Taprobanam usque nomen tenet Conf. Horat. Carm. I, 35, 31: «Examen Eois timendum Partibus, *Oceano*–

que rubro. » Curtius VIII, 9, de Indo et Gange : « Uterque Rubro mari accipitur. » *Petens pontum*, ut passim alii. Virgil. Georg. IV, 522. B.

244. .... *Duri populus nunc cultor Amani.* Codices nostri universi cum Rom. et Ven. *non cultor.* Quod Grotio et Oudendorpio placet. Vulgatam tuetur Burmannus. Scholiastes nugatur, qui suis somniis viros doctos decepit. «Amanus, inquit, mons est Cappadocum, quem ideo dicit *non* coli, sive quia durus est et arari non potest ; sive quia isti semper hostibus occupati sunt et semper resistunt inimicis.» De Amano monte frustra solliciti sunt Critici, nam tangitur hic memorabilis Judæorum historia de Hamano, jussu Artaxerxis Ochi, ex eo, quod domi suæ Mardochæo erexerat, patibulo suspenso, et solenni Judæorum in rei gestæ memoriam instituto festo. Legi ea meretur libro Esther, cap. 3 et 4, et apud Joseph, Ant. Jud. lib. XI, cap. 6. Quare rescribendum : « Venere feroces Cappadoces, *diri* et populus nunc *ultor Hamani*, » ut *Judæos* innuat, solenne festum in memoriam liberationis suæ agitantes, et tralatitio more Hamanum hodieque cædentes. Nec mirum, Lucano innotuisse hanc historiam; Pompeius quippe Hierosolymam intravit, et arcanum templi penetrale vidit, qua occasione quum alia multa, tum hanc de Hamano et Mardochæo historiam cognoscere potuit, quorum fama postea Romæ percrebuit. Similiter II, 593, Cappadoces cum Judæis conjungit. Jev.

245. *Tenens volventem saxa.* Niphates ille saxa *volvens* vel *tollens*, sive mons sive fluvius intelligatur, mihi placere non potest. Hæsit et hic Burmannus, qui de monte intelligens *tollentem* legebat, quia a Pisandro poeta apud Steph. Byzantinum (p. 594) Niphates ἰϋσκόπελος vocatur. Hoc certe melius, quam *volventem saxa* de fluvio, quod hoc loco ridiculum videatur. Niphates mons Armeniam a Parthia disterminat, adeoque hic Parthiam vel Parthorum regem significat. Arguit hoc Claudianus, Cons. Honor. III, 72 : « Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten. » Hinc olim legebam,

Armeniusque *terens* volventem *insana* Niphaten.

Ut poeta designaret Phraaten, Parthorum regem, Artaxiam Artavasdis filium in regno Armeniæ vindicantem contra ipsos Armenios, qui fratrem ejusdem Tigranen regem petentes, Augusti opem imploraverant. Quo tempore missus ab Augusto Tiberius Tigrani regnum restituit, et Phraaten Armenia decedere jussit, teste Sueton. in Tiber. cap 8. Terebat igitur sive vincebat Armenius Parthum, *insana volventem*, sive stolida superbia regnum Armeniæ vindicantem, seque Romanis opponentem. Quantos gesserit spiritus Phraates, quantaque superbia Augusto rescripserit, constat ex Dion. Cass. lib. LV. Neque enim statim cessit Parthus aut Armeniam sollicitare destitit, nisi demum sub Caii Cæsaris adventum in Mesopotamiam, quum turbatis regni rebus diffisus, ancipiti pressus periculo, Phraates tandem pacem cum Roma-

nis fecit, ea conditione, ut Armenia cederet; quo tempore et signa militaria Crasso adempta a Parthis recepisse videntur Romani. Suetou. Aug. cap. 21. *Insana volventem*, id est, stulta superbia *grandia conantem*, ut ait Horat. Od. I, 6. «Vana tumentem,» Æn. XI, 854, dixit Virgilius. — Ita olim teutaveram hunc locum: sed uunc fere inducor, ut credam reliquisse nobis Lucanum,

Armeniusque tenens *solventem claustra* Niphaten.

Tenens sive coercens Parthum, Euphraten transire, et claustra Armeniæ, Zeugma, rumpere et laxare tentantem. *Solvere*, rumpere, laxare *claustra* frequens poetis, nullaque probatione indiget. *Casta* forte in codice vitiose scriptum fuit pro *castra* vel *claustra*, quod quum non caperent librarii, *sacra* substituisse videntur. *Claustra* et *castra* sæpe confundi solent in MSS. Vid. quæ notantur ad Lucan. VIII, 222. Ubi per *Caspia claustra* an non Zeugma intelligat poeta, valde dubito. JEV.

246. .... *Coastræ*. Colbertinus vetus cum tribus Bersmanni *Choatræ*, Χοάτραι.. Eo ducunt alii codices, qui *Cohatræ* habent cum editione Rom. et Ven. Val. Flaccus VI, 151 :

Centoras, et diros magico terrore *Choatras*.

248. *Umbras mirati nemorum non ire sinistras*. Hic quoque insultant viri sine dubio præstantissimi, sed nescio cur Lucano iniquiores. Scaliger filius hoc solum arguit, Lucani hic mentem esse, τοῖς ἀμφισκίοις, populis inter tropicos sitis, semper umbras in austrum, sive sinistras cadere. Scaliger vero pater (in Hyperer. VI, 6, p. 781) quid non calumniatur? « Nihil sinistrum vel dextrum, nisi animalium ratione : Pythagoram et Aristotelem dextrum mundi et sinistrum, non ad Austrum aut Aquilonem, sed ad Orientem et Occidentem : denique non verisimile esse, venisse ad Thessaliam milites ex intima seu Felice Arabia. » Patrem vero hic facile repellimus, per quem nec Lucano loqui cum populo licet, nec cum poetis rem amplificare. Quod filio dicamus, hoc est : non miratos esse Arabas, non semper isse umbras sinistras; sed tum dextras isse, quum in sua regione irent sinistræ. B.

249. ... *Olostras*. Quin et nostri omnes cum Rom. et Ven. *orestæ*. *Oretas* Scaliger legit, Prolegomenis in Manilium (p. 13, ed. Argent).

250. *Carmanosque duces*. Bellos sane *duces!* exclamat Bentl. et corrigit : « Carmanosque *truces*. » Cur *truces* dicantur, ex Strabone disces, lib. XV (p. 727, al. p. 1057.) « Nemini, inquit, Carmanorum uxorem ducere fas est, nisi hostis occisi caput ad regem tulerit? Rex calvariam inter thesauros reponit, linguam farina oblitam degustat, reliquam ei qui attulit et circumstantibus comedendam dat. » Noster I, 431 : «Vangiones Batavique

truces. » VII, 231 : « Inde truces Galli. » Val. Flaccus, VI, 43 : « Heniochosque *truces.* » Juvenalis, XV, 125 : « Sauromatæque *truces*, » et sic alii de aliis.

252. *Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes.* Frustra hoc exagitat vir summus Jos. Scaliger Prolegomenis ad Manilium (p. 13). Carmani, ait Noster, ultra Cancri tropicum siti vident Arcton (seu Septem Triones) in Oceano mergi, etsi non totam; quæ Romæ apud nos ex nulla parte mergitur. Præterea apud nos sero mergitur Bootes; Carmanis tamen citius occidit quam nobis; lucet magis *exigua nocte*, *velox* magis illic ad horizontem descendit, quam hic: idque evenit ob diversam sphæri positionem. Versum tamen spurium existimo, non ob sententiam, sed ob verba; quæ cum prioribus male cohærent: *ibi*, nempe in Carmania, at *duces* dixit, non *locum*. BENTL.

In his verbis explicandis Glareanus, Hortensius, Bersmannus, etc. sudant et æstuant, frustra tenebroso huic loco lucem affundere conati. Nec Burmannus aut Bentleius quidquam tentarunt. Corruptus nihilo minus hic locus est, ut non mirer, altas hic viris doctis fuisse tenebras. Quantæ etenim stultitiæ damnandus non videatur poeta, si cogitare umquam potuerit, *Arcton mergi*, sive occidere vel totam vel ex parte! Notum illud Virgilii, Georg. I, 246:

Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Sed non adeo deliravit poeta, qui sciebat, Arcton numquam occidere. Conf. VIII, 175. Quin igitur illud *mergi* vitiosum sit, ne dubitari quidem potest. *Jungi* habet Cod. Amstel. Dein variant Codices, in quibus vel *devexus* vel *deflexus* comparet. Maxima pars *jam flexus* exhibet. Bentleius, quia in Colbertino Cod. invenerat *quorum itame flexus*, rescribit: « ...quorum *it deflexus* in Austrum Æther, » et simul versum 252 tanquam spurium proscribit, sed immerito! *Devexus æther* quin elegans sit, nullus dubito, sed hoc loco menti poetæ omnino repugnat, qui non vult indicare, Carmanos plane in Austrum projectos (tum enim ipsis non Arctos, sed Canopos, australe sidus, appareret), sed cælum illorum aliquantum in Austrum inclinari dicit. Quare rescribendum crediderim,

Carmanosque truces, quorum *ut jam flexus* in Austrum
Æther, non totam, *verti* tamen adspicit Arctun,
Lucet *at* exigua velox ibi nocte Bootes.

Ut *jam flexus* rescripsi; particula enim hæc excidisse videtur. « Quorum æther, quamvis quodammodo in Austrum flexus, adeo ut *non totam* quidem Arcton, partem tamen, *Cynosuram* nempe sive *Ursam Majorem*, cum Boote in axe suo vertentem videre queat, sed Bootes, pro ratione breviorum

ibi noctium, illis celeriter circumagi videtur, quum borealibus populis tardus appareat. » Et recte hæc de *periodica* Arcti sive Bootæ conversione ceperat astronomiæ, si quis alius, peritissimus Scaliger, licet Bersmannus rapere non potuerit. *Vertitur* Arctos proprie in axe suo, ut Ovid. Trist. I, 3, ait: « *Versaque ab* axe suo Parrhasis Arctos erat. » Velox vero in Carmania ideo dicitur Bootes, quia ibi et tardius oritur et citius occidit, quam in locis borealibus, adeoque longe minori temporis spatio lucet; ut egregie evincit Jac. Palmerius in sua pro Lucano Apologia, ubi Poetam contra iniquam Scaligeri censuram tuetur; atque simul hinc jam constare poterit, Bentleium hunc versum immerito tanquam spurium damnasse. JEV. — Jever *at* pro *et* contra usum loquendi corrigit. Sed optime omnia cohærent, modo conjungamus, « quorum auster jam flexus adspicit, etc. et quorum Bootes velox ibi nocte exigua lucet, » ita ut *et* copula secundo loco, ut sæpissime scripta sit. *Ibi* autem non ad verbum *lucet* sed ad verbum *velox* pertinet, transitu a populo ad terram sive ad locum facto. *Velox* vero nominatur, quia cito videtur eis vergi ad occasum. WEB.

253. *Æthiopumque solum, quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli.* « Hic vero, inquit Julius Scaliger (Hyperc. VI, 6.), nequeo satis mirari, quid Lucano venerit in mentem. Duo hic errores. Primo, si extra Signiferum ungula Tauri promineat, Scorpius pæne totus prominet. Deinde, si Tauri ungula supra verticem Æthiopum est; erunt et cætera signa, Gemini, Cancer, Leo, quæ in eodem parallelo sunt. » Hæc fere Scaliger, et stultissimam hanc lectionem indefensam reliquit Palmerius. BENTL.

Locus hic intricatissimus, quem frustra explicare aggressi sunt interpretes, quemque Glareanus merito inexplicabilem pronuntiavit. Servii locus, a Grotio adductus, ex Æn. VI, 795: « Jacet extra sidera tellus, Extra anni solisque vias, » aliquid lucis affundit. Ita Servius: « Nulla terra est, quæ non subjaceat sideribus. Unde perite addit, *Extra anni Solisque vias*, ut ostenderet XII signa, in quibus est circulus (f. circuitus) solis. Significat autem *Maurorum Æthiopiam*, ubi est Atlas. De qua ait Lucanus, *Æthiopumque solum*, etc. » Ast, quæso, si Servii sententia vera est, qui fieri jam possit, « ut *Taurus*, sidus magis boreale, sub quo Scythia et Asia jacet, *ungulam* extra Zodiacum *protendens premat* Æthiopiam Maurorum? Silent interpretes, et neque Oudendorpius, neque Burmannus hic quidquam absurdi suspicati fuisse videntur. Solus Bentleius mendam latere vidit, et arguta conjectura rescribendum esse docuit *truncati capri*, id est, Capricorni, quam emendationem firmat rationibus astronomicis et Manilii loco. Verissime; nam sub Capricorno Æthiopia Maurorum. Ast ne sic quidem persanatus locus. *Lapsus poples* inepte dictum, et quomodo flexo poplite procedere dici possit ungula Capri haud video. Crediderim reliquisse poetam,

... nisi poplite *lasso*
Ultima *truncati procumberet* ungula *Capri*.

Lasso scilicet *poplite ungula Capri extenditur* et *procumbit* ultra Zodiacum in Mauritaniæ Æthiopiam. Eaque τοῦ *procumbere* significatio est, III, 713:

> *Sedibus expulsi*, postquam cruor omnia rupit
> Vincula, *procumbunt* oculi.

Id est, prominent extra sedes suas, in genas effusi. Atque hoc lasso popliti optime congruit; homines enim fessi et longa via fatigati debiles pedes extendere solent. Jev.

257. *Non diversis fontibus edit Persis*. Intricatissimus locus, ubi frustra æstuant viri docti. Alii *non diversis* explicant, non procul distantibus; alii uno ex fonte oriri putant Tigrin et Euphraten, decepti male intellecto Boethii loco, de Cons. Phil. V, Metr. 1. Scholiastes, qui viros doctissimos in errore confirmat, ingenii sui divites hic recludit thesauros. Ita ille: « Duo flumina Tigris et Euphrates uno fonte procedunt, sed Tigris vadens contra Assyrios, Euphrates contra Chaldæos, Mesopotamiam mediam inter se terram faciunt. Nam μέσος medius et ποταμὸς fluvios apud Græcos dicitur. Quæ duo flumina nisi Mesopotamia separaret, incertum esset, utrum Euphrates an Tigris diceretur. » Piget ineptiarum! *Persis* ridicula est, quippe est contra ipsam poetæ τοπογραφίαν. Præterea falsum est, Persiam edere illos fluvios. *Non diversi fontes*, pro, non multum distantibus, vel pro eodem fonte, sine ratione dictum est et sine exemplo. Repono:

> Quaque *cadit torrens* rapido cum Tigride magnus
> Euphrates, quos *ut* diversis fontibus *egit*
> *Lapsus; ita* incertum est, *ubi* miscuit *alveus* amnes,
> Quod potius sit nomen aquis. *Dispersus* in agros
> Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ.
> At, etc.

Proposita emendatione, nunc sensum poetæ videamus. Ex tota Græcia, Thracia, Asia minori, India, Syria, Arabia, Æthiopia, Pompeio auxilia venisse dicit poeta. His nunc Asiam majorem jungit, et Judæos, Armenios, Carmanos et denique Medos adjicit. In Media enim sive Susiane oriuntur hi duo rapidissimi amnes, « qui, diversis et separatis fontibus per varios terrarum tractus ubi diu fluxerunt, tandem juxta Babyloniam confluunt; ubi mox diviso flumine divertentes, et Mesopotamiam proprie dictam includentes, tandem iterum conjunguntur, unoque alveo sub Tigridis nomine in sinum Persicum se exonerant. » Vid. Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 977, etc. Dicit igitur Lucanus: « Quin Media Pompeio in auxilium venit, ubi magnus Euphrates torrens devolvitur cum rapido Tigride, qui fluvii, quemadmodum diversis fontibus diu separati fluxerunt nomen suum servantes, ita ubi confluunt et in unum fontem se resolvunt, incertum est, Tigris an Euphrates vocari debeat. Euphrates quidem per agros et campos diffunditur, cosque

more Nili fertiles reddit. Sed Tigris, etc. » Ita omnia cohærent. *Torrens cadit* Euphrates sive magna celeritate et violentia devolvitur. Ita *torrens* Hiberus VII, 15; Nilus IX, 156; Rhodanus apud Claudian. Epigr. I, 1. Neque ulla ratio hic est, cur stolida superbia hic *caput tollat* magnus cum Tigride Euphrates, neque ea verba pro, oritur ex fonte suo, commode adeo atque eleganter explicari posse credo. Dein rescripsi: quos *ut lapsus egit, ita*, etc. Uterque enim fluvius, separato fonte, diu currit per totam Mediam, antequam juxta Babylonem fluat. Parthia sive Persia hic absurda est; de Parthis enim mox, vs. 266, agit. Quare *Persis* in *Lapsus* mutare sustinui. *Lapsus* de cursu fluminis frequens poetis. Eleganter vero lapsus *agere* dicitur bos fluvios diversis fontibus, sive hi fontes diversi *lapsus suos agere*. Ita l. X, 315, de Nilo, « mox *te* deserta secantem Mollis *lapsus agit*. » Mox vero *tellurem* in alveum audacter mutavi: sequitur enim et tertio abhinc versu *tellus*, et hic eam vocem ex glossa ortam suspicari licet. *Alveus* miscet amnes, quando duo fluvii in unum alveum confluentes aquas suas miscent. *Tellus* hic plane otiosa est. *Dispersus* ipsa sententia postulat, ne duæ adversativæ conjunctiones inepte concurrant. Euphrates enim non solum simpliciter spargitur, sed variis brachiis huc illuc *dispergitur* per agros, Niliquè vicem præstat fertiles eos reddendo. JEV.

261. *At Tigrim subito*. Sermo hic quodammodo ἀνακόλουθος videtur, et vehementer offendit me illud κακόφωνον in *cursus* et *rursus*, ut sic a Lucano profectum haud credam. Sane *tellus* improprie admodum Tigrin non abnegare undis pelagi dicitur, et *tegit occultos cursus* proletarium est. Legendum suspicor:

> At *Tigris*, subito *ut* tellus *absorpsit* hiatu,
> *Occulto pergit cursu*, rursusque renatum
> Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.

Ut Tigris dicatur non abnegare suum flumen pelago, quod vulgata longe elegantius. *Ut tellus absorpsit* rescripsi, nam τὸ *ut* propter sequens *tellus* excidisse videtur. *Pergit occulto cursu*, ut Virgilius ait, « occultas agit vias » Æn. III, 695. Eleganter vero Tigris *non abnegare flumen suum* pelago dicitur, pro exonerare se in mare. Ut vero hic Tigris non abnegare dicitur undas pelago, ita simili modo Nilus antiquo alveo sua flumina reddere dicitur Ovidio, Met. I, 423.

265. *Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem*. Egregium epitheton, tum *Parthi pugnaces*, quum minime pugnarent; quum a neutris partibus starent, sed belli eventum leote et otiose specularentur. Non ea Lucano incuria, nec artis ignorantia. BENTL.—*Pugnaces* non convenire judicat Bentleius, atque ideo legit *ancipites* vel *fallaces*. Sed vulgata sollicitanda non est. Favet Pompeii partibus Lucanus, qui Parthorum auxilia sollicitare voluit, adeoque eos *pugnaces* fingit. Et sane Parthi satis metuendi erant Romanis, qui clade

Crassi vires eorum experti fuerant. « Contenti fecisse duos, » fateor lubens, me ignorare. Anne significet hoc, occiso Crasso, Triumviros redegisse ad duos, ut Burmannus capere videtur, licet obscurius dictum agnoscat? vel cum eodem summo viro legendum fuerit : « Contenti fecisse *duo*, » id est, signa et acies? Ut verum fatear, vix ausim. Prius longe nimis quæsitum; posterius a veritate alienum. Non enim Parthi diviserant Romanos, sed Romani, Pompeio et Cæsare ducibus, partes fecerant. Crassus quidem belli civilis *mora* vocatur, I, 100, cujus potentiæ metu continebantur Pompeius et Cæsar, et quo in Parthia cæso discordare cœperunt. Sed Parthis hoc imputari non potest, quasi studio et dedita opera fecissent, siquidem præter opinionem eorum id accidit, quod patet ex vs. 107, eodem libro. Divinaverim, hic scripsisse poetam : « Contenti fecisse *suos*. » Sive utrosque demeruisse, sibique amicos et faventes reddidisse. Parthi non immerito bellum metuebant a Romanis, satisque sibi ducebant, si belli metu liberi eos sibi amicos reddidissent. Illa pronomina possessiva, *meus, tuus, suus*, cum verbo *facio* eleganter ea significatione construuntur. Nepos Alcibiad. cap. III : « Multos enim liberalitate devinxerat; plures etiam opera forensi *suos reddiderat.* » Jev.

266. .. *Tinxere sagittas Errantes Scythiæ populi. Tinxere* codices nostri omnes : sed acutissimus Heinsius in uno reperit *unxere*; quod ille amplectitur ad Silii IX, 12. Virgilii loco fretus, IX, 772 :

> ... quo non felicior alter
> *Ungere* tela manu, ferrumque armare veneno.

Frustra. Ovid. Trist. III, 10, 64 :

> Pars cadit hamatis misere confixa sagittis :
> Nam volucri ferro *tinctile* virus inest.

Plin. Hist. XVIII, 1, § 2 : « Quod tamen eorum (animal sc.) tela sua, excepto homine, venenis tingit? Nos et sagittas tingimus, ac ferro ipsi nocentius aliquid damus. »

267. ... *Quos gurgite Bactros Includit gelido.* Solinus XLIX : « Oxi amnis oras Bateni et Oxydracæ accolunt : sed præcipuam partem Bactri tenent. Bactris præterea est proprius amnis *Bactros;* unde et oppidum, quod accolunt, Bactrum. » Curtius VII, 4 : « Ipsa Bactra, regionis caput, sita sunt sub monte Parapamiso : Bactrus amnis præterit mœnia : is urbi et regioni dedit nomen. »

269. *Hinc Lacedæmonii moto gens aspera freno Heniochi.* Non placet *moto* freno. An *docto?* Seneca Hippol. 1259 : « ... Tortis hic dextræ locus, Hic læva frenis docta moderandis manus Ponenda. »

273. ... *Diversi nomina mundi.* Locus hic inquinatissimus, variisque scatet mendis. Quid enim, cedo, est, quod *Tanais* dicitur *nomina imponere*

ripis *diversi mundi?* quæ nomina? dein quis umquam *mediæ confinia terræ* audivit? Certe, quæ media illa terra esset, ignorare se fassus est Bentleius, et ideo conjiciebat, « Medio dirimens confinia tractu, « acute quidem, sed non vere. Variant Codd. Alii *diversi*, Oudendorpius *divisi*. Sic VIII, 290 : « *Dividit Euphrates ingentem gurgite mundum.* » Legendum suspicor : « Diversi *flumina* mundi *Impertit* ripis, Asiæque et terminus idem Europæ, *geminæ* dirimens confinia terræ, Nunc *hunc*, nunc *illum*, qua flectitur, ampliat orbem. » Eleganter Tanais sua flumina *impertire* dicitur ripis diversi mundi, dum *geminæ* terræ, id est, Asiæ et Europæ confinia dirimit. *Impertit* sive communicat sua flumina ripis utrinsque orbis. Frequens Ciceroni, Terentio aliisque aurei seculi scriptoribus hoc verbum. *Geminæ* porro *terræ confinia* dirimit Tanais, quæ absque eo confunderentur : medius enim Tanais facit confiniorum discretionem.

277. *Quaque, fretum torrens, Mæotidas egerit undas Pontus, et Herculeis aufertur gloria metis*. Colbertinus alter, Trin. Cantab. aliique cum Veneta, *Mæotidas*; contra alii numero plures cum Romana, *Mæotidos*. Valerius Probus p. 1397, « Genitivus, ait, singularis *os* syllaba terminatus, in græca declinatione corripitur. Lucanus : Ut Pagasæa ratis peteret quum Phasidos (II, 715.) Et in tertio : Quaque fretum torrens Mæotidos. » Hinc certissimum est, Probi olim codices habuisse *Mæotidos*. Bersmannus tamen, et Heinsius malunt *Mæotidas undas*. Mihi vero neutrum placet. Quis enim orationis exitus? nullus utique præter istum : « Pontus, fretum torrens, egerit undas seu Mæotidos, sive Mæotidas. » Quis vero ferre potest, *Pontus fretum torrens* per appositionem dici? Quale vero illud, *Pontus egerit undas Mæotidos?* Immo Pontus accipit, Mæotis in Pontum *egerit*. Hic felix Bentleii audacia ingeniosissime restituit, rescribens,

> Quaque fretum torrens Mæotidas egerit undas,
> *Et vetus* Herculeis aufertur gloria metis,
> *Oceanusque negat* solas se admittere Gades.

Capitalis emendatio, quæ ipsam nobis Lucani manum sistat, dummodo pro *egerit* legamus *ingerit*, quod comparatio Oceani Atlantici per columnas Herculis se insinuantis requirit. Eodem enim modo hic *fretum torrens* sive (borealis) Oceani irrumpentis alveus (ut recte explicat vir summus) terris *ingerens* Mæotida, jure neget solas esse Gades, quæ se recipiant. Jev.

280. *Hinc Essedoniæ*. Alii legunt *et Sidoniæ* gentes, quasi a Sidoniis sive Phœnicibus oriundæ. Alii *Sithoniæ*, scilicet Scythi, Thraciæ propinqui, a monte Thraciæ Sithone. Sed Valer. Flaccus VI, 750 : *Essedoniæque phalanges*. Recte et *Issedoniæ*. Stephanus, p. 426 : Ἰσσηδόνες, ἔθνος Σκυθικόν. Εὑρίσκεται δὲ παρ' ἄλλοις διὰ τοῦ Ε. Ista Lucano littera placuit; unde error librariis : vide Heinsium ad Val. Flacc. VI, 95.

284. *Non, quum Memnoniis deducens agmina regnis Cyrus, et effusis numerato milite telis Descendit Perses.* Academicus *Xerxes*, et Harleianus *Xerses.* Diodorus p. 109 : Συμμαχία τοῖς Τρωσὶν ὑπ' Ἀσσυρίων, ἧς ἐστρατήγει Μέμνων ὁ Τιθωνοῦ. Et mox, Ἀμφισβητοῦσι δὲ οἱ περὶ τὴν Αἴγυπτον ἄνθρωποι, λέγοντες ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις γεγονέναι τὸν Μέμνονα. Recte. Cyrus — descendit, Perses : de eodem dictum. Κῦρος Πέρσης. Descendit. C. Nep. in Aristide c. I: « Nam postquam Xerxes in Græciam descendit. » BENTL.

Locus hic corruptus. Interpretes tamen leviter transeunt. *Regna Memnonia* nihil aliud notare possunt quam Æthiopiam, ubi regnavit Memnon. Nam Susa vocari Μεμνόνειον ἄστυ, nihil ad rem facit. Quare Cyrus et Memnonia regna se mutuo evertunt. Numeratus porro effusis telis miles, sive ea, quam refert Scholiastes, fabula de ridicula illa Persarum, occisorum militum numerum per tela ineundi, consuetudine non multum elegantiæ habere videtur. Denique *percutere æquora classibus* quid significet, videre nequeo. Quid multa? *Cyrus* cum illis *Memnoniis regnis* errore hoc intrusus videtur, nam *agmina* illis regnis *deducens* nihil memorabile præstat, et similiter ita magnus Perses, tantum *descendit*, nec quorsum descendat, quidve agat, scire nobis licet. De Xerxis, nisi fallor, in Græciam cum innumeris copiis descendentis *introitu* agit hic poeta. Facessat igitur ilicet hinc Cyrus, cui nec tanta umquam copiarum multitudo fuit, quique parva manu validissimos hostium exercitus aggredi et profligare noverat, ut testantur historiæ. Xerxen vero in Græciam descendere jubeamus, si qua ratione efficere potuerimus. Crediderim fere, auctorem nobis reliquisse hoc modo,

> Non *tot, in Aonios quum* ducens agmina *fines*
> *Movit*, et effusis *umbratu sidere* telis
> Descendit Perses; fraternive ultor amoris
> *Pergama conjunctis petiit cum* classibus, unum
> *Tunc* reges habuere ducem : coiere nec umquam
> *Tot* variæ cultu gentes, *tot* dissona vulgi
> Ora, *quot* immensæ comites missura ruinæ
> Excivit populos, etc.

Ut sensus sit : « Numquam antea tot reges uno sub duce militarunt, neque quum Xerxes movit in Græciam, neque quum Agamemnon ad vindicandam Helenam conjurata cum classe Græcorum Trojam petiit. Neque umquam tot diversæ cultu gentes, tot diversarum linguarum milites in unum exercitum collecti et congregati fuerunt, quot Fortuna Pompeio coegit, dignas funere inferias. » Ducens agmina in *fines Aonios* est in Bœotiam, in Græciam. Ovidius in Fastis, I, 489 : « Passus idem, Tyriis qui quondam pulsus ab oris Cadmus, *in Aonia* constitit exsul *humo;* » id est, in Bœotia. *Movit*, id est, expeditionem suscepit, quo sensu *movere* et *movere castra* frequens. Dein *umbrato sidere* lego, id est, *sole* multitudine sagittarum *tecto* et oculis crepto.

Notum ex Cicerone Lib. I, Quæst. Tusc. cap. 42. *Umbrare* solem est tegere. Apposite Claudianus Lib. II, in Rufin. vs. 120:

> Haud aliter Xerxen toto simul orbe sequutus
> Narratur rapuisse vagos exercitus amnes,
> Et *telis umbrasse diem*.

Numeratio illa militum juxta Scholiasten magis ad *contemptum*, quam ad terrorem vel admirationem faciat; et passim in prœliis recensendis hoc modo luxuriantur poetæ, ut solem, cælum et diem nube sagittarum tegi et obumbrari dicant. Mox, « Pergama conjunctis petiit cum classibus » refinxi, quia alias ille «fraterni amoris ultor» quis esset, dubitari merito poterat, et *percutere æquora* classibus insolentior locutio videtur. *Tot* denique et *quot* ipsa sententia, et poetæ comparatio aptaque totius loci connexio postulat. JEV.

290. ... *Mixtura ruinæ*. Omnes quidem veteres nostri cum Rom. et Ven. *missura*, et affert Bentleios Æneid. II, 86. Sed bene se tuetur *mixtura*. Sic enim VII, 655: « Gentesque suæ miscere ruinæ. » Nostras P. CORNEILLE, *Mort de Pompée*, Act. I, sc. I:

> Auteur des maux de tous, à tous il est en butte,
> Et fuit le monde entier écrasé sous sa chute.....
> Et sa tête qu'à peine il a pu dérober
> Toute prête de choir cherche avec qui tomber.

Burmann. tentabat *comites mersura ruina*, non feliciter. ED.

293. *Marmaricas*. Alii *Marmaridas*, qui Libyæ populus, ejus quæ Mareotes dicitur. Sed Ptolemæus auctor est Marmaricæ Libyæ censeri Cyrenaicam. Conf. VI, 309.

296. *Ne non semel*. Male quidam tentant *simul*. Sed loquutio illa magis Lucano familiaris, I, 317; II, 147 et passim. ED.

299. *Rapto*. Alii *rapido*. Sic apud Tacit. Hist. II, 30: « Rapido agmine Cæcinæ junguntur. » — *Supervolat Alpen*. Non solus usurpavit Lucanus in singulari. Adducit Briosius Ovid. de Art. Am. lib. III; Juven. Sat. X, 152; Claudian. de Laud. Stilich. III, 285.

302. ... *Fidem, signataque jura*. Modios olim reponebat « sacrataque jura; » sed non est opus. Propertius III, 19, 5:

> Fœdera sunt ponenda prius, signataque jura.

309. ... *Latiis quæcumque annalibus ætas*. Justinus XLIII, 5: « Massilienses cum Romanis prope ab initio conditæ urbis fœdus summa fide custodierunt. »

311. *Accipe devotas externo in prœlia dextras*. *Externis bellis*, quarto ante versu, et secundo post *prœlia dira* habemus. Ergo hic aut scripsit, aut potuisset scribere,

Accipe devotas *concessa* in *munia* dextras.

Accipe in omnia lirita obsequia atque officia : modo nihil nefandum sit, quale hoc bellum civile. Bentl.

Mendosus locus. *Externa* enim illa *prœlia* hic ridicula videntur, quia quivis facile hoc intelligit, quum *ignoto urbe* triumphi peti dicantur. Præterea mox *dira prœlia* inepta ταυτολογίᾳ sequuntur. Sensit hoc Bentleius, sed emendatio, quam profert, vulgatæ scripturæ et castiori Latinitati refragari videtur. *Concessa* illa *munia* paucis, credo, placebunt. Melius utique sequenti versu *dira funera* scripsisset. Sed non opus. *Æterna* est in Cod. Thuan. Optime. Legendum censeo : « Accipe devotas *æterna in fœdera* dextras. » Id est, in æternam belli societatem. Fidem enim suam hic jactant Massilienses, dicuntque, se in *externis* bellis semper *communia* cum Romanis fata tulisse, ut fidus socius, et hinc, si contra externum et ignotum hostem arma sumat Cæsar, æternam ipsi belli societatem contra communem hostem offerunt. Sin vero civile bellum moveat, neutrarum se partium fore, et utrisque *latebras* et secretum perfugium præstituros. Quare lego : « ...*latebras* civilibus armis Secretumque damus. » *Lacrimæ* enim ineptæ sunt. Orant enim, ut a Cæsare et Pompeio ipsis hæc gratia fiat, ut ne bello civili se immiscere cogantur, quo Massilia habeatur pro *asylo*, ubi inermes convenire et de pacis conditionibus agere possint. Probant, quæ sequuntur vs. 330. *Latebræ* hic sunt, tutum a bellis civilibus perfugium et quasi inviolabile asylum. Ita lib. V, vs. 743, Lesbus tuta bellorum latebra dicitur Corneliæ :

> Cedendum est bellis, quorum tibi *tuta latebra*
> Lesbos erit.

Ita omnes æstus virorum doctorum facile componuntur, et manum ipse suam agnoscit poeta. Jev.

315. *Si cœlicolis furor arma dedisset.* Insolentior merito locutio hæc videri potest; quis enim, aut unde hic *furor*, qui *cœlicolis arma dedisset*, vix apparet. Hæc, credo, causa fuit, cur Witbofius legeret : « Si *cœlicolas* furor *inter adesset.* » De Deorum contra Jovem rebellione, et Gigantibus, cælum oppugnare tentantibus, agit poeta. Quare legendum suspicor : « Si *cœlicolum* furor arma *pararet*, » Contra Jovem nempe, quod et aliquando ausi fuerunt, sed irrito conatu. Ita structura verborum multo planior fuerit : *pararet* arma, *tentarent* astra, apto utique et concinno nexu. Jev.

320. ...*Solum regnare Tonantem.* Menda hic latet. Nonne enim Jupiter semper solus in cælo regnavit? Et quæ hæc loquendi striblign per fulmina *tantum* sciret *solum* Jovem regnare? Lego : « ...per fulmina tantum Sciret, adhuc *cœli solio* regnare Tonantem. » In solio cæli, id est, in throno cælesti, in regno cæli. Jev.

324. *Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent Fata.* Locus hic

difficillimus sensusque intricatissimus. Variant etiam Codd. *facta* pro *fata* in Hamb. *alii* pro *aliis* Bersm. Ut fatear, spissæ mihi videntur hic tenebræ: neque enim, quid sit *recusare fata* Cæsaris, videre possum, nec, cur *alius* miles non *committat* vel *comitetur* hæc prælia, concipio. An *finis adest rerum* significabit, finis erit bellorum civilium? *committere* arma illis, quibus fas *est*, erit, permittere externis jus contra Romanos bellandi? ubi hoc pictum vel scriptum? *comitetur prœlia* legunt Oudendorpius, Cortius et Withof. in Encaen. Crit. qui et pro *rerum* rescribi jubet *remur*. Bentleius corrigit: « Finis adest *rebus*.» *Res* pro bello civili capit Oudendorpius, Scholiastæ ultimam explicationem sequutus, sed sine ulla, puto, auctoritate. Credo, a manu poetæ hoc modo relictum fuisse:

Sit mens ista quidem cunctis! *jam* vestra recusent
Vota, neque hæc *Latius comitetur* prælia miles,
Cui *mox* conspecto languebit dextra parente,
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.
Finis adest rerum, *nisi si* committitis illis
Arma, quibus fas est.

Ut sensus poetæ sit: « O utinam omnes ita animati essent, uti nos, bellumque civile aversarentur! Tunc omnes ilicet vestra vota recusarent, et a bello discederent, neque ullus Italiæ civis huic bello se immisceret, quippe cui statim conspecto parente vel fratre pietas tela manu excuteret. Finis totius Reip. adest, nisi si arma convertatis in hostes externos, quibuscum solis bellum gerere licet. *Jam recusent vota* vestra, id est, nolint bellum gerere, quod vobis in votis est. *Latius* miles pro Italo, ut *dux Latius*, IX, 546; *Latius orbis*, I, 22, et VIII, 345; *Latia plebs*, lib. X, vs. 403. *Latius sanguis*, VII, 537. *Mox* vero, sublata interrogationis nota, rescripsi, id est, statim, simul ac parentem vel fratrem aspexisset. Dein *nisi si* correxi, pro *si non*; prior enim syllaba τοῦ *nisi* absorpta fuisse videtur ab ultima litera vocis *rerum*. *Committitis* arma illis vero hoc sensu a *Lucano* hic sumitur, ut «committere certamen, bellum cum hoste» dixit Livius, et Cæsar, Bel. Gall. lib. I, c. 16: « Cum equitatu Helvetiorum prælium committunt. » Ita melius cohærebit legati Massiliensium oratio, et clara ex his tenebris lux resurget. Jev.

328. *Finis erit rerum*. Mavult Bentl. *rebus*. Male; nam intelligit res humanas, contra sensum qui recte sic se habet: « Finis adest belli civilis, si non committitis arma externis, quibus fas est suscipere arma; quia concives propter consanguinitatem, et affinitatem non diu gerent inter se bella. » O.

334. ... *Ut invictæ Fatum si consulat Urbi*. Alibi hoc epitheton equidem et ferrem et laudarem. Quid autem opus, ut Fatum ei consulat, provideat, prospiciat, si tum quum maxime invicta est? periculum certe est, ne a se saltem vincatur, ne suis ipsa viribus ruat. Scripsit sine dubio poeta,

Ut *invitæ* Fatum si consulat urbi.

Urbi scilicet in se armatæ Fato favente opus erat, ut vel invita servaretur: non civium certe virtute et fide, sed solius Fati munere.

337. ..... *Non pondera*. Depravatus insigniter hic locus est. Nam Massilienses inepte prorsus dicuntur *nec pondera*, *nec momenta* esse. Longe enim aliud est *pondus;* aliud *momentum*. Proposita emendatione hoc patebit. *Felicia* porro illa *arma* satis infeliciter huic loci intrusa mihi videntur. Denique illa, *tuti*, *quos sola illustrat fides*, inconcinna prorsus et languida apparent. Legendum suspicor :

> .... *nam in pondere* rerum
> Nec momenta sumus. Numquam *hæc civilibus* armis
> Usa manus, patriæ primis *sic* sedibus exsul;
> Et post translatas *infaustæ* Phocidos *aras*
> Mœnibus exiguis alieno in litore *tutos*
> Illustrat *nos* sola fides.

Nam in pondere lego, hoc sensu : In *pondere* rerum Romanarum nos ne *momenta* quidem sumus; sive nullum momentum habere videmur, ut pari pondere libratam hinc inde lancem inclinare valeamus. *Momentum* enim minimum ponderis, quod solet adhiberi ad æquandam vel inclinandam libram. Paribus ponderibus sub Cæsare et Pompeio libratus videbatur orbis Romanus; Massilienses ne *unius* quidem *momenti* erant. Sic IV, 819 : « *Momentumque* fuit mutatus Curio *rerum*. » Curio a libertatis studio deflectens, mutata morum vitæque ratione, *magnum momentum* attulit ad inclinandum Reip. statum. Sic *maxima fati momenta*, sive quæ fata ducum et Reip. inclinare possent, lib. IV, vs. 3. Sic *momentum rerum*, VII, 117. Porro *hæc manus* rescripsi δεικτικῶς; Massilienses nempe, qui, tantum aberat, ut bello civili (*civilibus* enim dedit poeta, non *felicibus*) umquam uti voluerint, ut potius ad vitanda civilia bella patriam antiquam olim reliquerint, in voluntarium exsilium profecti. *Sic* exsul, id est, hoc modo, propter bella civilia. Mox *aras infaustæ Phocidos;* dura enim et insolens locutio videatur, si *exhaustæ* urbis arces transtulisse dicantur. Aras deorum Penatium transferebant, qui novam in urbem migrabant. Conf. Virgil. Æn. II, 293. *Infaustæ Phocidos*, id est, infelicis, miseræ propter civilia bella. Denique *nos tutos* dedi, quod vulgata longe elegantius videtur, et sensum planiorem efficit. Illud enim pronomen *quos* omnem Massiliensium legati fiduciam et παῤῥησίαν infringit et tollit, et, nisi admissa fuerit hæc emendatio, tum illa vox *tuti* nihil habet quo referatur, et sensu plane destituta erit. JEVER.

340. *Exustæ*. Dubitat Burmannus, an Phocenses relictam urbem incenderint. Ergo conjicit *exhaustæ*.

343. *Perfringere portas.* Alii *præstingere*, *præstringere*. Cortius *refringere* conjicit.

347. *Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni, Fœdaque contingi maculato carpere morsu.* Colb. et recentiores quoque plerique et edit. Rom. *attingere*. Contra alii *corpora*. Regius secundus *corpore*. Apparet, alterutrum horum a correctore, non a scriba esse. Utrum vero sit, his indiciis scire licet. Veteres isti duo ab indoctis librariis scripti sunt, qui vel latine nesciebant: hos nihil offendebant duo ista simul venientia *contingi* et *attingere*. Quod quum jure nasutioribus displicuisset, illi *corpora* interpolabant. Ex quo tamen, ut videtur, commentitio, Grotius nova interpolatione *carpere* substituit. Atqui nimis delicatum est id vocabulum in re tam atroci. Recte se habet *attingere*, et in alio hæret mendum: quod vide an sustulerim: « Tunc horrida cerni Fœdaque *vel fingi*, maculato *attingere* morsu. » I. e. quæ non modo cerni, sed fingi et imaginari sine horrore non possunt. Cæterum illud quale est, *si desit larga Ceres?* Quid tum, si parca sit et rara; sat bene in ista inopia sustentari potest. Scripsit, ni fallor, poeta:

Et desit si *forte* Ceres.

Si panis et penus deficiet, coria, animalia fœda, carnes denique humanas comedemus. B.

350. *Obsessum Pœno gessit quod marte Saguntum.* Veteres quatuor Trin. et alius recentior *quæ*, non *quod*. Et sic Scholiastes Juvenalis ad XV, 93. Recte. Multa enim mala Saguntini tulerunt, non unum quiddam.

355. *Sic Graia juventus.* Quænam, quæso, hæc ineptæ orationis series est: « Sic finierat sermonem juventus: quum *tandem* ira ducis, quæ se jam antea turbato vultu manifestaverat, testata est voce dolorem suum. » Si rem recte reputo, longe aliud quid voluit hic sibi poeta. Nam *hoc bellum civile* est longe ineptissimum, quia pronomen illud, quo rem præsentem denotare solemus, hic male cum verbo futuri temporis conjungitur; nondum enim erat *illud bellum*. Ne longis utar ambagibus, en ipsam poetæ manum:

Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti
Sic potius civile gerent! *Vix* Graia juventus
Finierat, *quum* turbato jam prodita vultu
Ira ducis *tacitum* testata est voce dolorem.

Ita omnia plana erunt, apteque cohærebunt. *Sic* gerent bellum civile, eo modo; mutuis nempe vulneribus in se sævientes. *Vix* Graia, *quum*, etc. eleganter, hoc sensu: «Vix finem dicendi fecerat orator, quum statim indignabundus ora solvit et pressum corde dolorem minacibus verbis egerit Cæsar.» *Tacitum* vero dolorem, id est, tectum, occultum, quem in tacito

corde sentiebat ex hac Massiliensium, portas sibi claudentium, audacia. Ita dolor *alto sensu abditus* apud Claudianum in Rufin. II, 284. Nam Vulgata *tandem* menti poetæ plane repugnat, qui iratum Cæsarem Massiliensibus statim respondentem et minaci oratione excidium urbis denuntiantem inducit. JEV.

356. .... *Turbato jam prodita vultu*. Laudat hunc locum inter alios Bentl. ad Horat. Serm. II, 5, 204, quibus confirmet, vultu sæpe prodi secretos animi affectus. Hic versus in cod. Florent. alia manu legitur: non tamen interpolationis suspectus est: nullo enim modo potest abesse: *jam* autem et *tandem* sibi respondent. WEB.

362. .... *Nisi robora densæ Occurrant silvæ*. Variant hic codices: hi cum Puteaneo *robora densæ*; alii, ut Harleianus, Trin. cum Romana, *robore denso*; alii denique cum Colbertinis duobus, Arundeliano et Veneta, *robore densæ*. Bentleio placet postrema. Silius III, 442: « Jamque per et colles et densos abiete lucos. » Conf. Æneid. X, 178; Val. Flaccus III, 484; infra quidem, v. 444: « propulsaque *robore denso* Sustinuit se silva cadens. » Sed ibi alia constructio est: non, ut hic, *silvæ robore denso*, sed *silva cadens sustinuit se robore denso*. Porro et *occurrunt* lege cum Cant. Trin. Caiano, Bersmannique codice, quia mox omnes veteres, et novi plerique *rebellant*; non *occurrant*, *rebellent*.

365. .... *Damnumque putamus Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent. Damnum armorum* quid aliud esse potest, nisi quum arma perduntur, amittantur? ut Horatius Ep. I, 16, 67: « Perdidit arma, locum virtutis deseruit. » Respuit vero hanc sententiam locus ipse. Quid quod versu proximo rursus habemus *dimissis degener armis?* Aut fallor, aut scripsit auctor: « Damnumque putamus *Nostrorum*, nisi qui vinci potuere rebellant. » *Nostri* absolute, pro *nostri milites*, apud Livium aliosque historicos passim habes. Ergo *damnum nostrorum militum putamus;* quippe quibus os sublinitur, si urbes non rebellent, et spoliis prædaque circumducuntur. BENTL. — *Magnus* ille *ignis* v. 364 cum insulso suo adjutorio *nullis obstantibus* interpolatorem arguere videtur Jevero, qui mavult, versum delere. Simplex, inquit, comparatio multo venustior! Cæterum, nescio quid Bentleium moverit, ut rescribere hic maluerit *damnum nostrorum? Damnum armorum* hic notat damnum gloriosæ militiæ et victoriarum, et intelligendum *armorum felicium*, ut, IV, 359, de Cæsaris armis loquitur Afranius. Nisi forte nobis dederit poeta: « Damnumque putamus *Laurorum*, nisi, qui vinci potuere, rebellent. » Id quod mihi vero simile videtur, quoniam certa fiducia sibi victoriam de rebellibus spondet. Laurus enim victoriam designat. JEVER.

369. .... *At enim contagia*. Quomodo hic Massilienses dici possint *fugare dira belli contagia*, videre nequeo, dum bellum deprecantur et

neutrarum partium esse exoptant; utque hoc jam aliquo modo tolerari possit, quomodo hæc indignabundo Cæsari conveniat oratio, vix capio. *Diffugiunt* erat in Turrian. Amstelædamensis Codex, ut testatur Ondendorpius, exhibet *sed enim*, quod mihi valde probatur. Ut sic ironica concessione utens poeta illud *sed* geminaverit, atque acri sarcasmo angere voluerit Cæsaris indignationem. Quare legendum crediderim:

.... *Sed enim* contagia belli
Dira *putant!* dabitis pœnas, etc.

« Sed nempe putant, dirum et detestabile esse bello civili se immiscere! » Respondet enim ad illa, quæ dixerat legatus, Massilienses numquam manus polluisse bellis civilibus, quippe qui ideo patriam reliquerant, ut bella civilia fugerent, et, si cogere eos vellet Cæsar, se potius, Saguntinorum more, extrema passuros atque ausuros, etc. « Sed enim *putant*, inquit, sacrilegum et detestabile esse bellum civile gerere! Faxo brevi aliter sentiatis, atque ipsa experientia edocti jam sciatis, nihil melius esse, quam, me duce, bella civilia gerere! » *Putare* hic est, falso opinari, ex mente Cæsaris, atque illud hic opponitur τῷ *discere*, sive ipso eventû experiri experientia cognoscere. Sic eodem sensu V, 258: « Seque *putat* solum bellorum injusta gravari. Jev.

375. *Haud procul a muris tumulus surgentis in altum Telluris*. Hic *surgentis*, et quinto post versu, in re pari, *consurgit*. Codex quidem Trin. et edit. Veneta *conscendit* pro *consurgit*. Hoc a correctore quodam fluxit, cui vox repetita displicebat. Sed falsus est conjecturæ: *conscendit* enim *in arcem* nihil nisi animatum, miles, dux, non *pars urbis* sive *telluris*. Prior ista vox *surgentis* in mendo cubat, sic corrigenda: « Haud procul a muris tumulus *crescentis* in altum Telluris. » Noster IV, 11: « Colle tumet modico, lenique *excrevit in altum* Pingue solum tumulo. » Claudianus II, Proserp. 102: « Et mollibus edita clivis *Creverat in collem* » Bentl. Corruptus est orationis contextus. Quid enim? an tumulus terræ tandem fuerit *rupes* tutis aptissima castris? Adde, quod mox de duobus collibus, quos aggere vasto committere voluit Cæsar, mentionem faciat poeta vs. 382. Sana hæc et ab auctoris manu ita profluxisse quis credat? Bentleius rescribit *crescentis*, sed infelici conatu. Idem vero optime *patulum campum* rescribit, quod *diffuso vertici* melius convenit quam *parvum*, ut vulgo inepte legitur. Rescribendum censeo:

Haud procul a muris tumulus *turgentis* in altum
Telluris *patulum* diffuso vertice campum
Explicat. *Hinc* patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes tutisque aptissima castris.

Vult poeta « Cæsarem, ad urbem progressum cum exercitu, *tumulum terræ* sive collem conscendisse, ut locum accommodum castris dispiceret; atque *hinc*, id est, ex hoc colle *rupem* castris ponendis idoneam con-

spexisse. » *Turgentis in altum* rescripsi facili et verissima conjectura. *Turgere in altum* recte dicitur tellus, quæ se in tumulum levat. Sic humus dicitur *turgere in herbas* Claudiano de R. P. II, 91. JEVER.

378. .... *Tutisque aptissima castris.* Deest conjunctio *que* in codice Regio et altero Bersmanni. Unde Bentl. mavult, distinctione mutata:

Visa duci rupes tutis aptissima castris.

Sed minus placet illud *longo munimine:* aptior sane castris fuisset, si *facili*. Ne addam *longum opus*, rursus haberi v. 385, crediderim ab auctore fuisse: «.... Hæc patiens *subito munimine* cingi.» I, 517: «Et *subitus* rapti munimine cespitis *agger.*» Conf. IV, 29. Facit huc, quod v. 381 infertur:

Tunc res immenso placuit statura labore.

Opponitur quippe priori: *hoc immenso labore stetit*, illud modico.

390. .... *Flagrantis in omnia belli.* *Bellum flagrans in omnia* vix latine dictum, et præterea illud *flagrare in omnia belli* tersis se auribus vix probare, nec idoneum sensum habere putat Jever. Non enim de cursu Cæsaris agitur, ast de præcipiti cursu belli, quem Massiliensium virtus et constantia retardavit. Elegantissima conjectura *stagnantis* reponi voluit Heinsius, id est, exundantis, restagnantis, metaphora a *fluviis* desumpta, qui aquis aucti super ripas effunduntur, vicinosque agros late inundant. Unum tamen adhuc obstat, nempe, quod hoc bellum non possit dici *stagnare in omnia*. Facilis solutio fuerit, si levi immutatione legamus: «Tenuit *stagnantis* in *obvia* belli Præcipitem cursum», id est, obvia quæque mergentis atque inundantis. Quamvis enim non ignorem, *stagnare* cum quarto casu active sæpe efferri, ut II, 417, non tamen ideo, puto, debet altera constructio æque bona ubique exsulare. Ita enim flumina *restagnant vallo* pro *in vallum* dixit IV, 89. *In obvia* vero stagnat bellum, sive obvia quæque mergit, *more fluminis*, omnia inundantis. Simili metaphora ignis *obvias* silvas populari incendio dicitur Floro lib. II, c. 11. JEV.

392. .... *Quantum est quod fata.* Burmannus male explicat, ut *quantum* sit *quantillum*. Alii codd. *quod* repræsentant, uti et versu sequente. Scholiastes solus hic forte verum vidit, qui ad illa *quantum est quod*, etc. sic ait: Cum admiratione accipitur dictum, id est, *multum est hoc!* Ita viam mihi sternit ad veram emendationem. Legendum: « Quantum est, *quod* fata tenentur! *Quod dominum* toti properans imponere mundo Hos perdit Fortuna dies! » Exclamatio hæc poetæ est, insano libertatis amore flagrantis et insatiabile tyrannidis odium hic denuo manifestare volentis. Massilia obstat Fortunæ, Romanis tyrannidem paranti! « Quantum(inquit) lucri hoc est civibus, libertatis amantibus, *quod fata* hic moras inveniunt, et *Fortuna*, Cæsarem *dominum* toti mundo imponere volens, in hujus urbis obsidione aliquot dies perdere cogitur. » Probat emendationem Virgil.

Æn. VI, 621 : « Prodidit hic auro patriam *dominumque potentem Imposuit.* » Lucanus VI, 262 :

> Infelix quanta *dominum* virtute parasti!

Id est, *tyrannum* sive *tyrannidem*; et lib. VII, vs. 646 :

> Si *dominum* Fortuna dabas, et bella dedisses! Jev.

393. *Quodque virum toti properans imponere mundo.* Ex antitheti ratione, corrigere tentat Bentleius,

> Quodque *unum* toti properans imponere mundo.

Sic X, 27, de Alexandro Magno,

> .... terras tot posse sub uno
> Esse viro.

398. .... *Pressus ne cedat turribus agger.* Bentleius dicit, hunc aggerem non *superne* pressum fuisse turribus, verum a *lateribus* per roborum compagem; unde, mutata distinctione, legit : « Structa laterum compage ligatam Arctet humum pressus, *nec* cedat turribus agger. » Male. Nam quomodo agger compage laterum pressus non cedat turribus? *Suspendunt* habent quatuor codices. *Nec cedat* erat in Thuan. et S. Germ. « Brachia illa, v. 387, densas pinnas tollentia, quæ terra et cespitibus exstruxit Cæsar, est ipse *agger*, qui *fossa ducta* ab utraque urbis parte, qua terra accessus dabatur, a Cæsare usque ad ipsum mare ductus fuit, et *vallis* sive sudibus permunitus. » Videmus hic jam *aggerem* ductum ex cespitibus, quem ut firmum jam et validum redderet ad *turres* et *propugnacula* sustinenda, silvas excidi jubet Cæsar. Quomodo vero *fossa ducatur* atque *agger erigatur*, optime docet Vegetius, lib. III, de Re milit. c. 8 : « Milites, inquit, scutis ac sarcinis suis in orbem circa propria signa dispositis, *fossam aperiunt*, latam aut novem aut undecim aut tredecim pedibus; vel, si major adversariorum vis metuitur, pedibus decem et septem vel novem, imparem enim numerum observari moris est; tum *sepibus ductis* vel *interpositis stipitibus* ramisque arborum, *ne terra facile elabatur, agger erigitur. Super quem* ad similitudinem muri et *pinnæ* et *propugnacula componuntur.* » Hæc Lucanum pulchre illustrant! Habemus hic fossam ductam sive apertam; aggerem erectum, sepibus ligneis vel stipitibus arborumque ramis compactum; et pinnas eidem et propugnacula imposita. Quare legendum suspicor,

> Ut, *dum* terra levis mediam virgultaque molem
> *Suspendunt, stricta* laterum compage ligatam
> Arctet humum, pressus *nec* cedat turribus, agger.

Hoc nempe sensu : Silvæ exciduntur, ut suppetat materia ad firmandum

aggerem : ut, dum *agger medius suspenditur*, id est, erigitur cespitibus et virgultis, a lateribus *stricta compage* comprimat et colliget humum aggestam, nec impositis turribus cedat, terra dilabente. *Stricta* compage laterum lego, id est, valide constricta *sepibus ligneis*, ut Vegetius loquitur. *Stringere* latera aggeris compage eleganter pro *adstringere*, *firmare*. Stringere compagem est constringere, jungere, cujus contrarium est *solvere* et *rumpere* compagem. Lucan. III, 491 et 597. Sic vitta *stringit* sive *conjungit* comas, V, 143. *Dum suspendunt* sensus ipse postulabat. *Quum* et *dum* sæpe permutata. *Structo* aggere, compages laterum non *strui*, sed *constringi* et *firmari* debuit. JEVER.

400. *Obscurum cingens connexis aera ramis.* Quid hoc locutionis est? Lucus *cingens* obscurum aera et gelidas umbras? Immo faciens. Repone : « Obscurum *efficiens* connexis aera ramis. » Ut I, 140: « ... Nudosque per aera ramos Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram. » *Cingens*, *effici*, pares in utroque sunt literarum ductus. BENTL. Locus hic menda laborat. Rogat Burmannus, quomodo silva possit *cingere* aera ramis suis, adeoque quum obscurior hæc ipsi videretur locutio, putabat vel *condens* vel *jungens* rescribendum esse. Olim quoque conjeceram vel *cogens* vel *cohibens*, quæ verba nonnumquam confusa videntur. Nunc vero credo, minima mutatione legendum :

Obscurum *incingens* connexis aera ramis
Et gelidas, *late* submotis solibus, umbras.

Incingens obscurum aera et gelidas umbras ramis connexis, id est, corona veluti includens; nam hoc *connexi rami* arguunt, qui coronam facere videntur. Sic *incingere tempora lauro* est quasi *includere laurea corona* apud Ovidium, Metam. XIV, 720 : « Et Pæana voca, nitidaque *incingere* lauro. » *Late* scripsi, pro vulgato *alte*. Quia enim *connexis* coronæ instar *ramis* obscurum aera includebat lucus, longe lateque solis radii inde excludebantur, et hinc umbræ gelidæ necessitas. JEV. — Ad hanc descriptionem Confer Virgil. Æn. VI; TASSO, *Gerus. Liber.* VOLTAIRE, *Essai sur la poésie épique*, et præcipue BRÉBEUF, cujus versionem simul cum judicio viri clarissimi VOLTAIRE, hic apponere æquum visum est :

« On voit auprès du camp une forêt sacrée,
Formidable aux humains, et des Dieux révérée,
Dont le feuillage sombre et les rameaux épais
Du dieu de la clarté font mourir tous les traits.
Sous la noire épaisseur des ormes et des hêtres,
Les faunes, les sylvains et les nymphes champêtres
Ne vont point accorder aux accens de leurs voix
Le son des chalumeaux ou celui des hautbois;

Cette ombre, destinée à de plus noirs offices,
Cache aux yeux du soleil ses cruels sacrifices;
Et les vœux criminels qui s'offrent en ces lieux
Offensent la nature en révérant les Dieux.
Là du sang des humains on voit suer les marbres,
On voit fumer la terre, on voit rougir les arbres
Tout y ressent l'horreur; et même les oiseaux
Ne se perchent jamais sur ces tristes rameaux.
Les sangliers, les lions, les bêtes le plus fières
N'osent pas y chercher leur bauge ou leurs tanières.
La foudre, accoutumée à punir les forfaits,
Craint ce lieu si coupable, et n'y tombe jamais.
Là, de cent Dieux divers les grossières images
Impriment l'épouvante et forcent les hommages;
La mousse et la pâleur de leurs membres hideux
Semblent mieux attirer les respects et les vœux:
Sous un air plus connu la Divinité peinte
Trouverait moins d'encens, produirait moins de crainte;
Tant aux faibles mortels il est bon d'ignorer
Les Dieux qu'il leur faut craindre et qu'il faut adorer!
Là d'une obscure source il coule une onde obscure,
Qui semble du Cocyte emprunter la teinture.
Souvent un bruit confus trouble ce noir séjour,
Et l'on entend mugir les roches d'alentour.
Souvent du triste éclat d'une flamme ensoufrée
La forêt est couverte et n'est point dévorée;
Et l'on a vu cent fois les troncs entortillés
De cérastes hideux et de dragons ailés.
Les voisins de ce bois si sauvage et si sombre
Laissent à ces démons son horreur et son ombre;
Et le Druide craint, en abordant ces lieux,
D'y voir ce qu'il adore, et d'y trouver ses dieux.
Il n'est rien de sacré pour des mains sacrilèges;
Les Dieux mêmes, les Dieux n'ont point de privilèges:
César veut qu'à l'instant leurs droits soient violés,
Les arbres abattus, les autels dépouillés;
Et de tous les soldats les ames étonnées
Craignent de voir contre eux retourner leurs cognées.
Il querelle leur crainte, il frémit de courroux,
Et, le fer à la main, porte les premiers coups:
« Quittez, quittez, dit-il, l'effroi qui vous maîtrise;
Si ces bois sont sacrés, c'est moi qui les méprise:
Seul j'offense aujourd'hui le respect de ces lieux,
Et seul je prends sur moi tout le courroux des Dieux. »

A ces mots tous les siens, cédant à leur contrainte,
Dépouillent le respect, sans dépouiller la crainte:
Les Dieux parlent encore à ces cœurs agités;
Mais quand Jules commande, ils sont mal écoutés.
Alors on voit tomber sous un fer téméraire,
Des chênes et des ifs aussi vieux que leur mère,
Des pins et des cyprès dont les feuillages verts
Conservent le printemps au milieu des hivers.
A ces forfaits nouveaux tous les peuples frémissent;
A ce fier attentat tous les prêtres gémissent.
Marseille seulement, qui le voit de ses tours,
Du crime des Latins fait son plus grand secours;
Elle croit que les Dieux d'un éclat de tonnerre
Vont foudroyer César, et terminer la guerre. »

J'avoue que toute la Pharsale n'est pas comparable à la Jérusalem délivrée; mais au moins cet endroit fait voir combien la vraie grandeur d'un héros réel est au-dessus de celle d'un héros imaginaire, et combien les pensées fortes et solides surpassent ces inventions qu'on appelle des beautés poétiques, et que les personnes de bon sens regardent comme des contes insipides propres à amuser des enfans. Ed.

403. .... *Sed barbara ritu Sacra Deum; structæ diris altaribus aræ.* Omnes ubique codices cum Rom. et Ven. *structæ diris altaribus aræ.* Offendit correctorem aliquem, *altaribus aræ*, utpote idem bis dictum; unde interpolavit ex VI, 432:

Moverat et tristes *sacris feralibus aras.*

Sed quale enim est, in eodem versiculo, *sacra* et *sacris*? Hoc certe ferri non potest, utcumque exeant cætera. Sed sana est antiqua lectio, *structæ diris altaribus aræ.* Duo enim ista sæpe conjunguntur. Virgil. Eclog. V, 65: « .... En quatuor *aras*, Ecce duas tibi, Daphni, duas *altaria Phœbo.* » Prudentius Peri Steph. X, 49:

Altaris aram funditus pessumdare.

Quintilian. Declam. XII, 26: « Quod *aris altaria non imposuimus*, etc. » Calpurnius Declam. XXVI. Ex his locis videbis recte hæc accepisse Servium ad Eclog. V, 65, ubi: Alii, inquit, dicunt *altaria* eminentia ararum, et ipsa libamina; *aræ* igitur sunt bases et fundamenta altarium.

406. *Si qua fidem meruit Superos mirata vetustas.* Pro *Si qua* reponit Bentleius *Sique*, rogitans quot numero *vetustates* sint? Ridicule profecto. *Si qua vetustas* hic eleganter ponitur pro *Si qui vetusti populi*: nam illud *Sique* nullo, credo, colore defendi potest. Ast vero quid hic faciant vel *Superi*, vel *mirata Superos vetustas*, non capio. Legendum:

Si qua fidem meruit *lucos* mirata vetustas.

Hoc sensu : si qui antiqui scriptores vel populi *mira* de sacratis Deorum lucis *narrando* fidem mereri videantur. *Mirata* lucos dicitur vetustas, quæ lucos sacratos et miracula eorum magna laude deprædicavit. *Mirari* enim sæpe notat *laudare, sectari, deprædicare.* Horat. Carm. III, 29, 11 : «Omitte *mirari* beatæ Fumum et opes strepitumque Romæ. » Posset etiam simpliciter ita capi : « Si credibile sit, veteres olim justas ob causas sacratos lucos admiratos fuisse.» Jev. —Sed priorem sensum *mirari* pro *laudare* videtur confirmare IV, 654 : « Hinc ævi veteris custos famosa vetustas Miratrixque sui signavit nomine terras. » Ed.

407. *Illis et volucres metuunt insistere ramis. Illis ramis*, et versu sequente *illas silvas ?* Repone : « *Illic* et volucres metuunt *insidere* ramis, Et lustris recubare feræ. » *Illic* cod. Reg. habet. *Insidere* codex Harlei. recentior.

411. *Arboribus suus horror inest.* Utitur h. v. ad Æn. I, 69, Servius, ut probet horrorem ad religionem pertinere. Horror, inquit, plerumque ad odium pertinet; plerumque ad venerationem, ut hoc loco. Sic Lucanus, *Arboribus suus horror inest.* Sed Servius non recte hic Lucanum accipit. Horror nihil aliud hic est, nisi tremor foliorum. Lego autem

.... Non ullis frondem *quatientibus* auris,
Arboribus suus horror inest.

Suus horror, suus tremor inest, non ab auris, sed a numine. *Frondem præbentibus*, quasi pabulum præbendum esset, ridiculum hic loci est. *Horror foliorum*, ut Horat. Carm. I, 23, 5 :

Nam, seu mobilibus vepris *inhorruit*
Ad ventum foliis.

Suus horror, non ab aura excitatus. Ovid. Metam. IX, 545, de loto : « Et tremulo ramos *horrore* moveri.» *Suus*, id est proprius. Bentl. Locus hic ab interpretibus varie tentatus. Oudendorpius nunc *rapientibus* probare videtur, nunc conjicit *quatientibus*, *motantibus* vel *agitantibus :* tandem cum Orvillio vulgatam tuetur, vel, ut planior sit sensus, cum eodem legit,

.... Non *ulli* frondem præbentibus *auræ*.

Burmannus primo conjicit : « Non ullis frondem *lædentibus* auris : » mox *agitantibus* præfert. Ast ego, frustra hic sollicitos esse crediderim criticos de *foliis* arborum *vento* motis, quum jam poeta dixerit,

.... Nec *ventus* in illas
Incubuit silvas.

Sed jam aliud sollicitum me habet, nempe *plurima* unda, quæ *nigris fontibus cadit.* Ego vero *plurimam* illam *undam* hinc facessere jubeam lubens. *Suus* quoque *horror* merito displicet; non enim video, qui *alienus horror* arbori inesse dici queat. *Horror* etiam hic longe aliud significat ex mente auctoris, atque eruditi putant. Legendum suspicor:

.... Non ullis frondem *prædantibus horis*
Arboribus *vetus* horror inest. Tum *lurida* nigris
Fontibus unda cadit.

Veteri, inquit, *situ* horrent et squalent arbores, quas nullæ anni tempestates frondibus spoliant, adeoque veteres et squalidas comas retinent. Tum nigri fontes *pallidam* et *decolorem* aquam fundunt. *Horis prædantibus* lego, sive *spoliantibus*. Recte enim Bersmannus vidit, *rapientibus* glossam fuisse τοῦ *prædantibus*. *Horæ* vero et *auræ* sæpius confusæ. *Horæ* anni tempestates. Claudian. Cons. Prob. et Olyb. vs. 278: « Te variis scribent in floribus *horæ*. » *Vetus horror* est fœdus situs et squalor longi temporis, qui, ut mox subjungit, spectantes *attonitos* reddebat. *Horrere situ*, ita dicuntur campi, quando inculti et squalidi jacent. Claudian. R. P. III, 37. *Vetus* igitur hic arborum *horror* venerabilem terrorem illis incutiebat! *Luci*, quo *vetustiores*, eo venerabiliores! Idem Claudian. Stilich. I, 229:

.... *lucosque vetusta*
Relligione truces, et *robora numinis instar.*

Lurida unda rescripsi, id est, pallida, livida, decolor. Jever.

414. *Ipse situs, putrique facit jam robore pallor Attonitos.* Si *pallor* in simulacris *attonitos* spectantes facit, quid fiet, ubi signa deorum e marmore Pario sunt? Quum *situm* legis, et *putre robur*, nonne illico tibi succurrit, sic a poeta datum esse:

Ipse situs, putrique facit jam robore *pædor*...

Pædor, sordes, illuvies, squalor. Noster II, 73: « Mox vincula ferri Exedere senem, longusque in carcere *pædor*. »

417. *Quos timeant, non nosse Deos.* Non hic de ara Θεῷ ἀγνώστῳ posita, agitur. Ridicule profecto dicuntur *non nosse Deos*, *quos timent*. Omnis apud gentiles Deorum cultus in adorandis numinum simulacris positus erat. In iis quasi præsentes venerabantur Deos, propiusque divinam majestatem adorabant. Ubi simulacra, aræ et altaria non essent, ibi nullus erat Deorum cultus aut metus. Præsentia numinis, in simulacro cogniti, *metum* et *venerationem* excitabat, sed minime incutiebat *terrorem*. Constabat illis esse simulacra numinum; sed nesciebant, quinam hi Dii essent, quorum simulacra videbant. Præsentia igitur numinum, in his simulacris visorum, venerationem iis injiciebat, sed terror crescebat, quod

insuetas et horrendas imagines viderent. Quare legendum erit: «. . . Tantum terroribus addit, Quos *videant*, *non nosse Deos.*» Jev.—Ibid. *Jam fama ferebat*. In Thuan. pr. *nam* legitur, quod verum puto. Dicit enim auctum fuisse illorum terrorem, *quum* quia *videbant* horrenda simulacra Deorum sibi ignotorum, *tum* quia mira de eo luco vago rumore jactabantur. Quare *causalis conjunctio* hic jure in locum suum revocanda videtur. Sequentia enim insoliti timoris causam manifesto produnt, et magnam partem adumbrata videntur ex Seneca in Thyest. vs. 668, seq. Cæterum illa, v. 422 *cultu propiore frequentant*, Burmannus male capere videtur de *adoratione*. Nam indicare vult poeta, *lucum* illum adeo terribilem visum fuisse propter monstra memorata, ut populi illum *accolere* non auderent; adeoque omnes eum desererent et Diis solis habitandum relinquerent. *Frequentare cultu propiore* hic notat *prope accolere*, *prope habitare*, quod patet ex eo, quod Deis cessisse *locum* dicantur. Sic *conventu frequentare domum* pro *sæpe in domo convenire* dixit Catullus Carm. LXIV, vs. 32: «Domum *conventu* tota *frequentat* Thessalia.» Recte igitur se habet vulgata distinctio, nec mutanda. Jev.

429. *Sed fortes tremuere manus; motique verenda Majestate loci.* Non bene procedit oratio, *manus tremuere* et *moti*. Quinam moti erant? Milites, opinor: quod post *manus* casu recto dure et invite subintelligitur. Codex Acad. pro varia lectione *tenuere*; recte: unde repono: «Sed *sontes tenuere* manus, motique verenda Majestate loci.» Jussi milites lucum excidere, *manus tenebant*. *Tenuere*, id est, continuere. Noster II, 292, et IV, 289. *Fortes manus*, si vera lectio est, non ad virtutem pertinet, sed ad robur. Ovid. Fast. IV, 302, de iis qui fune navem trahebant: «Adjuvat et *fortes* voce sonante *manus*.» Scripsisse tamen credo poetam *sontes manus*, quod bipennibus armatæ essent, licet nondum arbores violaverint. Bentl.

432. *Implicitas magno Cæsar terrore cohortes Ut vidit.* Veteres nostri omnes et plerique alii cum Rom. et Ven. *torpore;* unus tantum et alter *terrore*. Priscianus, p. 863. «Ex *plico* composita penultimam *A* vel *I* habent in supino; unde Lucanus in III: Implicitas magno Cæsar *torpore* cohortes» Certe longe elegantius est *torpore* quam *terrore*. Torpebant milites, cunctabantur, stabant ut attoniti. Noster III, 741; Claudianus II, Eutrop. 391: «Quis novus hic *torpor*, socii? quonam usque sedemus...?» *Implicitas torpore*, ut Noster, V, 434: «alto *torpore* ligata.»

434. *Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum, Effatur merso violata in robora ferro.* Mala repetitio *ferro proscindere*, et continuo insequens *ferro merso*. *Proscindere* autem *quercum*, pro *exscindere*, *evertere*, ne latinum quidem est. *Proscindere* terram vomere, etc. *proscindere* æquor rostro, etc. *proscindere*, figurate, *convicio*, etc. hæc, et nihil aliud latine. Restituo: «... librare bipennem, Ausus, et aeriam *properans pro-*

sternere quercum. Claud. III, Proserp. 360: « Et magis enodes *properat prosternere* cedros. » Bentl. — Hæc autem correctio est contra mentem poetæ: *ausus* et *properans prosternere* male conjungi videntur, quippe longe dissimilia. Cæsar enim non volebat tamquam miles sudare in exridenda silva, sed primum ictum intulit, ut, se præeunte, milites non dubitarent exemplum ipsius sequi. Quare legendum: « *Orsus*, et aeriam *haud veritus* proscindere quercum, *Hæc* fatur. » Primus *orsus* est Cæsar librare securim, et non *dubitavit lædere* et vulnerare altam quercum; vulnerata arbore, *talia* fari incipit. Jam omnia in vado fuerint. Orsus est primus Cæsar, id est, dum trepidant milites, primus Cæsar corripuit bipennem et non dubitavit lædere et violare aeriam quercum. Ita VIII, 136: « *Non veritus* tantam veniæ *committere* vobis Materiam. » *Proscindere* hic est violare, lædere ferro; ut dicimus, *proscindere* aliquem conviciis, adeoque immerito damnatum hoc fuit Bentleio. Denique *hæc fatur* rescripsi, pro vulgato *Effatur* et *Et fatur*, quæ solennis fere in MSS. harum vocum est permutatio. Jev.

445. .... *Gemuere videntes.* Locus Jevero suspectus. Poeta nobis nomine, suo designare debuisset gementes hos Gallorum populos. Massilienses certe non erant. Omnes vero Gallorum populi hoc videre, adeoque gemere non poterant. Crediderim legendum: « gemuere videntes Gallorum *Druidæ* », ut τῷ *Druidæ* adscripta glossa, id est populi, a librariis non intelligentibus, intrusa fuerit. *Druidarum* igitur sacrum hoc nemus fuisse videtur, qui ibi barbarico ritu Deos suos colere, et humanas hostias mactare solebant, quod et præcedentia suadere, et ipse poeta probare videtur lib. I, 450. Jev.

448. .... *Servat multos Fortuna nocentes. Magnos nocentes* rescribit Marklandus. Contra quem vulgatam *multos* tuetur Burmannus. Sed neque *multitudo* vel *magnitudo* nocentium convenire hic videtur. Nam, si quis quærat, cur hi sacri nemoris violatores sacrilegii pœnas non luant, aut male pereant irato Jovis fulmine; respondebit poeta stoicus, quia Fortuna nocentes servare, et ab ira Deorum protegere solet. *Fati Stoici* hæc *lex*, ut, quem Fortuna protegit, ei Dii nocere nequeant, quippe *Diis ipsis* imperat *Fortuna*. Solum igitur Superis hoc relictum est, ut irasci possint *miseris* et *a Fortuna destitutis*. Rescribo: « Servat *melior* Fortuna nocentes, Et tantum miseris irasci numina possunt. » *Melior* Fortuna est benignior et favens. *Fortunæ filiis* nocere ne Dii quidem possunt. Fortunæ filium se agnoscebat Cæsar, adeoque sibi de fatis bene spondebat. Hinc nota ejus in præsentissimo naufragii periculo constantia, pavidum nautam increpitantis, *Cæsarem vehis et Fortunam!* Vera autem hæc esse, probat ipse poeta, II, 86, ubi de Mario ait: « non ille *favore Numinis* ingenti *Superum protectus ab ira.* » Hic est favor *Fortunæ*, Marium ab ira Deorum protegentis. Quin *Fortunæ indignationem* ex mente poetæ metuunt Superi, qui ideo Fortunæ filiis irasci aut nocere non sustinent, atque inde veniam me-

ruisse dicuntur, quod Cæsari, cui nequidquam antea irati fuerant, solito magis favere cœpissent. Conf. IV, 121, ubi *Fortuna* ad aliquod tempus dereliqnisse dicitur Cæsarem, ut ei *pavorem injiceret*:

> Sed *parvo Fortuna viri contenta pavore*
> Plena redit, solitoqoe magis favere *secundi*
> Et *veniam meruere Dei*! JEV.

450. *Utque satis cæsi nemoris*. Libri plerique *cæsi*. Romana insuper « Utque satis cæsi *est* nemoris. Placet, » nisi forte malis, *Utque sat est cæsi nemoris*. Georg. II, 399: « Cui nunquam exhausti satis est. » BENTL.

457. *Hæ nullo fixerunt*. Insolentior locutio visa Burmanno *figere terram robore*. Inde Waddelus legi malebat: « hæ nullo fixæ sunt robore terræ. » Male. Sed illa *causa latens* mihi non probatur et mendosa videtur. Legendum crediderim, versu sequente,

> Sed per iter longum *cursu* repsere latenti.

Id est, sensim per longum aggerem promotæ fuere, ut cursus earum videri non posset. Scribit enim Cæsar, de Bel. Civ. lib. II, 10: *has turres*, phalangis subjectis, machinatione navali, muris Massiliensium admotas fuisse. Fallitur hic Oudendorpius, dum ait, Lipsium merito Lucanum vel lasciviæ vel incogitantiæ accusasse, quod hic in *mœnium concussione* de *terræ motu* cogitantes induxerit Massilienses. Sensus poetæ, nisi fallor, hic fuerit: « Phalangis subjectis, quum sensim promoverentur hæ turres, *Massilienses* e longinquo nihil de cursu earum suspicari potuisse; sed videntes, *tantum onus nutare*, *motu terræ* concussas putabant has turres, sed mane summa cum admiratione stupebant, *lateritias has turres*, sive *muros*, *mœnibus suis admotas stare*, atque *inde tela cadere in mediam urbem*. » *Lateritias* enim has *turres* fuisse et de nocte moris Massiliæ admotas, ex Cæsare satis constat. Quare aut *muros* pro *turribus lateritiis* dixit, aut legendum: « et *turres* mirata est stare juventus. » Namque ita inepta poetæ in describenda harum turrium promotione περιεργια, et ridicula scientiæ physicæ ostentatio aliquantulum mitigari videtur. JEV.

468. .... *Superest telo post vulnera cursus*. Jever mavult *post funera*. Antea dixerat poeta, hanc lanceam non unum latus transisse contentam. Non igitur simpliciter *post vulnera*, sed *post multa funera variasque cædes* cursum suum illam servare et continuare fingit Hispanicæ magniloquentiæ affectator poeta. *Vulnera* autem et *funera* in MSS. sæpe confusa. JEV.

469. *At saxum quoties ingenti verberis ictu Excutitur*. Sic omnes: unus Bersmanni *pondere*: unde *ponderis* in textum intulit Grotius. De verbere ex balista hic agitur, nondum de pondere, quod versu demum 480 fit, « sed pondere solo contenti. » Offendit, opinor, virum magnum, *verberis ictu*; quasi bis idem esset, perinde ac *verberis verbere* Sed ste etiam Ovid. Metam. XIV, 820:

. . . . consendit equos Gradivus, et *ictu*
Verberis admonuit.

Phocas, grammaticus vetus, p. 1709 : « Sunt quæ a genitivo casu singulari declinationis sumunt exordium, ut remigis, frondis, verberis ; ut Lucanus, *At saxum quoties ingenti* verberis ictu *Excutitur.* » Constat hic Phocam legisse *verberis :* quippe *ponderis* non caret nominativo. De *ictu* dubitare adhuc potes; nam quatuor nostri veterrimi *verberis actu*. Rectissime : *ingenti actu, magno impetu*. Virgil. Æneid. XII, 687 : « Fertur in abruptum *magno* mons improbus *actu*. » Et hinc forte corrigendus Silius, I, 491 : « Corripit ingens Aggere convulso saxum, et nitentis in ora Devolvit, pronoque silex ruit incitus *actu*. » Non, ut nunc fertur, *ictu*. Denique *actu* pro *ictu* infra hic lego, v. 90, ut supra II, 77.

472. *Frangit cuncta ruens : nec tantum corpore pressa Exanimat*. Alii *sternit*. Utrumvis bene, sed illud melius. *Pressa* vero, quod omnes codices exhibent, non videtur auctoris esse, sed *prensa*. Bentl.

475. . . . . *Armisque innexa priores Arma ferunt*. De testudine oppugnatoria hic agitur. Ejus hic mos, ut alii super aliorum scuta acclivia scanderent. Tacitus Hist. III, c. 28 : « Innixi humeris et super iteratam testudinem scandentes. » Conf. Hist. IV, c. 23. Quare MS. P. recte habet *prioris*, dum et pro *innexa* scribatur *innixa*. Grotius.—Quidam *innixa* habent ; sed superne notatum *nex*. Locus vero est mendosus. *Tecta virtus subit :* quid postea ? *Ferunt arma :* qui ? milites scilicet subaudiuntur. Quid autem est *prioris ?* an *tectæ virtutis ?* Atqui tecta virtus, tota testudo est, non pars. An *prioris*, militis scilicet ? Quid ? unusne tantum miles erat in fronte testudinis ? certe plurium series. Pro *ferunt*, Arundel. *gerunt*. Sed Colbert. *arma erant*. Unde lego : « . . . . armisque *innexa prioris* arma *hærent*. » Arma hærent innexa armis prioris seriei, *umbo* sequentis *protegit galeam prioris*. Quæ Grotius ex Tacito profert non formam testudinis, sed usum ostendunt. *Innexa*, ut Isidorus, p. 1272, 24. God. « Est et testudo scutorum *connexio*, curvata in testudinis morem. Servius ad Æneid. IX, 517, « Armorumque resolvit Tegmina. Ostendit, ait, armorum *connexionem* esse testudinem.» Noster VII, 493 ; Valer. Flacc. III, 90. Bentl. — Illa enallage numeri *Tecta subit virtus* et *arma ferunt*, mihi vitiosa videtur, ut nullo colore defendi possit. Amplector itaque lubens ingeniosam Bentleii emendationem. Sed illud sive *prioris* sive *priores* a manu poetæ profluxisse non potuit. Causa hæc est, quod *densam testudinem* jam memoraverit. Præterea *priorum* meminisse, neglectis plane *posterioribus*, non videtur. Forte dederit : « Armisque innexa *virorum* Arma hærent. *Virorum* sive fortissimorum et robustissimorum militum, uti mox infra v. 484. *Innexa* vero est conserta et quasi indissolubiliter conjuncta; non ita optime illud exprimit firmam illam clypeorum connexionem, quam vs. 482, *ar*-

morum seriem, et quam v. 485, *perpetuam cratem* vocat poeta. Certe vulgata lectio a male sedula correctoris manu, qui ita plenam omnibusque suis numeris absolutam *testudinis* descriptionem exhiberi posse sperabat, profluxisse videtur. JEVER.

477. *Quæ prius ex longo nocuerunt missa recessu*. Alii *recussu* sive *repercussu*, quod nullum hic locum habet. Omnes scripti editique *recessu;* nisi quod Bersmanni editio, *recussu*, quod miror Grotium retinuisse. Val. Max. III, 6, 1: « Vegeta et strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus eduut. » BENTL.

484. .... *Virtus incerta virorum*. Æstuant hic et Oudendorpius et Burmannus, qui *incerta* legunt, et explicant de militibus Cæsarianis, qui defessi ab oppugnatione desistere volebant. Male! Quis enim ferat hæc? Virtus Cæsarianorum *militum* incerta, defesso *milite*, rupit cratem. In aliis *accensa*, quod Dorvillius similiter capiebat de militibus Cæsarianis, qui sponte ruperint cratem et aperto marte pugnare arserint; sed quia hoc defesso militi vix convenire videbat, malebat *defesso poplite* vel *vertice*. Frustra. *Incensa* est vera manus poetæ, sed *defesso milite* est vitiosum. De Massiliensium virtute loquitur poeta, qui scripsit: « Sed postquam virtus *incensa* virorum Perpetuam rupit, *defenso milite*, cratem. » Virtus Massiliensium, qui frustra diu saxis et telis testudinem impugnaverant, pudore accensa fortiter repellit scandentes hostes, atque ita dejectis et repulsis militibus hostium testudinem atque perpetuam cratem rupit, unde jam singuli ictibus patebant et cedere cogebantur. *Defendere* hostes a muris est repellere. Sic « defendere æstatem capellis » dixit Horat. Carm. I, 17, 3. *Defenso milite*, id est, *prohibito*, *vetito*. JEVER.

488. *Sub cujus pluteis, et tecta fronte latentes*. Quidam *fronde*. Lege *texta fronde*. Cæsar Bel. Civil. II, 1, de hac ipsa Massiliæ oppugnatione: « Tanta multitudo tormentorum in oppido erat, ut eorum vim nullæ *contextæ viminibus* vineæ sustinere possent. » BENTL.

497. *Summa fuit Graiis*. Abrupte nimis hoc dictum censet Burmannus. Recte hoc observatum: verum non ita reliquit nobis poeta. *Summa* enim *votorum* Massiliensibus si hæc fuisset, ut salva starent mœnia nec diruerentur, honestis potius conditionibus tentanda fuit deditio, neque eruptionibus irritandi oppugnatores. Nisi me fallit conjectura, Lucanus hoc modo scripsit: « *Sumpta* fuit Graiis, starent ut mœnia, *virtus*. » Hoc sensu: « Massilienses, ne urbs sua dirueretur, sumpsere ex desperatione virtutem, et ultro aperto marte aggredi hostem voluerunt. Eruptionem igitur tentant ad profligandos hostes orbemque obsidione liberandam! » *Sumpta virtus* eleganter! Ita enim et Horat. Carm. III, 30, 14: « *Sume* superbiam Quæsitam meritis! » Ita *adsumpsere fastus* dixit Propertius lib. II, Eleg. 19, 61. Sic omnia plana fuerint, nihilque abrupti appareat. JEV.

506. *Saxa ingentia solvit.* Pulm codex *rigentia*, non male, id est, *dura, aspera*, quæ tamen dissolvit vehemens ignis. Ovid. Ep. XI, Her. 12 : « Ultima prærupta cornua mole *rigent*.» Rutil. Itiner. I, 30 : «Plana madent fluviis, cautibus alta *rigent*.» Et sæpius *rigere* montes asperi dicuntur. OUDEND.

510. *Fortunam tentare mari.* MS. Bersm. *viris*; unde *maris* bene conjiciebat Orvillius. *Fortuna maris* opponitur eleganter τοῖς *spes telluris*. *Profundo* mare satis intelligitur. Silius Ital. V, 247 : « O juvenes, motumque novis sine Marte procellis *Fortunam* bello *pelagus* dabit. » Justin. lib. II, c. 11 : «Xerxes, duobus vulneribus terrestri prælio acceptis, experiri *maris fortunam* statuit. »

511. *Tutela.* Tutela navium in rostris erat, ubi solebant antiqui ex ære formare quædam numina, in quorum *tutela* naves erant, quorumque nominibus vocabantur. Virgilius V, 154, *post hos æquo discrimine Pristis Centaurusque*. SCHOL. — Confundit Scholiastes cum aliis viris doctis παράσημον, quod erat in prora pictum vel sculptum, figura plerumque alicujus animalis, aliquando quoque aliarum rerum, cum *tutela* sive picto et sculpto Deo, Deave, quæ erat in puppe. Naves autem, pro variis temporibus, nunc a παρασήμῳ nomen acceperunt, nunc a Deo tutelari. Aliquando utrumque habebant, παράσημον scil. et *tutelam*, aliquando unum tantum, ut latius possemus apto loco ostendere. Vide Salmasium; Tollium ad Palæph. p. 233; Schefferum de Milit. Nav. lib. III, c. 1; Gudium ad Phæd. lib. IV, Fab. 24. OUDEND.

516. *Stœchados arva tenens.* Fatetur Burmannus sibi hunc locum difficilem explicatu videri. Credo : nam quænam sint illa *Stœchados arva*, nemo facile dixerit. Heinsius illud *gurgite* suspectum habebat, et pro eo rescribi volebat *cum milite*. Dorvillius vulgatam ita construebat, *classis tenens arva Stœchados, cum Rhodani gurgite venerat in mare*, quod quid sit, equidem ignoro. Si enim arva Stœchadum teneret, sive tibi in anchoris steterit, sive in litus subducta fuerit, quum Stœchadum insulæ in mari sint, inepte profecto classis cum Rhodani gurgite in mare venisse dicatur. Una vox mendosa. Lege: «Venerat in fluctus Rhodani *de* gurgite classis Stœchados *alta petens*.» Classis sociorum ex Gallia, inquit poeta, cum Bruti nave prætoria a Rhodano venerat, et jam mare tenebat recta cursum dirigens ad Stœchadas. *Alta Stœchados* sunt mare ad has insulas, ubi stationem habuisse dicuntur naves Bruti. *Altum* et *alta* pro *mari* frequens poetis, quod probatione non indiget. *De* gurgite: sic VIII, 246, aura dicitur spirare *de* litore. JEV. Virg. Æn. VIII, 695, *Neptunia arva* dixit. ED.

529. .... *Validæque triremes, Quasque*, etc. Locus hic corruptus est. Scholiastes Vossiani secundi : « Contra undas pelagi majores naves posuerunt, et fecerunt quasi cornua, et infra cornua majorum minores po-

suerunt.» Hoe irridet Jever, et addit: *Pinus* pro *remis* inaoditum atque inusitatum: Hoc primum. Deiu *multiplices rates* quæ siut, non viderunt iuterpretes; sont aotem schediæ illæ rates, qoas v. 512 deseribit, qoasque hoc loco dirit fuisse robor oppositum aperto pelago. Quare rescribeudum mihi videtur:

> Cornua Romanæ elassis *validasque* triremes,
> Quasque quater surgens exstructi remigis ordo
> Commovet, et plures quæ merguut æquore *palmas*, etc.

Sic, oisi fallor, qoilibet totius Romaoæ elassis ordinem aute oculos videat. « Io *cornibus* stabaut triremes, quadriremes, quiuqueremes, etc. Liburuæ *biremes*, rorvata ad lunæ similitudiuem froute, *recedunt*, sive intus reductæ io dimidiatum orbem subsequuutur. Ast vero schediæ illæ rates ad vim pelagi iufringeudam utrimque uavalis aciei cornoa cinguut et vallaut.» Namque, ut ait Locauus :«Hoe robur aperto Oppositom pelago.» *Palmas* pro remis dixit Catullus, Carm. LXIV, 7: « Cærula verreotes *abiegnis* æquora *palmis.*» *Palmulas* dimioutive idem Carm. IV, 4, et v. 17.

549. *Ut, quoties æstus Zephyris*, ete. Locus Gujeto suspectus est, quum abesse possit, et MSS. multum io eo varient; sed prior ratio nulla est, obi aliæ non acceduot. Comparatio ipsa, loco apta Lucanoque digua, cor ab ioterpolatore addita sit, uon babet; varietas enim lectionis talis est, quæ sæpissime in libris occurrat, ut postea videbimus. Sensus autem totius loci hie est: Coueursu uavium factum est, quod veuto et mari pugnautibus fieri solet, ut fluctus impulsu aliarum navium partim propellereotur, partim aliarum eursu repellerentur. Simile aliquid habes IX, 333. — Quod siogula attinet, verba *æstus Zephyris Euris* reete ab ioterpretibus eonstituta suut, cf. II, 676; nee non *Eurisve;* eteuim pugna est æstus eum Euro vel Zephyro, non utriusque venti cum uudis. *Ve* autem io optimo Voss. pr. Witt. quatuor Burm. legitur, et sæpius iu libris cum *que* commutatur; cf. Beutl. ad II, 392. *Repugnant* pauei ueque optimi libri præbeut; *sulcatos vario* et *sublato*, *siccato* ex soleuui librariorum errore orta suut. *Sulcari* autem de aqua dieitur, cf. Oudeud. ad V, 503; Virg. Æu. V, 142, 158; Val. Flacc. III, 32; Ovid. Met. IV, 706; ex Pout. I, 4, 35; II, 10, 33. *Æquore* pro *gurgite*, et *cursus* pro *tractus* glossæ sunt; neque *tractus* mutari debet, cujus loco Voss. 1 ex errore solenoi *tactus* habet, cf. Burm. ad VII, 412; *tractus* de undis per æquora serpeutibus, cf. V, 565; X, 257. In sequenti versu male *hoc* pro *hæc* legitur, quod propter *Quod* ortum videtur, ita ot *æquor* verbo *ratis* respondeat, adversaute Lucaui meute; quas uudas, iuquit, alia navis propulit, has alia ex adverso repulit. Sie *retulit* quoque verbo *tulit* respoudet, cujus loco alii male *attulit*, *contulit* habeut, correeta propter syllabam *re* iu v. *retulit*, de qua cf. Oudend. ad III, 113, et alios. Distingui autem debeut varia poeseos genera et tempora, quibus poetæ vixerint. Aute Virgiliom et

Horatium syllaba *re* in compositis omnibus anceps fuisse videtur, unde in Lucretio plurima hujus rei exempla leguntur, nata inde, quod metri commoditas ita jussisset, pronuntiatione non adversante; sic in verbis *reficiunt*, *refugiunt*, et aliis. Inde a Virgilii temporibus, quum syllaba *re* notionem suam amisisset, in quibusdam tantum verbis anceps, ibi plerumque producta est, ubi oppositio aliqua notionem ostendit. Quod Lucanum attinet, neque in omnibus verbis compositis *re* syllabam productam habet, unde male Oudend. ad III, 113 *resistere* pro *obsistere* defendit, et Cort. IV, 328 *Reciso* pro *Rescisso*, neque in omnibus formis. *Re* Lucano anceps est in verborum *referre* et *repellere* perfectis, unde numquam in thesi ponitur; cf. *retulit* VI, 532, ubi Oxon. pr. male *detulit*, quum res ipsa *retulit* flagitet; IX, 367, ubi eodem modo *detulit* in Voss. pr. et Bersm. uno legitur; *Repulit* I, 499; IV, 102; VI, 480, ubi unus Bersm. male *Depulit*; opposita enim sunt *impulsam* et *repulit*. In quibus omnibus syllaba *re* notionem suam habet; quæ in perfecto propter accentum primæ syllabæ ex legibus enunciationis et propter plures syllabas breves producta videtur. *Refert* impersonale, ut constat, priorem syllabam semper longam habet, unde non temeraria illorum opinio videtur, qui *refert* a v. *res* et *fert* derivent; *refert* autem a v. *refero* primam corripit. *Rejicere* denique primam semper producit, ita ut, ubi brevem habere videatur, cf. Stat. Theb. IV, 574, non per *j*, sed per *i* vocalem, ut in Virg. Ecl. III, 96 *Reice capellas*, scribi debeat. WEB.

553. *Sed Graiis habiles*. Conjunctionum *sed* et *at* inepta repetitio. In Thuan. cod. *Si*. Optima hæc lectio: « *Si* Graiis habiles, etc. *At* Romana ratis, etc. » Sic Virgil. Æn. I, 547: « *Si* genus humanum et mortalia temnitis arma; *At* sperate Deos memores fandi atque nefandi! » Conf. Ovid. Epist. Heroid. XVII, vs. 63. BENTL.

566. *Seque tenent remis*. Hic hæret Burmannus, et conjicit *seque petunt* vel *premunt remis*. Sermo enim hic plane est ἀνακόλουθος, *alias manicæ et catenæ ligant et tenent se remis*, adeoque a poeta ita profectum non credo. Quid multa? Hortensius nobis manum Lucani servavit: « Seque tenent remis remi. Stetit æquore bellum. » Qui conjecturam nostram adjuvat:

> *Sæpe* tenent *remi*. Tecto stetit æquore bellum.
> Jam non excussis torquentur *pila* lacertis.

Sensus est: Ast aliæ naves manicis et catenis vinctæ tenentur, quin et *sæpe remis*, obliquo pectine junctis, ut vs. 609 loquitur poeta, *impediuntur et hærent*. Mox vero *pila* rescripsi ex Thuan. pr. nam versu sequente in *jaculato ferro* tela omnis generis habemus. Ad manum jam venerant, consertis puppibus, et gladiis res gerebatur, nec pilis aut telis opus erat. JEVER.

571. *Nullique perempti*. Æstuant in hoc loco interpretes doctissimi, quippe

codices hic variant, *nulli* vel *multi*. Grotius, Oudendorpius et Burmannus præferunt: « *nullique* perempti In ratibus cecidere suis. » Doctissimus Waddelus legebat: « *Non* ratibus cecidere suis; » sed hostium scilicet. Sed quid *peremptis* hic opus fuerit, ut cadant? Nonne et multi vulnerati ceciderunt? siquidem illud *ceciderunt* sine putidissima ταυτολογίᾳ non possit significare, mortui sunt vel interfecti fuerunt. Quo vero illud *nulli?* Anne, ut intelligamus, omnes, dedita opera, *pronos* stetisse, ut ne in *suam navem* caderent, sed vel in navem *hostilem* vel in *æquor?* sensus non tantum integer, sed et multo elegantior sit, si legamus,

Stat quisque suæ de robore puppis
Pronus in adversos ictus: cruor altus in undas
Spumat, et obducti concrescunt sanguine fluctus.

Quin, ut nullum dubium supersit, ipse poeta malam hanc repudiat et abjicit mercem, quippe qui subjungat statim,

Et quas immissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conserta cadavera puppes.

Antiqua hæc fraus fuit, siquidem omnes codices occupavit. Jev.

572. ... *Cruor altus in undis Spumat*. Manuscripti, *undis*, *unda*, *undas*. Hoc ultimum recipio. Sic supra, v. 190:

Colchis et Hadriacas spumans Absyrtos in undas.

581.... *frustrato pondere*. Obscurius hoc dictum videtur Burmanno qui nescit, an ita hoc intelligi debeat, quia nimis leve hoc telum erat, ut in adversam navim venire non posset, sed in mare cadens ibi vulnus inveniret. *Frustrato verbere* tamen rescribere non audet, licet hæ voces sæpe confunduntur. Ego putem, *frustrato pondere* hic nihil aliud significare, quam irritum et sine ullo pondere, ut *verba* et *promissa* irrita, et vana, quæ sine pondere esse, sive pondere carere dicuntur. Ovid. Heroid. VI, 110: « Cur tua pollicito pondere verba carent. » Id est, cur *irrita* sunt et *frustrantur pondere?* Sic *sagittam numquam frustratam*, sive numquam irritam dixit Statius Epithal. Stellæ et Violantillæ, vs. 62. Virgil. Æn. VI, 491:

... inceptus *clamor frustratur hiantes*.

Id est, os frustra aperiunt sine voce, sive, vox destituit ora clamantia. Vel (si quid mutandum sit) rescribera haud dubitem,

Et quodcumque cadit *frustratum vulnere* telum,
Exceptum mediis invenit *funus* in undis.

Ut sit, quodcumque irritum et *sine vulnere* telum cadit, in mari *invenit*, *quem interimat* et *interficiat*. Jev.

587. ... *simul pariter*. Quamvis Burmannus hoc speciosa defensione tueri velit, ut poeta scilicet idem tempus et eumdem ex adverso locum notare voluerit, ut duo simul tela ex duabus partibus emissa, eodem tempore et per ejusdem pectus et tergum coeuntia, sibi obvia fierent : nihilominus, nescio quomodo, illud *simul pariter* mihi displicet. In Cod. quem usui meo concessit Burm. secundus, erat *terga simul missis pariter*. Forte dederit poeta :

Terga simul missis *adversaque* pectora telis
Transigitur, medio concurrit *corpore* ferrum.

Hoc enim nisi admittamus, ineptissimæ ταυτολογίας absolvi nequeat Lucanus. Medio in *corpore* tela concurrunt, non in medio *pectore*. Jev.

593. *Qua nullæ pelago melius turbante carinæ Audivere manum*. Audacius id loquendi genus non videbitur nobis, si meminerimus Virgilium dixisse : « neque audit currus habenas. » Hic tribuuntur aures et obsequium non equis, sed currui; datur lingua et imperium non aurigæ, non illius manui, sed habenis. Et Ovid. Metamorph. V, 379:

... Dixit Venus; ille pharetram
Solvit, et arbitrio matris de mille sagittis
Unam seposuit; sed qua nec acutior ulla,
Nec minus incerta est, nec quæ magis audiat arcum. Palmer.

Locum hunc non cohærere recte sensit Burmannus, qui illud *semper* mendæ merito suspectum habet, et adjectivum desiderari opinatur, unde τὸ *componere* necessario pendeat, adeoque conjicit ·

Certus venturis componere carbasa ventis.

Certus tamen τῷ *dextra* convenire non potest. Variant hic codd. *nullum* duo et vitiose *turbare* pro *turbante*. *Adjuvere* Thuan. quart. Illud *est*, v. 594, a librario intrusum puto, quod compendiose erat scriptum *uni* hoc esse putavit unquam, adeoque, ut metrum restitueret, τὸ *est* infarsit. Ex illo vero *uni* profluxisse tandem crediderim *ulli* et *ullis*, prouti sæpe *unus* et *ullus* in MSS. confusa. Si mentem poetæ cepi, puto rescribendum : « Qua *nullam* melius... nec *cui* luxuotior *unquam*... *Solers* venturis componere carbasa ventis. » Ut sensus sit : « præ qua Telonis manu nulla (*alia*) fuit, quam *melius* sive *libentius* audire vellent carinæ, cujus manu libentius in turbido mari gubernari mallent, et præ qua nulla (*alia*) fuit *unquam*, cui tempestas crastina ex signis prognosticis solis et lunæ notior fuit. Nec cui *unquam* notior fuit. Sic Virgil. Georg. I, 425 : « Numquam te crastina fallet Hora. » Id est, numquam tibi ignota fuerit tempestas crastina, ut jam constet, Virgilii ex fonte hortulum suum hic irrigasse Lucanum. *Solers* scripsi pro *semper*, quod menti auctoris non congruit et sensum turbat. *Solers* est cautus, callidus, prudens; et bono gubernatori *solers* dextra optime convenit. Sic *solertior* hostis est callidior, cautior, Lucano, lib. IV, v. 724. « *Solers* compo-

nere » eleganter, ut Horat. lib. IV, Od. 8, v. 8, de Parrhasio et Scopa, quorum, ut ait,

> *Hic* saxo, liquidis *ille* coloribus
> *Solers* nunc hominem *ponere*, nunc deum. JEV.

Gujetus v. 596, spurium putat, ut videtur, propter nexum cum prioribus. Burmanni sudaciam Clercquius, discipulus ejus non degener, adeo superans, pluribus mutatis atque parenthesi, nullum hic locum habente, immo sensum turbante, posita, *Sollers* vult. Male vero *semper* sollicitant, quod ad describendam Telonis dexteritatem in re nautica multum facit. Deinde omnia aptissime cohærent, infinitivo ab adjectivo *notior* pendente. Neque quid in hac structura duri sit, nisi quod in omnibus ejusmodi hellenismis video. Versus 594 et 595 qui in Voss. 2 a manu secunda leguntur exciderant negligentia librarii. WEB.

600. *Dum cupit in sociam Gyareus erumpere puppim.* Codices quidem *irrepere*, sententia ipsa hoc postulante. Quippe si *erupisset* in navim, et non *irrepsisset*, qui potuit fieri, ut telo affigeretur rati? BENTL. — Male: nam cum Lucanus non *erupisse*, sed *erumpere cupiisse*, dicit. ED.

605. *Discrevit mors sæva viros.* Addita hic parenthesi, sententia non magis perspicua fit. Quorsum enim ista, *Discrevit mors viros*, et *sublato errore?* quum nihil dixerat de formæ similitudine: non ita Virgilius, quem præ oculis hic Noster habuit, Æneid. X, 390. At Noster nihil omnino de forma. An credidit omnes gemellos simili facie nasci? Incredibile vero hoc est: et aut versus excidit, aut sic vel simile quid scripsit: « Quos eadem simili genuerunt viscera forma. » BENTL.

Locus hic est inquinatissimus, et diversis mendis scatet. Bentleius solus sensisse videtur aliquid latere, sed audaciuscule refingit, quod nollem factum. *Fratres gemini* legatur, an *gemini fratres* (de quo disputant viri doctissimi) parum refert, quia ineptissimi sunt; nam *gemini*, nisi fallor, suffecerit. Verum quam absurde jam *fratres* hi *gemini* ex iisdem visceribus prodiisse dicantur, nemo non videt; nam ex *diversis visceribus* geminos prodire monstrum fuerit. Sed quid tum? sublato errore tandem eos agnoscunt parentes? Nugæ! nam et utrosque vivos agnoscebant, licet *dignoscere* nequirent. Quæ quum ita sint, severa critica dictat, rescribendum esse,

> Stant gemini *similes*, fecundæ gloria matris,
> Quos eadem variis genuerunt *sidera* fatis:
> Discrevit mors sæva viros, unumque relictum
> *Dignorunt* miseri, sublato errore, parentes.

Similes erant gemini hi, adeo ut parentes dignoscere non possent. Val. Flacc. I, 366:

> Deucalion certus jaculis et cominus ense
> Nobilis Amphion, *pariter quos edidit* Hypso,
> Nec potuit *similes* voluitve ediscere *vultus*.

Eadem *sidera* scripsi, nam *viscero* ineptum. Eodem tempore nati *gemini* idem natale astrum, eumdem horoscopum habent, unde hic tanquam singulare quid notat auctor, eos non *iisdem*, sed *disparibus fatis* natos fuisse. *Dignorunt* ipsa sententia vindicat, ceu patet ex eo, quod præcessit : « *Discrevit* mors sæva viros. » Sic discernere pro dignoscere, discrimen agnoscere dixit Claudian. IV Cons. Hon. vs. 211 : « Eurotas proprios *discernere* nescit alumnos. » Jev.

607. ... *Tenet ille dolorem*. Quid hic significet illud *tenet dolorem*, videre nequeo, quum neque de fratre superstite, neque de parentibus, quibus amissum fratrem in memoriam revocat, commode capi possit. Credo reliquisse poetam : « *Movet* ille dolorem Semper et amissum fratrem lugentibus offert. » *Movet* dolorem parentibus, quotiescumque eum aspiciunt, quia semper fratris occisi memoriam illis revocat. Sic *movere* et *tenere* confusa, III, 2 : « Mediumque rates *tenuere* profundum. » Ubi in tredecim codd. erat *movere*. Posset et legi *novat* pro renovat, ut Virgil. Æn. II, 3 : « Infandum, regina, jubes *renovare* dolorem. » Sed prius placet. Mox malim *Horum* alter, etc. Quomodo parenthesi opus non fuerit, quæ certe nihil elegantiæ poetæ addere videtur. Jev.

616 *Rapturusque suam procurrit*. Quorsum illud *procurrit?* non in litore et vado res agitur, sed in alto mari. Nostri omnes codices recte habent *procumbit;* pronus scilicet ex latere navis.

621. *Telaque multorum*. Offendit merito Burmannum insuavis ille rhythmus in *multorum* et *suorum*, qui et longe diversam a reliquis ex fragmento S. Germ. hic profert lectionem : « Tela tot in puppim leto casura suorum. » Leto *cessura* legebat Heinsius, licet postea induxerit. Quin tamen illud *cessura* a manu poetæ sit, nullus equidem dubito. Ast vero, quid *emerita* mors sit, plane ignorare me fateor, qui emeritis annis, emeritis stipendiis, sæpe legerim, at emerita morte numqoam. Crediderim, poetam nobis hoc modo reliquisse : « Telaque *mille unus*, leto *cessura* suorum, Emerita jam sorte, tenet. » *Mille* tela *unus* tenet, quæ alias leto suorum cessissent. Ita, lib. IV, vs. 205, de *Scæva* centurione : « Tot vulnera belli Solus obit. » Nam lectio quam profert Burm. Tela « tot in puppim, » a manu docti viri fluxisse videtur, qui ita correxit ad tollendum illum rhythmum; siquidem et conjunctio abesse non potest, et vs. 619 *puppe* præcessit, denuo 626, vs. sequitur *puppim*. *Cessura leto* lego, sive quæ illis mortem intulissent, ut dicimus *cedere* lucro et in lucrum. Sic temeritas *gloriæ et in gloriam cedere* dicitur Curtio, lib. III, c. 6. *Sorte emerita* rescripsi, id est, « casibus et belli periculis, quibus defungi cogebatur lege fatorum, et quibus jam defunctus (ut bonus miles, emeritis stipendiis, *rude* donari solebat) *morte* plenam libertatem adepturus erat. » Manilius I, 422, de nave Argo : « *Emerita* et magnis tandem *defuncta periclis*. » *Emerita sors* eleganter de eo, qui jam *sua fata peregerat*, ut loquitur de Afra-

nii militibus, qui se Cæsari dedentes vacationem a militia petebant, IV, 361:

Turba hæc *sua fata peregit.*

Sors est status, conditio, vitæ genus, quod fato mortalibus datur; seu læta seu tristis, gravis aut levis, dura vel aspera obtingat. Sic *durissima fati sors*, IX, 1046, et conf. VIII, 395, 452. *Sorte* igitur *emerita*, est vita exacta, fatisque peractis. *Sors* et *mors* sæpe confusa : vid. Burmann. ad lib. VII, 818, et VIII, 703. Jever. — Bipontina male, ut opinor, distinguit: « Telaque multorum, leto casura, etc. » Melius capiendum puto, « telaque, multorum leto casura suorum, » quasi ille multos suos leto exemerit, quam multa tela exceperit. Ed.

625. .... *Defectis robore membris.* Vers. præced. habuimus, *Membraque contendit.* Repone igitur ex melioribus codicibus : « *defectis robore nervis.* » Sic et IV, 372 : « mox robora *nervis* Et vires rediere viris. » Ita quoque laudat hunc versum Bentl. ad Phædr. I, 21, 3. Web.

627. *Strage virum.* Dubium lectori hic videri possit de qua nave loquatur poeta, utrum de Massiliensi, an vero de hostili Romana, quam moribundus insiluit magnanimus heros, ut solo eam pondere opprimeret atque demergeret? Sane de Massiliensi capi hæc nequeunt, siquidem poeta mergi fingens ratem, Thrasonis hujus fratrem ita nullo miraculo servare potuerit ut perpetuum parentibus dolorem moveret et amissum fratrem lugentibus offerret, quod vs. 707 voluit. Quare de hostili Romanorum rate hæc capienda, ut recte observavit Oudendorpius. Verum ne ullum amplius dubium supersit, crediderim hic rescribendum esse : « Strage *viri* cumulata ratis, etc. » Neque mirum alicui videri debet, *stragem* hic de uno homine dici, siquidem fingit poeta τερατολόγος, pondere hujus cadaveris sive *strage* hujus herois tantam hostili rati cladem illatam fuisse, ut, laxatis compagibus hausto mari, ad summos foros repleta tandem demersa sit. Cæterum vel sic Lucanus ineptiarum hic absolvi nequit, qui inani tumore putidissimos Romanensium historiolarum scriptores et delirantia gentis suæ ingenia longo post se intervallo relinquit. Olim, fateor, Cynægiri, Atheniensium militis, virtutem, a Justino, lib. II, c. 9, splendidis adeo oratoriæ artis phaleris ornatam, fabulam putavi, quippe ab omni veri similitudine prorsus alienam : ast cum præclari hujus herois facinore eadem collata si fuerit, vera jam historia videri possit! Justissimam hac parte in poetam nostrum censuram exercuit Burmannus in elegantissima præfatione, ubi ingentem hujusmodi nugarum ex eo farraginem profert, eoque, quo merentur, risu et contemptu merito explodit. Jever.

630. *Ad summos repleta foros*, etc. Inverso ordine versus in cod. Lips. leguntur; error natus est ex simili initio vers. 629 et 630. Possis quidem suspicari, versum 631 spurium prioris versus sedem mutasse; neque negari

potest, salvo et integro sensu abesse posse ; sed quis, quæso, talem versum et cur eum interpolaverit? Immo est Lucani et ad describendam rem optime facit, modo vulgarem ordinem servemus. *Repleta* metri causa mutandum in *completa;* conf. sup. IV, 747. *Foros* explicat Scholion Lipsii : «*Fori* dicuntur tabulata navium vel sedilia navium: vel fori foramina dicuntur, in quibus remi mittuntur, dum remigant.» *Descendit* non mutandum est in *desedit* et defenditur verbo *involvens*, quocum melius convenit, reipsa et usu loquendi, quem Oudendorpius hoc loco probat exemplis Claudiani de Bell. Gildon. 220 et Stat. Theb. III, 58 ; IX, 279, 282. WEB.

634. *Præbuit ille dies.* Alii *illa ;* sed meliores codices *ille dies ;* ut Noster solet, et v. 636, pro *Lycidam*, meliores *Lycidan.*

638. .... *Nec sicut vulnere, sanguis Emicuit lentus.* Contrarias res indicant *emicuit* et *lentus :* ut vel ex his Senecæ constabit, Œdip. 345 : « Utrum *citatus* vulnere angusto *micat*, An *lentus* altas irrigat plagas *cruor ?*» Sed sana fiet sententia, distinctione tantum mutata : « nec sicut vulnere, sanguis *Emicuit : lentus* ruptis cadit undique venis ; » vel potius, ut ambiguum evitetur : « *Emicuit :* ruptis *lentus*, etc. » BENTL.

651. *Brachia nec licuit vasto jactare profundo.* Nihil confert orationi illud *vasto* præter sonum inanem : et mox iterum habemus, sed recte et apposite, « tam *vastos* pectus ad ictus. » Repone igitur *vacuo*, id est, aperto et libero : et vides antitheton : « Sed *clauso* periere mari. »

657..... *Eliso ventre, per ora Ejectat saniem permixtus viscere sanguis.* Expende hæc paullisper: *sanguis, ejectat saniem.* Quid vero impediebat, cur ambo non simul exirent, quum uterque liquidus sit? Deinde ait, *sanguis permixtus viscere.* Quo, quæso, viscere ex tam multis? quin in vivo et sano corpore sanguis omnibus visceribus permixtus est. Ex nostris codicibus unus et alter *viscera.* Lege ergo minima mutatione : « eliso ventre, per ora Ejectat *sanie* permixtus *viscera* sanguis. » Recte *sanguis sanie permixtus*, tabo, felle, aliis corporis humoribus. Recte quoque *ejectat viscera per ora*, liquidus nimirum solida, ut supra v. 590 : «Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas. » BENTL.

Locus corruptus. Variant codd. *mixtus per viscera* in Pulmann. *mixtus post viscera* Reg. Sanger. habebat *permixtus viscera sanguis*, et sic legit Bentleius, sed frustra. *Cruorem expellere hastas* vs. 590 quidem dixit poeta, quod, utut eo loco mirum et ultra fidem veritatis exaggeratum videatur, fieri tamen potest, siquidem, calido sanguine laxato vulnere, hasta erumpentem magna vi cruorem nonnumquam sequi solet, præsertim si non alte infixa sit : sed *sanguinem ejectare viscera* novum plane fuerit atque inauditum, adeoque absurdum. *Sanguis permixtus viscera* edidit Cortius. Græcismus ille merito displicuit Burmanno, qui nihil tamen hic tentat. Tacent et reliqui interpretes. Ast facili remedio Lucano suam mentem ma-

numque restituerimus, si legamus : « eliso ventre per ora *Eructat* saniem *permixtum et viscere sanguen.* » « Juvenis ille, concurrentibus rostris fixus, eliso ventre et obtritis ossibus, ore eructat saniem, et sanguinem visceribus mixtum. » Nihil verius : nihil naturæ rei convenientibus dici potuit ! Sic Virgilius Æn. III, 632, de Polyphemo ait : « Jacuitque per antrum Immensus *saniem eructans et frusta cruento* Per somnum *commixta mero.* » *Sanguen viscere permixtum* dixit, ut Virgilius *frusta sanguineo mero permixta*, sive *sanguine et mero. Sanguen* neutro genere ἀρχαϊκῶς, ut Lucretius aliique loqui amant. Si cui forte illud non placeat, is, me non reluctante, rescribat : « *Eructat* saniem et *permixtum sanguine viscus*, quod proxime ad Virgilii locutionem accedat. Jev.

659. Olim, *Postquam inh. remis puppes, ac rostra recedunt.* Codices nonnulli *remi* habent, alii *reducunt.* Certe aut scribendum est: « Postquam inhibent *remi* puppes, et rostra *recedunt*», aut «Postquam inhibent *remis* puppes, et rostra *reducunt.* » Utraque lectio bene se habet : sed prior figuratior est, quia actio non hominibus, sed ipsis instrumentis tribuitur, ut supra 545: « In puppim rediere rates. » Bentl. — Hunc versum et sequentes usque ad v. 669 damnat Gujetus ut spurios ortosque ex amplificatione librarii. Sed neque sensus, neque verba singula habent, cur Lucani esse non possint. Recte v. 660, *corpus*, quum carinæ juvenem non ita obtrivissent, quin aliquid superesset. Unde enim *ora*, per quæ saniem ejectat sanguis ? Auxilium v. 663 dicitur de ea ope, quam accepturi erant a puppe socia. *Super* v. 666 absolute pro *desuper* sæpius apud poetas legitur. Reliqua Lucano dignissima sunt. Web.

660. Alii, *Disjectum in pelagus*, etc. Recedentibus rostris, corpus ab eis interceptum decidit suo pondere in pelagus. Sed cur *disjectum corpus*, quod minime in partes scissum erat, sed pectore tantum perfosso ? Repone quod multo major pars codicum habet *dejectum.* Bentl.

664. Olim, *Robora quum vetitis prensarent altius ulnis.* Pulmanni codices *prensarent artiusc. Arcte* prendere et tenere, hoc aliquid est; sed *alte* au secus, nihil ad rem : immo nuns tautum erat ad prensandum locus. Id.

673. *Avulsasque rotant excusso remige sedes. Expulso* plerique omnes libri, et quia verbo *tortum* hic minime opus est, quum una habeamus *rotant*, alii libri *totum.* Utrumque placet, *totum*, simul, non per partes, quod magnarum virium erat. Id.

677. *Visceribus traxere suis. Vulneribus* Heinsius et Burmannus; Grotius contra, adstipulante Oudendorpio, legit : « Jaculum letale revulsum *Visceribus* traxere suis, et *vulnera* læva Oppressere manu. » Quæ sententia mihi verior videtur. Letale enim jaculum non fuisset, nisi *hæsisset visceribus. Viscera*, quæ tangere nequeunt, non opprimunt manu, sed *vulnera*, nisi quis tam ineptum crederet Lucanum, ut letali hoc vulnere

viscera ex corpore prolapsa fingere voluerit. *Intestina* ex vuloere prolapsa sæpe auidvi, *viscera* nuoquam. « Oppresseruut vuloera, ue saoguis effluerct, antequam hostile telum torsissent. » Supprimere et occupare sanguioem hoc vocant medici. Celsus, lib. V, c. 1 et lib. VIII, c. 4. Ita « opprimere dolorem patieotia » dixit Cicero Tusc. Quæst. lib. II, c. 14. Sic *oppressa* gaudio vox apud Clandiao. Cons. Prob. et Olyb. vs 235 : «Obstupuit visu, suspeusaque gaudia vocem Oppressam tenuere diu. » JEVER.

682. .... *Et tecto sulfure vivax Spargitur.* Quid opus, ut iu tædis et facibus sulfur sit tectum? Nou astu et insidiis res agebatur, sed vi aperta. Immo ut patet ex Ovid. Met. III, 373 in tædis sulfur semper extrorsum erat. Adde, Her. VII, 23 : « Uror ut ioducto ceratæ sulfure tædæ. » Lege unius literæ mutatiooe: « Et *tacto* sulfure vivax. » BENTL.

687. *Hic recipit fluctus.* Pro *recipit* Pulmanni codex *repetit*, quam lectionem accipimus. *Repetit* vero fluctus, qui tabulam ardentem desereus, mari se iterum committit. ID.

689. .... *Mors una timori est, Qua cœpere mori.* Curtius IV, 16, 17 : « Quippe ubi iutravit aoimos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare cœperunt.» ID.

696. *Pugna fuit unus in illa.* Solœcismum commiserit poeta, si ita scripserit. Dicendum eoim fuit *in hac pugna*. Rescribendum patet : « *Turba* fuit unus io illa. » Id est, in illo uumero militum Massiliensium. Ovid. Epist. Heroid. IV, vs. 101 : « Nos quoque *quamprimum turba numeremur in illa*. » JEV.

701. *Hic ubi compressum.* Locus bic corruptus. Quorsum eoim *compressum hostem* deduxerit, uon patet. Quio *compressus hostis* hoc loco implicat, et illud *penitus deducere* mihi vanum videtur. Certe, uudecumque illud *penitus* veuerit, a mala manu intrusum. *Comprensum* habeot multi codices, quod unice verum. Iu Turriaoo *demiserat* legitur. Si quid video, reliquit uobis Lucaous: « Hic, ubi *comprensum pedibus demerserat* hostem, » ut callidus urioator, se sub undis demergens, *prehensum pedibus hostem* (qui ita ipsi vicissim uocere oon poterat) *demerserit*, eoque exstiocto, in summas æquoris undas remeaverit. *Comprensum pedibus*, nou *compressum*, quod uauci est. *Demerserat* et *demiserat* facile coofuudi potuere, et sæpius confusa. *In undas* lego, quia superoatabat. Plus eoim huc uotat, quam *ad undas*. *Ad* euim ortum ex compeodio scripturæ. *In* erat iu decem libris teste Burmauoo, qoi tamen *ad* præferre voluit, quia tandem occurrit puppibus et sub æquore maosit, ut ait Lucauus. Ego vero puto, divarsos illos casus diversis temporibus satis distinctos apparere, atque ita *in undas* veram auctoris manum esse. JEV.

707. .... *Multus sua vulnera. Multus* pro *multi* absolute (singularia

pro plurali, ut vult Scholiastes) mihi umquam lectum non memini. Ulcus latere recte suspicatus fuit Burmannus, qui in illa voce nomen proprium occultari putabat, quia codd. *vultus* habent. Legendum forte: « Non perdere letum Maxima cura fuit *multis. Hic pectora* puppi Adfixit moriens, et rostris abstulit ictus. » Vel, si proprium nomen hic lateat: « Non perdere letum Maxima cura fuit. *Tullus* sua *pectora* puppi Adfixit moriens, etc. » *Vulnera* enim ineptum. Ast, ut ingenue fatear, nisi illa, *non perdere letum maxima cura fuit*, adessent, spurios hos quatuor versus pronuntiarem, nam contextum et seriem orationis turbare videntur, et præterea illud, *abstulit ictus rostris*, iis quæ supra dixit vs. 654 et seqq. e diametro repugnat. JEV.

713. .... *Procumbunt oculi.* Æstuant hic omnes fere interpretes. Oudendorpius legit *prociderunt* vel *prosiliunt.* Withof. in Encæn. Crit. pag. 49, mutata distinctione, legebat: « Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit, Vincula *proturbant* oculi. » Burmannus sibi hic aquam hærere fatetur, neque tamen præter τὸ *procumbunt* ullum se aptius invenire verbum; ast in eo fallitur, quod oculos in terram prolapsos putat. Vulgata sana atque adeo non sollicitanda. Sedibus expulsi oculi *procumbere* recte dicuntur, id est, prominere extra suas sedes, ligamentis ruptis, in genas effusi, ut monui supra ad vs. 255. Ita *procumbere* in æquora est pronum se inclinare super mare, vs. 616: « Rapturusque suam *procumbit in æquora* dextram, » ubi similiter, uti hoc loco, *procurrit* erat in MSS. Vid. supra pag. 616. JEVER.

728. .... *Phocaicis ulli cessurus in armis. Arma* illa *Phocaica* mihi non valde placent, otiosa plane, adeoque neque a poetæ manu. Non enim significare possunt *bella Phocæorum contra externos hostes*, de quibus auctor altum agit silentium: multo minus *bella civilia*, utpote ad quæ fugienda patriam reliquerant. Restituendum igitur sine dubio: « Phocaicis ulli cessurus in *arvis.* » Id est, nulli olim virtute secundus in *campis* Phocidos. Sæpissime hæ voces in MSS. permutatæ. JEV.

730. .... *Qui funere viso... Pervenit ad puppim.* Latet hic menda. Miror certe, non offendisse hic doctissimos interpretes. Quod enim hic facit illud *senior?* Victum robur *ævo* cecidisse, eumque *senecta fessum* exemplum, non militem, fuisse dicit; quo igitur jam illud *qui senior?* Præterea, quid *longa carina* hic nobis opus? Anne ideo, ne quis putaret, vel onerariam, vel mercatoriam, etc. fuisse? Et quam inepte *funere viso* jam senior sæpe cadens ad puppim venit? Vidit hoc recte Bentleius, qui ideo *vulnere* rescribit, siquidem Argus vulneratus quidem, sed nondum mortuus erat, ut patet ex vs. 746. Hæsit et hoc loco Scholiastes, qui ad illud *cadens* scribit, aut *senior*, aut *nimia festinatione.* Non multis ambagibus opus est. Crediderim nobis a poeta relictum esse hoc modo: « qui *vulnere* viso, Sæpe cadens *segni senio*, per transtra carinæ Per-

venit ad puppim.» Ut sit sensus: Viso vulnerato filio, pater per transtra carinæ perrexit ire ad puppim, quamvis longæva et trepidante senecta sæpe caderet. *Segni senio*, nam *tarda senecta* hiue proprie dicitur. Ita *senio debili trementem* atque ævo gravem dixit pareutem Senec. Med. vs. 258. Hinc *segnis senili gelu* stella (oculorum) Phœnicis eleganter vocatur a Claudiano, Idyll. de Phœn. vs. 36:

> Jam breve decrescit lumen, languetque *senili*
> *Segnis* stella *gelu*.

Quia defectu caloris nativi lumen oculorum in senibus fulgorem amittere et quasi sine igne languere solet. Corrigendus itaque videtur Scholiastes: «*cadens*, aut *senio*, aut nimia festinatione.» Recte! Senes quippe festinantes trepidare solent, ipsaque trepidatione nimia titubant tardique sunt, moventes multum, parum promoventes. Judicent critici. Jev.

734. *Distentis toto riguit.* Placet quod alii codices habent, *distensis*. *Tensus* Noster amat dicere, non *tentus*, fide Prisciani. Sed et sic evitatur ingratus unius literæ *T* concursus.

751. *Festinantem animam*, etc. Non recte dicitur, *animam* cupere præcedere, sed *animum*, solum affectus et rationis potentem. Deinde, si *anima* re vera *festinabat*, cur, obsecro, non *credidit?* Immo vero homo ipse festinabat mori, ac idcirco morantem hærentemque animam duplici morte expulit. Lege igitur: «Letum præcedere nati *Festinans*, animam morti non credidit uni.» Et Bersmanni sane codex *Festinansque* habet.

752. *Inclinant jam fata*, etc. *Anceps* ille *belli casus* mihi valde suspectus est, qui notare deberet dubiam belli aleam, quæ tamen locum suum tueri vix posse videatur, quum «inclinare ducum fata et maximam Massiliensium classis partem captam atque demersam, et paucas naves præcipiti fuga vix navalia tenentes» memorat poeta. Præterea *jam fata* et *jam amplius* turpissima ταυτολογίᾳ laborant. His adde, quod in fragmento cod. S. Germ. pro *anceps* legitur *ullus*, quod non de nihilo esse videtur, uti mox patebit. Videamus, quid de Lucano sit. *Inclinant fata ducum* ait poeta; ast, quid hæc verba significent, altum est apud interpretes silentium. *Fata ducum* de *ducibus* Massiliensium Domitio et Nasidieno explicat Micyllus, qui proinde inclinare eo sensu capere videtur, quo *domus inclinare* et procumbere dicitur, quæ ruinam minatur, quem vel refutaverit Scholiastes, qui recte hæc capere videtur, ad hæc verba scribens: *Inclinant fata*, Pompeii, ut vinceretur; Cæsaris, ut vinceret. Sed prius varias hujus verbi significationes videamus. *Inclinare* proprie est vergere, in aliquam partem propendere. Ita dies *inclinat* ad vesperam. Curt. lib. VI, c. 2, et meridiem inclinare dicit Horat. Carm. III, Od. 29, 5. In vitium inclinare, Plin. H. N. lib. XIV, c. 20. Animus et sententiæ *inclinare* dicuntur in aliquam partem, Liv. lib. VII, c. 9 et lib. XXVI, c. 48. *Inclinare*

ad fortunam pro felicioribus se jungere lib. XXIII, c. 33. Hinc active *inclinare* malos pro demittere : idem Liv. lib. XXXVI, c. 44. *Inclinare* faces, sc. ad terram, dicitur Ceres, Proserpinam quærens, apud Claudianum de Rapt. III, 442, et leo *inclinare* jubas in Rufin. II, 255. Gargara *inclinant* silvas sive demittunt Rapt. I, 206; et modestia regale culmen populo, VI, Cons. Hon. 64 ; et natura cauitiem radiis *inclinare* dicitur; de pr. Cons. Stil. II, 442. *Inclinare* pateram est invergere; de pr. Cons. Stil. I, 62. *Inclinare* oculos est claudere, Propert. Eleg. IV, 45 : « At mihi non *oculos* quisquam *inclinavit hiantes.* » Et boves *inclinant* genua arenis, id est, genibus procumbunt, Ovid. Met. XI, 355. *Inclinare* culpam in aliquem, est transferre, Liv. lib. V, c. 8; et *inclinata* a pauperibus in ditiores onera, lib. I, c. 42; et *inclinare* maritos sensu nequiore Juvenal. Sat. IV, 26, et X, 223. *Inclinare* se ad Stoicos, Cic. de Fin. lib. III, c. 3. *Inclinari* timore, lib. III, ad Att. Ep. 3. Milites *inclinant* se in fugam, et acies *inclinare*, idest, fugere dicitur Liv. lib. I, c. 12 et VII, c. 23. Hinc *inclinatæ* vires, idem Liv. lib. IX, c. 12. *Inclinata* Respublica, Cic. in Brut. c. 18. Fortuna *inclinata*, quæ excitatæ sive surgenti opponitur, lib. II, ad Fam. Ep. 26. *Inclinatæ* mammæ, Propert, Eleg. II, 2, vs. 21, id est, pendentes et flaccidæ. Ast vero omnes hæ significationes nihil ad Lucanum! Propius ad hujus loci explicationem faciat, quod dixit Cæsar B. Civ. I, 52: « et tam paucis diebus magna erat facta rerum commutatio, et se *Fortuna inclinaverat,* » quod planius deinde explicat, subjungens : « ut *nostri* magna rerum necessariarum inopia conflictarentur; *illi* omnibus abundarent rebus *superioresque haberentur.* » *Fortuna se inclinaverat,* id est, inclinatione voluntatis sive favoris in hostes propendere cœperat, ut loquitur Cic. lib. II, de Orat. c. 29. Eodem plane modo, quo apud Cæsarem fortuna, apud Lucanum jam *fata* inclinare dicuntur. *Inclinant* fata scilicet, quando non amplius *dubium* inter diversas partes *favorem* retinent, aut huc illuc *nutant.* Sed tandem pro alterutra parte plenum favorem aperte declarant, eique victoriam tribuunt. Elegantissima hæc metaphora desumpta est a *lancibus,* quæ dubio pondere huc illuc nutant donec, injecto *momento,* æquilibrium amittunt et in alterutram partem tandem plene propendent et vergunt. Librata igitur in *lance Fortunæ* fata Cæsaris præponderabant fatis Pompeii, adeoque fata favorem suum aperte inclinant in Cæsarem, eique victoriam tribuunt. Similiter Seneca Phœniss. vs. 385, de Jocasta, utrosque filios diligente, misero tamen exsuli magis favente, ait: « *Inclinat animus, semper infirmo favens.* » Vera igitur hæc si fuerint, ut quilibet videre potest, et fata plenam hic Cæsari victoriam tribuunt, quo, quæso, jam nobis *ancipitem* belli casum? Pro *anceps, ullus* fragmentum cod. S. Germ. nobis repræsentat. Quare, arrepta lectione, reponendum suspicor: « Inclinant *hic* fata ducum, nec jam amplius *ullus Bello cursus* erat. » Ut sensus sit: Hic, id est, hoc momento temporis, fata ducum, quæ durante prælio, in lance Fortunæ dubia victoria nutaverant, se jam aperte discernunt, et Fortuna, quæ dubium diu inter partes favorem tenuerat, plenum pro Cæsare

favorem declarat, eumque victorem facit, *finisque prælio navali impositus fuit*. Classe Massiliensium partim demersa, reliquisque navibus in fugam versis, *nullus* amplius *bello cursus* erat, sive non amplius erat pugna, sed plena victoria.

762. *Primus Cæsareis pelagi decus*. Locus mendosus. Quid enim? Brutus *primus* victor navali certamine! Quis igitur secundus? *Pelagi decus* plane mendosum. Victoriam enim navalem significare non potest, siquidem hoc sine exemplo est: et si vel posset significare, quænam hæc ineptæ orationis stribligo? Brutus victor in æquore sive pelago decus *pelagi* addidit armis Cæsareis. Dedit nobis poeta: « at Brutus in æquore victor *Primum* Cæsareis *belli* decus addidit armis. » *Primum belli decus*, id est, primam navalis prælii gloriam, sive *victoriam*. Val. Flacc. V, 540: « Nec *decus oblati* dimiseris advena *belli*. » Et quemadmodum apud Senecam Herc. Œt. vs. 1504, Hercules cælo *decus* contulisse, ita hic Brutus primum belli decus sive primam belli navalis gloriam armis Cæsareis *addidisse* eleganter dicitur: nam *bellum* pro prælio navali frequens Lucano. Sic supra, vs. 524: « Servatum *bello* jacuit mare. » Et vs. 560: « ... jam consere *bellum*. Phocaicis medias rostris oppone carinas. » Et vs. 566: « ...tecto stetit æquore *bellum*, » Atque addita voce *navali*, vs. 569: « *Navali* plurima *bello* Eusis agit. » JEV.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM

LIBRI QUARTI

E SULPITIO DESUMPTUM.

Castra Ducis castris ad celsam quartus Hilerdam
Confert in tumulo, qui pæne est obrutus imbri;
Enatat hinc Cæsar. Sicoris diducit et undas :
Petreique fugam sequitur vicinia, pacem
Incipit; at subita Petrei cæde repellit :
Qui mox esuriens veniam vitamque precatur.
Pugnat in Hadriaca posthæc Antonius unda :
Vulteiusque cadit; Libye te, Curio, mactat.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER QUARTUS.

ANALYSIS.

Describuntur castra a Pompeii legatis ad Hilerdam posita, et adversa Cæsaris; 1—23. Hic frustra tumulum occupare tentat; 25—47. Densissimi ingruunt imbres, et larga aquarum colluvie Cæsaris castra superinducuntur; 48—120. Sicorim ponte super injecto transit Cæsar; Petreius ab Hilerda castra movet, in Celtiberiam iturus; 121—147. Eum Cæsar adsequitur; 148—167. Romani, utrimque milites quos exiguum vallum separat, illud mox transcendunt et in mutuos ruunt amplexus; 168—194. Pacem disturbat Petreius ferox, et milites ad arma excitat; 195 — 211. Ejus oratio ad Pompeianos; 212—236. Tumultus castrorum modo junctorum describitur; 237—259. Hilerdam repetere tentant Pompeii legati, quos collibus siccis includit Cæsar; 259—266. Sitientibus ac desperatis pugnam negari jubet Cæsar; 267—291. Aquæ inopia apud Pompeianos; 292—336. Dedunt se duces; Afranii oratio; 337—362. Supplicibus ignoscit Cæsar; 363—401. Interim in mari Hadriaco Antonius, legatus Cæsaris, fame in

castris premitur, 402—414. Antonius, ut evadat et sociis se jungat, fugam per æquor meditatur; 415—432. Catenæ laxæ sub aquis immittuntur jussu Pompeiani ducis, quibus Antoniana ratis tardatur; 432—464. Vulteius, dux navis, suos adhortatur ut se invicem trucident, potius quam victori se dedant; 465—520. Se omnes internecant; 521—574. Hujus facinoris laudes, 575 — 581. Curiò navigat in Libyam, ubi in exesis rupibus moratur, quæ regna Antæi fuisse putantur; 581—592. Hujus gigantis cum Hercule certamen narratur; 593—660. Pompeianorum sub Varo et Juba in Africa copiæ. Hujus sensus in Curionem; 661—693. Varum aggreditur et profligat Curio; 694—714. Mox Cæsariani a Numidis opprimuntur; Curio mortem sibi dat; 715—798. Epilogus ad Curionem; 799—824.

AT procul extremis terrarum Cæsar in oris
Martem sævus agit non multa cæde nocentem,
Maxima sed fati ducibus momenta daturum.

1. *At procul*, etc. *Procul* nempe Massilia : relicto enim in istius urbis obsidiona Bruto, ad bellum Hispanicum transit poeta. Cæsar tribus legionibus ad Massiliam relirtis, cum pari numero in Hispaniam ire perrexerat : jussis legionibus, quæ non longo intervallo seqnebantur, suis vestigiis instare. *At* transitionis particula hunc librum orditur, et quidem imitatione Virgiliana, IV, 1 : « At regina gravi jam dudum saucia cura, etc. » HORTENS. — *Extremis in oris*. Sc. in Hispania : Hesperia in ultima bellum gerit Cæsar.

2. *Non multa cæde nocentem*. Duces enim Pompeiani omnium rerum inopia pressi se Cæsari dediderunt. Infra vs. 354. — Hoc confirmat Florus, IV, 2 : « Anceps variumqne sed incruentum in Hispania bellum. » ED.

3. *Maxima*, etc. Multum adjumenti et momenti adlaturum Cæsari, melius persequnturo summam et caput belli; postquam desiisset ipse timere, Pompeius sperare auxilium a legatis suis legionibusque in Hispania. — *Fati momenta*. Belli Imperatoribus res magni ponderis daturum. Innuit reliquam belli civilis fortunam e victoria belli Hispanici, suum exitum habituram. — *Ducibus*. Cæsari ac Pompeio. HORTENS.

Jure pari rector castris Afranius illis,
Ac Petreius erat: concordia duxit in æquas
Imperium commune vices; tutelaque valli
Pervigil, alterno paret custodia signo.
His præter Latias acies erat impiger Astur,
Vettonesque leves, profugique a gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Hiberis.
Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta
Surgit Hilerda manu: placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,

4. *Jure pari.* Potestate æquali, fide et amore mutuo, cura pari, et alterna imperii vice, tutelæ castrorum præerant. Adventu enim Vibullii Rufi a Pompeio missi, Afranius, Petreius, Varro, legati Pompeii officia inter se partiebantur. Varro cum duabus legionibus ulteriorem Hispaniam tuebatur: Petreius cum duabus legionibus et auxiliis Lusitaniæ, Celtiberiæ, Cantabriæ, etc. ad Afranium profectus, qui ipse Hispaniæ citerioris partem maximam cum tribus legionibus obtinebat: constitueruntque bellum ad Hilerdam, propter loci opportunitatem, gerere.

7. *Pervigil custodia.* Custodes. — *Alterno signo.* Nunc enim Petreiani, nunc Afraniani vallum custodiebant.

8. *His præter Latias*, etc. Præter Romanas legiones quinque, in Petreii et Afranii castris, Asturum, Vettonum, Celtiberorum, erant et aliarum Hispaniæ utriusque gentium cohortes octoginta, equitum tria millia. — *Astur.* Unum pro gente posuit: populi Hispaniæ sunt, nomine adhuc servato.

9. *Vettones.* Sic recte: Græcis Οὐέττονες. Ed.

10. *Gallorum Celtæ.* Celtæ, qui in Hiberiam migrarunt, Celtiberi sunt appellati. Celtæ enim nostra lingua Galli dicuntur, inquit Cæsar. — Hoc adumbravit Silius, III, 340: « Venere et Celtæ sociati nomen Hiberis. » Ed.

11. *Colle tumet modico*, etc. In colle leviter ascendenti sita est Hilerda, in solo fertili, viginti millia passus ab Hibero, citra Sicorim fluvium. — *Leni tumulo.* Ovid. Fast. V, 154: « Leniter acclivi constituere jugo. » Sic quoque *lene* fastigium Senecæ dicitur, de Const. Sap. c. 1.

14. *Hesperios inter Sicoris.* Sicoris ex Pyrenæis jugis ortus labitur præter Hilerdam, et longius devectus in meridiem, tandem Hibero miscetur. Hortens.

15. *Pons amplectitur arcu.* Pons

Hibernas passurus aquas. At proxima rupes
Signa tenet Magni : nec Cæsar colle minori
Castra levat : medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effusa patentes,
Vix oculo prendente modum : camposque coerces,
Cinga rapax, vetitus fluctus et litora cursu
Oceani pepulisse tuo ; nam gurgite mixto,
Qui præstat terris, aufert tibi nomen Hiberus.
Prima dies belli cessavit marte cruento,

iste erat ab occidua parte Hilerdæ, et in potestate Afranianorum.

16. *Passurus aquas.* Scholiastes interpretatur hunc pontem pati hibernas aquas, quum, inundante fluvio, Sicoris pontem supergreditur. Sed manifesto explicandum *passurus*, ita factus, ut resistere aquis possit, ne ab iis diruatur. Ed. — *At proxima rupes*, etc. In colle Hilerdæ vicino Pompeiani castra habebant.

17. *Nec Cæsar colle minori Castra levat.* In alio colle sub castris Afranii Cæsar attollit castra. *Levat* bene dicitur de iis, quæ in altum struimus vel collocamus. Infr. 418 : « puppesque levant. » Conf. II, 222. Ed.

18. *Medius dirimit tentoria gurges.* Sicoris, inquit Sulpitius, interfluit utraque castra : verum, quum Hilerda, et utraque castra fuisse citra Sicorim videantur ex iis, quæ acta utrimque fuerint, Glareanus conjicit aliquam Afraniorum partem ultra flumen fuisse. Ejus dissertationem vide in Disquis. Var.

19. *Explicat hinc tellus.* Hinc se per planum extendit campus, ultra quam oculis possit prospici.

20. *Vix oculo prendente modum.* Rarior et durior locutio, pro, ut vix aliquis modum et amplitudinem camporum oculis metiri possit. — *Coerces.* Terminas. Alii *coercet*, et *coercens.... suo;* sed in omnibus *aufert tibi.* Lucanus suo more fluvium adloquitur. Sic III, 280 : « auroque ligatas Substringens, Arimaspe, comas. » Ed.

21. *Cinga rapax.* Fluvius ab orientali castrorum parte, uti Sicoris ab occidua. — *Vetitus fluctus pepulisse ;* id est, qui prohiberis ne in oceanum incurras. Ordo est : « vetitus pepulisse fluctus et litora oceani cursu tuo. » *Vetitus* in nominativo pro *vetite.* Conf. II, 116. Nam in ipso cursu, Hibero, celeberrimo omnium totius Hispaniæ amnium, miscetur, vetusque nomen amittit ; sicut Mosella, ubi Rheno fuerit confusus.

22. *Pepulisse.* Hoc usitatum de fluviis in mare se exonerantibus. Sil. I, 197 de Nilo : « Septeno impellens tumefactum gurgite pontum », et Avienus, de Tanai Mæotin intrante : « et inserto freta pellit vasta fluento. » Ed. — *Gurgite mixto*, etc. Sub Hilerda, Cinga influit Hiberum, qui fluvio adimit nomen Cingæ, nomen dat Iberiæ.

24. *Prima dies*, etc. Primo die post castra collata, nihil gestum est ;

Spectandasque ducum vires, numerosaque signa
Exposuit : piguit sceleris : pudor arma furentum
Continuit; patriæque et ruptis legibus unum
Donavere diem. Prono quum Cæsar Olympo
In noctem subita circumdedit agmina fossa,
Dum primæ perstant acies, hostemque fefellit,
Et prope consertis obduxit castra maniplis.
Luce nova collem subito conscendere cursu,
Qui medius tutam castris dirimebat Hilerdam,
Imperat. Huc hostem pariter terrorque pudorque
Impulit, et rapto tumulum prior agmine cepit.

copias tantum utrimque eduxerunt atque ostentarunt.

26. *Sceleris.* Belli civilis.

28. *Prono .... Olympo.* Vespero Olympum claudente, id est, sole occidente. Conjunge autem, *prono in noctem.*

29. *Subita circumdedit*, etc. Cæsar ubi cognovit per Afranium stare, quo minus prælio dimicaretur, ab infimis radicibus montis, intermissis passibus quadringentis, castra facere constituit. A fronte contra hostem pedum tredecim fossam fieri jussit; prima et secunda acies in armis permanebat. Post hos opus in occulto acies tertia faciebat. Sic omne prius est perfectum, quam ab Afranio intelligeretur, castra muniri. Vide Civ. bell. lib. I, c. 42.

30. *Dum primæ perstant.* In armis manent, perseverant, ne ab Afranianis Cæsarianorum studium et labores observarentur. — *Hostemque fefellit.* Afranius Petreiusque operis impediendi causa, copias suas ad infimas montis radices producunt et prælio lacessunt; neque idcirco Cæsar opus intermittit, etc.

31. *Et prope consertis.* In circuitu manipulos disposuit Cæsar, ut ambitum fossæ expediret. Sic autem pæne castra obtexit. SCH.

32. *Luce nova collem*, etc. In planitie inter oppidum Hilerdam et Afranii castra tumulus erat, quem si occupasset Cæsar, omni commeatu ab oppido et ponte se interclusurum hostes sperabat. Eductis itaque legionibus tribus, aciem instruit, unius legionis antesignanos præcurrere atque occupare eum tumulum jubet. Qua re cognita, cohortes Afranii quædam breviore itinere eumdem occupant, repelluntque Cæsarianos: hic autem et sub ipso oppido horis quinque pugnatum est.

33. *Medius tutam.* Colle enim Hilerda a castris Cæsaris separata et ideo tuta, minus hosti obnoxia.

34. *Hostem.* Afranianos. Terror, ne periclitarentur, si Cæsar collem occuparet; pudor, ne erubescerent, si amitterent locum. SCH.

His virtus ferrumque locum promittit : at illis
Ipse locus. Miles rupes oneratus in altas
Nititur : adversoque acies in monte supina
Hæret, et in tergum casura, umbone sequentis
Erigitur. Nulli telum vibrare vacabat,
Dum labat, et fixo firmat vestigia pilo,
Dum scopulos stirpesque tenent, atque hoste relicto
Cædunt ense viam. Vidit lapsura ruina
Agmina dux, equitemque jubet succedere bello,
Munitumque latus lævo præducere gyro.
Sic pedes ex facili, nulloque urgente receptus,
Irritus et victor subducto Marte pependit.

36. *His virtus.* Cæsarianis : *illis.* Pompeianis.

37. *Ipse locus.* Non plena oratio est. An ipse locus *promittit locum ?* Heinsius supplet *ipse se locus promittit.* Sensus est, Cæsarianos sibi promisisse ferro et vi occupaturos locum, Afranianis autem situm ipsum loci promisisse se facile repulsuros copias Cæsaris. — *Oneratus*, etc. Armorum pondere ob asperitatem rupis tardantur Cæsariani.

38. *Adversoque acies*, etc. Supino pectore arduum collem ascendentes milites Cæsaris et retro casuri, nisi sequentium a tergo clypeis sustentati fuissent.

42. *Dum scopulos.* Nitentes in montem tenent scopulos et stirpes manibus suis ut adscendant, neque ideo illis vacat telum vibrare. — *Hoste relicto.* Non directo in hostem telo, non habito hostis respectu.

43 *Cædunt ense viam.* Cædendo perviam faciunt. GROT. — Virgulta amputantes et vepres, viam sibi aperiunt; viam faciunt cædendo.

44. *Equitemque jubet*, etc. Submissus a Cæsare equitatus, latera perequitans, commodiorem ac tutiorem suis receptum dat. — *Bello.* Hic est pugnæ de occupando colle, ut sæpe alias.

45. *Munitumque latus.* Int. de peditibus, qui expositi hostium telis, nunc ab equitibus, quos Cæsar jusserat succedere bello, ut laborantibus peditibus receptum facilem darent, tegebantur. Sic ergo *gyro lævo* munierunt latus peditum. Ut locis præducuntur fossæ, valla, etc. ita hic equites præducuntur peditibus. Sic in alia re VI, 466 : « calido præducunt nubila Phœbo, » id est, tegunt et obscurant solem nebulis. BURM. — Conf. Stat. nost. ed. t. I, p. 631, n. ED.

47. *Irritus.* Re infecta. — *Victor subducto*, etc. Dirempto prælio, utrique se superiores discessisse existimaverunt. Sic Oudend. Melius Dorvillius *victor* explicat de milite Afra-

Hactenus armorum discrimina. Cætera bello
Fata dedit variis incertus motibus aer.
Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus hærens,
Æthere constricto pluvias in nube tenebat.
Urebant montana nives, camposque jacentes
Non duraturæ conspecto sole pruinæ:
Atque omnis propior mergenti sidera cælo
Aruerat tellus, hiberno dura sereno.
Sed postquam vernus calidum Titana recepit

niano qui deturbaverat ex colle Cæsarianos. Ille tamen irritus, et frustra strictos gladios intentans, in clivo montis abrupto hæsit, pronus in hostem pependit, cujus pedites facile, et nullo eos persequente se receperant; et ita, *martem* quidem illis *subduxerant*, nempe facultatem pugnandi abstulerant. Ed.

48. *Hactenus armorum.* Huc usqua pugnam ad Hilerdam commemoravit. Jam describit inundationem, qua, fluminibus vaste restagnantibus, in subitum discrimen adductus sit Cæsar; quod omnis evagandi facultas pabulatoribus esset adempta, itineribus diluvio aquarum insessis, et pontibus vi et impetu fluminis abruptis. Simul poeta varias inundationis causas adfert. Hortensius.

49. *Variis incertus motibus aer.* Bidno quo hæc gesta sunt, tanta tempestas coorta est, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret, etc. Comment. II.

50. *Pigro bruma gelu*, etc. Propter Aquilonem continuum gelida et sicca præcesserat biems, neque nubibus gravidis dissolvi licitum congelato aere. — *Hærens.* I. e. perstans, firma manens, *pigro* gelu non se solvente. Similiter *piger* et *hærere* junguntur in Senec. Herc. Fur. 704 « Immotus aer hæret et pigro sedet Nox atra mundo. »

51. *In nube.* Sc. in aera: nubes enim nihil aliud sunt nisi aer densatus. Schol.

52. *Urebant montana nives*, etc. Caloris et frigoris unus effectus est: nam de utroque *urere* dicimus. Ita Virgilius: « Penetrabile frigus adurat. » « Perusti artus, membra torrida gelu, » dixit Liv. lib. XXI; et Tacit. Ann. XIII: « Ambusti multorum artus vi frigoris. » Quod prius dixerat Xenophon: καὶ τῶν Ἑλλήνων πολλῶν καὶ ῥῖνες ἀπεκαίοντο καὶ ὦτα.

53. *Non duraturæ*, etc. Primo sole solvendæ.

54. *Atque omnis*, etc. Atque omnis tellus Hesperiæ, Occidenti, quo mergi videntur stellæ, subjecta, aruerat, constricta biberno gelu et frigore.

56. *Sed postquam vernus*, etc. Postquam vero sol ingressus est signum Arietis, quo vectus Phryxus pontum transfretasse fingitur, delapsa sorore Helle, quæ ponto nomen reliquit.

Sidera respiciens delapsæ portitor Helles,
Atque iterum æquatis ad justæ pondera Libræ
Temporibus vicere dies; tunc, sole relicto,
Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit,
Exclusit Borean, flammasque accepit ab Euro.
Ille suo nubes quascumque invenit in axe,
Torsit in occiduum Nabatæis flatibus orbem,
Et quas sentit Arabs, et quas Gangetica tellus
Exhalat nebulas, quidquid concrescere primus
Sol patitur, quidquid cæli fuscator Eoi

57. *Respiciens*, etc. Fingitur enim averso capite respiciens Aries. — *Portitor*. Nempe a portando. Seculis enim augusteo posterioribus *portitores* dicti geruli, qui mercibus et epistolis portandis erant destinati. BURM. — *Portitorem* vero a porta derivandum putat Oudend. minus ad rem. ED.

58. *Æquatis ad justæ*, etc. Æquata fuerat jam nocti dies, quod fit æquinoctio verno; perinde ac Autumnali, ubi sol Libram ingreditur; hoc autem discrimine, quod post æquationem vernam dies augentur; post autumnalem noctes.

59. *Vicere dies*. Dies longiores fuere noctibus. — *Tunc, sole relicto*. Tunc Lunæ a coitu novæ, recedentis a sole, cornua nondum apparebant. Virg. Georg. I: « Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu, Maximus agricolis pelagoque parabitur imber. »

60. *Dubitanda*. Quum suo exortu dubia est et incerta, neque cornua ejus distincte cernuntur.

61. *Borean*. Αἰθρηγενέτην, serenitatis jam per totam hiemem auctorem, pluviæque abactorem. — *Flammasque accepit ab Euro*. Calorem ac ruborem, venti pluviæque præsagia. Virg. Georg. I: « Vento semper rubet aurea Phœbe. » Bene *ab* Euro, quod indicat ruboris esse causam, Eurum, qui nubes cogit. Sic *corpus* accipere vires *ab* animo dicit Ovid. Trist. III, 2, 13.

62. *Ille suo nubes*, etc. Eurus nubes omnes ex Eois partibus impulit in Occiduas.

63. *Occiduum*. Occidenti proximum. — *Nabatæis flatibus orbem*. Eois, orientalibus. Nabatæi autem dicti a Nabath filio Ismaelis. Is regionem incoluit, quæ inter Judæam et Arabiam jacens surgit ab Euphrate et in mare Rubrum porrigitur. Ovid. « Eurus ad auroram Nabatæaque regna recessit. » Stephanus hos dicit gentem esse Arabiæ felicis. Dicitur autem Nabatene regio ipsa et Nabateni populus. Conf. Priscian. Perieg. 884. Avien. Descrip. orb. 1133. ED.

64. *Gangetica*. India, quam Ganges perlabitur.

65. *Primus sol*, id est, oriens.

66. *Cæli fuscator Eoi*, etc. Eoum cælum obscurans inductis nubibus Corus.

Impulerat Corus, quidquid defenderat Indos:
Incendere diem nubes oriente remotæ,
Nec medio potuere graves incumbere mundo,
Sed nimbos rapuere fuga. Vacat imbribus Arctos,
Et Notus : in solam Calpen fluit humidus aer.
Hic ubi jam Zephyri fines, et summus Olympi
Cardo tenet Tethyn, vetitæ transcurrere, densos
Involvere globos, congestumque aeris atri
Vix recipit spatium, quod separat æthere terram.
Jamque polo pressæ largos densantur in imbres,
Spissatæque fluunt : nec servant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent : exstinguit fulgura nimbus.
Hinc imperfecto complectitur aera gyro

67. *Corus.* Sive Caurus, quem Græci ἀργεστὴν nominant, adversus Aquilonem flat. Hort. — Ridicule hic Schol. *Chorus* dicitur, quod nubes colligat, et velut in chorum ducat. — *Quidquid defenderat Indos.* Quæcumque nubes Solis æstum Indis arcuerat, ardoremque temperaverat.

68. *Incendere.* Inflammarunt aerem, unde pluviæ et tonitrua nascuntur. — *Oriente remotæ.* Euri impetu actæ ex oriente.

69. *Medio.* Ubi meridiana pars mundi est. Schol. — *Graves.* Aqua plenæ.

70. *Vacat imbribus Arctos.* Ab Arcto et Noto congeruntur nubes.

71. *In solam Calpen.* In Hispaniam : a parte totum. Calpe promontorium Bæticæ, una e columnis Herculis. Conf. Poet. min. t. V, p. 195 et 447. — *Calpen.* Adeo nec oriens, nec septemtrio, nec meridies habebat imbres; sed solus occidens. Sch.

72. *Hic ubi jam Zephyri fines.* Hic, ad extremum Occidentem, unde Zephyrus flare creditur, et ubi cælum pronum mari conjungitur, conglobatæ nubes, quasi ad fines mundi, hærebant, ulterius progredi inhibitæ.

73. *Olympi Cardo.* Post Calpen enim Oceanus est, quo quasi orbis limite cuncta cohibentur. Hoc ergo dicit, postquam venerunt ad Calpen nubes, ubi et venti habent finem, et Olympi cardo; non fuit, quo nubes longius tenderentur. Sch.

74. *Congestumque*, etc. Et spatium, quo distat terra ab æthere, vix recipit congeriem nubium. Ipsam congeriem, et involutionem *congestum* dixit. Sch.

76. *Polo pressæ*, etc. Nubes coactæ pondere aeris dissolvuntur in pluviam.

77. *Spissatæque fluunt.* Condensatæ toto æthere effluunt. — *Nec servant*, etc. Exstinguitur enim a nimbis vis ardens fulminis.

79. *Hinc imperfecto*, etc. Iris non

Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
Pertulit, et cælo defusum reddidit æquor.
Jamque Pyrenææ, quas nunquam solvere Titan
Evaluit, fluxere nives, fractoque madescunt
Saxa gelu : tum, quæ solitis e fontibus exit,
Non habet unda viam : tam largas alveus omnis
A ripis accepit aquas. Jam naufraga campo
Cæsaris arma natant, impulsaque gurgite multo
Castra labant : alto restagnant flumina vallo.

ut alias in arcum incurvatur fulgore Solis in nubem concavam et roridam ex adverso sitam refracto, sed propter densitatem nubium, nec coloribus distincta nec arcu completa est.

80. *Vix ulla variatus*, etc. In densa et obscura nube ita arcus apparuit, ut vix fuerit conspicuus.

81. *Oceanumque bibit.* Attollit aquas maris, fluctusque haustos in nubila confert. Virg. Georg. I : « Et bibit ingens Arcus. » Plaut. Curcul. « Ecce autem bibit arcus : pluet credo hodie. » Conf. Incerti Votum ad Oceanum, v. 6 : « Te potant nubes. » Poet. Lat. min. nostr. ed. t. III, p. 321. Ed.

82. *Et cælo defusum*, etc. Oudend. *diffusum*, quod largiorem aquæ copiam notat. Aquas e cælo lapsas cælo restituit. Cf. Stat. nost. ed. t. II, p. 69.

83. *Jamque Pyrenææ*, etc. Enumeratis operose restagnationis causis, earum effectus nunc commemorat. Et orditur ab effusis nivibus Pyrenæorum montium. E Pyrenæis montibus liquefactæ defluunt nives, quas radii solis numquam solverant. Ita Com. de Bel. Civ. I : « Tum autem ex omnibus montibus nix profluit, ac summas ripas fluminis superavit, pontesque ambos, quos C. Fabius fecerat, uno die interrupit, etc. » — Conf. Senec. Thy. 129 : « Æstas veliferis solvit Etesiis. » Nost. ed. t. I, p. 227. Ed.

84. *Fractoque gelu.* Glacies tot annos durata, soluta fuit.

85. *Tum, quæ solitis*, etc. Fluvios exundantes non capit suus alveus, cui undique concurrunt torrentes e gelu ac nivibus solutis facti. Malit Burmannus *tum, qua solitis*, hoc sensu : non habuit certum alveum, quo exit a fontibus, sed aquæ ex campis natantibus et ripis in flumen ceciderunt, et campis alveum ita æquarunt, ut discerni nequiret, omnia tenentibus aquis.

87. *A ripis.* Inundatæ enim terræ dabant fluminibus undas. Sic fiebat ut a ripis acciperent aquas, qui ripis dare consueverant. Sch. — *Naufraga campo*, etc. Quasi naufragi in summa aqua totis campis Cæsaris castra et milites fluitarunt.

89. *Restagnant.* Supergressa est unda fossas castrorum, quas fecerat Cæsar. Sch.

Non pecorum raptus faciles, non pabula mersi
Ulla ferunt sulci : tectarum errore viarum
Fallitur occultos sparsus populator in agros.
Jamque comes semper magnorum prima malorum
Sæva fames aderat ; nulloque obsessus ab hoste
Miles eget : toto censu non prodigus emit
Exiguam Cererem. Pro, lucri pallida tabes!
Non deest prolato jejunus venditor auro.
Jam tumuli, collesque latent : jam flumina cuncta
Condidit una palus, vastaque voragine mersit.
Absorpsit penitus rupes, ac tecta ferarum
Detulit, atque ipsas hausit, subitisque frementes

90. *Non pecorum raptus faciles*, etc. Cinga et Sicoris, inter quæ flumina castra Cæsaris posita snnt, spatio millium triginta transiri neutrum poterat : neque frumentum supportare civitates, quæ ad amicitiam Cæsaris accesserant, neque pabulatum progredi, aut progressi longius redire in castra, poterant, etc. Comment. I. Hic agitur de alimento militum, qui ex raptu pecorum, quæ ex agris rapta in castra ferebant, debebant ali.

92. *Occultos*, etc. Aqua tectos.

93. *Jamque comes*, etc. Restagnatio magnas difficultates Cæsaris exercitni attulit et quasi obsidione pressit : jamque commeatus inopia ad denarios qninquaginta in singulos modios annona pervenerat : militum vires diminutæ, atque incommoda in dies augebantnr.

95. *Censu non prodigus emit.* Peculio, stipendio, patrimonio omni emit victum, et tamen se non ideo prodigum præbet.

96. *Exiguam Cererem.* Frumenti modienm, vel panis frustum parvum. — *Pro, lucri pallida tabes.* Miranda cupiditas canponum et institorum, qui panem suum ipsi famelici pretio vendunt. De avaro ejusmodi qui in obsidione Prænestina murem captum ducentis potius denariis vendere, quam ipse sedandæ famis gratia edere voluit, adeoqne periit, vide Liv. lib. XXIII. Frontin. IV, c. 5. Plin. VIII, c. 57.

97. *Prolato.* Recte : scil. ex loculis nimirum ab emendi cupido, et aurum proferente ut venditorem alliceret. Sueton. Galb. c. 12 : «Denarios prolatos manu, e peculiaribus loculis suis.»

98. *Flumina cuncta.* Confunduntnr amnes et in unam paludem exnndantes coeunt.

100. *Tecta ferarum.* Snnt lustra, silvæ, in quibus habitant. Virg. Æn. VI, 89 : « Pars densa ferarum Tecta rapit, silvas. »

101. *Atque ipsas.* Sc. feras. Cf. Virg. Georg. I, 481, seqq. Ed.

Vorticibus contorsit equos; et reppulit æstus
Fortior Oceani; nec Phœbum surgere sentit
Nox subtexta polo : rerum discrimina miscet
Deformis cæli facies, junctæque tenebræ.
Sic mundi pars ima jacet, quam zona nivalis,
Perpetuæque premunt hiemes : non sidera cælo
Ulla videt, sterili non quidquam frigore gignit,
Sed glacie medios signorum temperat ignes.
Sic, o summe parens mundi, sic sorte secunda
Æquorei rector facias, Neptune, tridentis :
Et tu perpetuis impendas aera nimbis :
Tu remeare vetes quoscumque emiseris æstus.

102. *Equos*. Oudend. vult *aquas*. Intellige, non Oceani equos, sed quosdam ex agris, vel etiam e castris abreptos. Hæc cum præcedd. cohærent. Ed.

103. *Fortior Oceani*. Ipsa inundatio vehementior quam ipsum mare æstuantis Oceani (*le flux*) impetum repellit. Lucanea quidem hyperbole. Oudend tamen *æstus* capit nominativo casu, ut æstus Oceani fortior mole aquarum eas repulerit. Quod minus cum serie orationis congruit. Ed. — *Nec Phœbum*, etc. Neque propter tenebras densas apparuit Sol ortus, aut discernebatur dies a nocte. Recte *subtexta*. Stat. Theb. II, 527 : « Cœperat... Phœbum subtexere palla Nox. »

104. *Discrimina*. Ut Virg. Æn. VI, 272 : « rebus nox abstulit... colorem. »

105. *Junctæque tenebræ*. Id e. continuæ, non intermissæ. Ed.

106. *Sic mundi pars ima jacet*. Quales tenebræ hiemesque perpetuæ urgent plagas extremas utrique polo subjectas, siderum aspectus expertes, frigore steriles. Vix tamen ita potuit vocari septemtrio, quæ pars semper altior reliquis orbis partibus a veteribus describitur. Virg. G. I, 240.

109. *Sed glacie medios*, etc. Sed suo frigore temperant æstum zonæ mediæ, ut interjectæ sint habitabiles.

110. *Sic, o summe parens mundi*. Invocat poeta Jovem et Neptunum, ut bellum civile diluvio mergant. — *Summe parens*. Sic de Domitiano Stat. Silv. IV, 1, 17 : « magne parens mundi » dixit. Ed. — *Sorte secunda*. Cui in divisione regni Saturni obtigit imperium pelagi, sorte secunda.

112. *Tu perpetuis*, etc. Tu Jupiter in imbres perpetuos solvas nubila. Recte *impendas*, quia non parcus Jupiter, sed largus nimbos et pluvias continuas effundat, quibus quasi aera exhaurire videretur. *Perpetui*, continui, ut v. 107 *perpetuas* hiemes dixit.

113. *Tu remeare*, etc. Tu, Neptune, in terras undas æstuantes impelle, nec revoca. *Emitti* eadem ratione dicuntur milites, equites : VI, 291. Ed.

Non habeant amnes declivem ad litora cursum,
Sed pelagi referantur aquis; concussaque tellus
Laxet iter fluviis : hos campos Rhenus inundet,
Hos Rhodanus : vastos obliquent flumina fontes.
Rhipæas huc solve nives, huc stagna, lacusque,
Et pigras, ubicumque jacent, effunde paludes;
Et miseras bellis civilibus eripe terras.
Sed parvo Fortuna viri contenta pavore,
Plena redit, solitoque magis favere secundi,
Et veniam meruere Dei. Jam rarior aer,
Et par Phœbus aquis, densas in vellera nubes

114. *Non habeant amnes*, etc. Non deferant fluvii aquas suas in mare; sed repellantur.

115. *Concussaque tellus*, etc. Neptuni tridente, terræ motu quassata tellus dehiscat, et latum iter amnibus aperiat.

116. *Hos campos Rhenus inundet.* Huc, in Hispaniam fluvios divertant ex Germania et Gallia Rhenus atque Rhodanus, hue confluant nives e montibus Rhipæis, hoc stagna, lacus, paludes.

117. *Obliquent ... fontes.* Obliquos babeant, avertant, ita ut, mutato cursu, omnia eodem incurrant. Ed. — *Obliquent.* Contorto meatu in se invicem cadant. Schol.

118. *Rhipæas.* Hyperboreas et Scythicas. *Sulpit.*

120. *Eripe terras.* Libera, submergendo Cæsarem cum exercitu.

121. *Sed parvo Fortuna*, etc. Sed destitutum ad modicum temporis Cæsarem et leviuscula calamitate territum, ampla mox et indulgentior insequuta est Fortuna.

122. *Plena.* Favore immenso, ut propitia mater, cœpit illi adblandiri.

123. *Veniam meruere Dei.* Præteritam noxam insequenti successu abunde compensantes. Claudian. hoc expressit, in Ruf. I. « Abstulit hanc tandem Rufini pœna tumultum Absolvitque Deos. » Et ipse Noster: « Ignovere Deis. » Bene Schol. dum modo amplius solito Dii favent, meruerunt veniam ejus facti quod contra Cæsarem fecerunt. Ed. — *Rarior*, i.e. tenuior et opponitur *denso*.

124. *Par Phœbus aquis.* Sol par fuit dispergendis nubibus atque in raritatem et candorem vellerum attenuare nubila valuit. Alii *par* exponunt per: satis potens ad aquas siccandas; nam antea nimio aquarum humore vincebatur sol. Et sic Scholiastes: « *Par.* Ante enim impar, quum siccare non potuit. Ipse alibi contrario de Pado dicit, hunc habuisse pares Phœbeis ignibus undas. » Sunt verba auctoris, lib. II, 415; sic lib. VIII, 55: «... ratis ventis ae fluctibus impar. » — *Vellera.* Ut Virgilius, Georg. I, 397: « Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri. »

Sparserat, et noctes ventura luce rubebant;
Servatoque loco rerum, discessit ab astris
Humor, et ima petit quidquid pendebat aquarum.
Tollere silva comas, stagnis emergere colles
Incipiunt, visoque die durescere valles.
Utque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Navigat Oceano: sic quum tenet omnia Nilus,

125. *Noctes ventura luce*, etc. Longæ tenebræ adventante luce paullatim fugabantur; ea ferme facie, quæ est diei illucescentis primulum. GROT. — *Rubebant.* Sub occasum Solis, rubor erat, insequentis diei serenitatis præsagium; vel, die illucescente rubescebat cælum, non tenebris offusum, ut modo vs. 103.

126. *Loco*. Quia *nebulæ magis ima petunt*, ut ait Virg. Georg. I, 401. ED. — *Discessit ab astris*, etc. Decidit, quidquid pluviarum in nubibus suspensum erat, nec ut antea sidera obumbravit.

129. *Volles.* Dicit alta et plana siccari. Conf. Ovid. Met. I, 334.

130. *Utque habuit ripas Sicoris.* Alveo jam suo Sicorim capiente: cessante inundatione. Effusus enim antea ripas non habebat.

131. *Primum cana*, etc. Cæsar B. C. I, 54: imperat militibus Cæsar, ut naves faciant cujus generis eum superioribus annis usus Britanniæ docuerat. carinæ primum ac statumina ex levi materia fiebant: reliquum corpus navium *viminibus* contextum *coriis* integebatur.« Ad eam (inquit Plin. lib. IV, c. 16) Britanni vitilibus navigiis corio circumsutis navigant. » — *Cana salix.* Vide Stat. Silv. II, 2, v. 6 (tom. I, p. 213.). *Vimina* madefieri ut flexibiliora sint, sciunt omnes; et de illis proprium verbum est *texere*. ED.

132. *Inducta*. Imitatus est Valer. Flacc. II, 109: « puppes tenui contexere canna, Ausos et indocto cratem defendere tergo. » ED. — *Juvenco*. Corio bubulo.

133. *Superenatat. Natare* passim de navigiis. Sic Virg. Georg. II, 451 « undam levis innatat alvus. » Conf. Silius, XII, 448.

134. *Sic Venetus stagnante Pado*. Cujusmodi navigiis utuntur Veneti se effundente Pado, Britanni in Oceano ventis placido, Ægyptii, inundante Nilo. *Papyrus* autem frutex est palustris, unde Ægyptii navigia contexunt, uti ex libro ejus vela, tegetes, funes, vestes, etc. conficiunt.

Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.
His ratibus trajecta manus festinat utrimque
Succisum curvare nemus; fluviique ferocis
Incrementa timens, non primis robora ripis
Imposuit : medios pontem distendit in agros.
Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivus
Dat pœnas majoris aquæ. Postquam omnia fatis
Cæsaris ire videt, celsam Petreius Hilerdam

136. *Conseritur.* Contexitur Ægyptiaca cymba bibula papyro. Memphis regia Ægypti fuit, hodie *Le Kaire.* Vid. Turneb. p. 204. — *Conseritur.* Adduci potest Virgil. Æn. III, 594: «Consertum tegmen spinis.» Et Pacuvius *conserere funes* dixit. Male quidam *Consuitur.*

137. *His ratibus trajecta*, etc. Naviculas has carris junctis devehit noctu Cæsar M. passuum a castris 22, quibus trajecti milites; ulteriore ripa occupata atque munita, succidit materiam ponti faciendo, quem biduo perficit. Ita rei frumentariæ et pabulationi affatim consultum. — *Trajecta.* Trans stagnantes jam aquas et flumen, in silvam transvehitur illa manus.

138. *Succisum curvare nemus.* *Curvare* ut pons fiat. SCHOL.—Materiam quærere ponti faciendo. GROT.— Ovid. XVI, Ep. 109 : « Fundatura citas flectentur robora naves. » Id est, carinas facere, fundamenta navium, quæ curva. Hic vero ponti faciendo curvantur robora, ut arcus vel fornicis speciem dent. ED. — *Fluviique ferocis*, etc. Timens ne Sicoris impetuosus augeretur ac cresceret.

140. *Medios.* Id est, ut pons a mediis agris inciperet, ne iterum deesset, si iterum fluvius inundaret. SCH.

141. Cæsar, ne semper magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum, fossas pedum triginta in latitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris averteret, vadumque in eo fluvio efficeret. B. C. I, 61. Has prioris inundationis pœnas dedisse Sicorim dicit poeta : nam *scisso gurgite*, hic antea fluvius magnus, nunc *rivus* factus est. Alii *rivis*, id est, in rivos; minus bene. Schol. detrimenta perpetitur sui gurgitis, in sulcos divisus, qui nuper ingentibus aquis æstuavit. Silius IV, 647 : « amnis tibi nomina demam. »

142, *Spargitur.* Conf. ad Poet. min. tom. V, p. 377. ED.

143. *Postquam omnia*, etc. Afranius et Petreius intercluso sibi a Cæsaris equitatu frumento pabuloque, defectione item civitatum et Cæsaris amicitiam sequutarum, permoti, in Celtiberiam bellum transferre statuunt, quæ in amicitia permanserat Pompeii, magnis ejus in Sertoriano bello affecta beneficiis, et quod Cæsaris nomen in barbaris erat obscurius.

Deserit; et noti diffisus viribus orbis,
Indomitos quærit populos, et semper in arma
Martis amore feros, et tendit in ultima mundi.
Nudatos Cæsar colles, desertaque castra
Conspiciens, capere arma jubet; nec quærere pontem,
Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis.
Paretur: rupitque ruens in prælia miles,
Quod fugiens timuisset, iter. Mox uda receptis
Membra fovent armis, gelidosque a gurgite cursu
Restituunt artus, donec decresceret umbra
In medium surgente die. Jamque agmina summa
Carpit eques, dubiique fugæ, pugnæque tenentur.

145. *Orbis.* Regionis in qua erant, ad Cæsarem jam inclinantis.

146. *Indomitos*, etc. Celtiberos.

147. *In ultima mundi.* In ulteriorem Hispaniam. Conf. Poet. Lat. min. tom. V, p. 163. Ed.

148. *Nudatos Cæsar colles*, etc. De tertia vigilia Afranius atque Petreius castra moverant, eum omnibus copiis Sicorim transierant, ad Hiberum recto maturantes itinere. Quod ubi Cæsar per exploratores cognoverat, duas Afranianorum legiones Sicorim traduxisse, castra ad Octogesam, oppidum ad Hiberum positum, munita, ibi naves conquisitas e quibus junctis ponte facto exercitum trajicerent: ille equites fluvium multo opere vix aversum tentare et transire jussit, magno jumentorum numero in flumine supra atque infra constituto et pedites transire ausos traduxit.

149. *Capere arma.* Recte: ex disciplina enim militari, capit arma miles ducis imperio. Cortius male *rapere*. Ed. — *Nec quærere pontem.* Pons enim magnum circuitum habebat.

150. *Fluvium superare.* Tranare.

151. *Paretur.* Cuncti scil. obtemperant. — *Rupitque.* Persequendi hostis studio se alto et rapido flumini committunt milites Cæsaris, quod vel ipsi fugientes e bello vix tentassent. Alii *rapuit* bono quoque sensu: sed *rupit* melius; quia summi laboris et difficultatis erat flumen itineri obsistens natando superare, et ita quasi clausum iter rumpere. Sic Virg. Æn. II, *rumpunt aditus.*

152. *Mox uda receptis.* Udi gelidique a trajectione corpora reficiunt, cursuque calefaciunt ad meridiem usque, ne defessi prælio objiciantur.

155. *Jamque agmina*, etc. Equitatus Cæsaris novissimum hostium agmen consequutus, premere eos, morari, atque iter impedire cœpit. — *Dubii.* Scil. extremi agminis milites. Nec audent fugere, nec pugnare. Ed.

Attollunt campo geminæ juga saxea rupes,
Valle cava mediæ : tellus hinc ardua celsos
Continuat colles, tutæ quos inter opaco
Amfractu latuere viæ : quibus hoste potito
Faucibus, emitti terrarum in devia martem,
Inque feras gentes Cæsar videt. « Ite sine ullo
Ordine, ait, raptumque fuga convertite bellum,
Et faciem pugnæ, vultusque inferte minaces;
Nec liceat pavidis ignava occumbere morte :
Excipiant recto fugientes pectore ferrum. »
Dixit; et ad montes tendentem prævenit hostem.
Illic exiguo paullum distantia vallo
Castra locant. Postquam spatio languentia nullo

157. *Attollunt campo*, etc. A millibus passunm quinque campestris itineris, exploratores retulere, montes, difficilia atqne angusta loca excipere. Laborabat itaque Cæsar, ne Afraniani his angustiis occupatis et suis prohibitis, exercitu Hiberum trajecto, e manibus dimissi bellnm transferrent in Celtiberos et remotas gentes.

158. *Valle cava*. Ob vicinos montes. Ad banc vallem igitnr præ obstruentibus eam montibns erant angustiæ, quas recte et proprio verbo *fauces* nominat. — *Mediæ*, quia rupes media in valle surgebant. Sic *medius* cum ablativo conjnngitur Ovid. Amor. I, 16, 13. Alii *cavæ*, et *media*.

160. *Hoste potito*. Nempe si angustis itineribus Afraniani potirentnr.

161. *Emitti*. Videt Cæsar fore nt si angustias occupassent Pompeiani, bellum emittatur in terrarum devia, et in feras gentes, id est, ad barbaros ad quos si pervenisset hostis, vix posset snperari. SCH.

163. *Raptumque fuga*, etc. Cogite nt se convertant hostes, qui spem vincendi vobis eripiunt per fugam. ED.

164. *Et faciem*, etc. *Nec liceat*, etc. Ne pereant ignavi et fugientes acceptis in tergo vulneribns, convertite in aciem eos præveniendo, scil. oblata pugna in frontem cogantur in prælium, excipiantqne adverso pectore tela.

167. *Et ad montes*, etc. Cæsar diverso itinere per valles maximas et saxa prærupta, angustiis et montibus occupatis, ex magnis rupibus nactus planitiem, contra hostem aciem instruxit. Afranins ntrimque pressus, ibi constitit. Cæsar, intercluso omni ad Hiberum itinere, quam proxime bostem potest, castra commnnivit.

169. *Postquam spatio*, etc. Postquam milites hinc inde luminibus certis, neque per castrorum distan-

Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus,
Et fratres, natosque suos videre, patresque;
Deprensum est civile nefas. Tenuere parumper
Ora metu : tantum nutu, motoque salutant
Ense suos. Mox ut stimulis majoribus ardens
Rupit amor leges, audet transcendere vallum
Miles, in amplexus effusas tendere palmas.
Hospitis ille ciet nomen, vocat ille propinquum :
Admonet hunc studiis consors puerilibus ætas;
Nec Romanus erat, qui non agnoverat hostem.
Arma rigant lacrymis, singultibus oscula rumpunt;
Et quamvis nullo maculatus sanguine miles,
Quæ potuit fecisse, timet. Quid pectora pulsas?

tiam (quæ modica erat) languentibus, se mutuo agnoverunt, et in adversis castris fratres, natos, patres viderunt, admoniti statim nefarii, quod inierant, belli, primum taciti se invicem conspiciebant, deinde salutabant eminus, mox amplexabantur. Cæsar ipse, Bel. Civ. I, 74 : « Petreii atque Afranii adaquationem curantium discessu, liberam nacti milites colloquii facultatem, vulgo procedunt. Quem quisque in castris notum aut municipem habebat, conquirit atque evocat, etc. » — *Languentia*. Sensus est tam propinquos inter se fuisse, ut alter alterius vultum oculis notare posset. Langueut enim oculi, ubi hebetes fiunt, nec longius cernere possunt.

170. *Conspicuos*. Habuerunt conspicuos vultus vulgata ratio loquendi pro *conspexerunt*; sic V, 707 : *Habere permixtas carinas*, pro : *permiscere*.

172. *Deprensum est*. Eleganter. Id est, quod non credibile antea videbatur, nunc oculis conspectum est, et verum apparuit. Claud. Bell. Get. 103 : « arcanum tanti deprendere regni. » Stat. Theb. I, 510 : « Deprendi, Fortuna, Deos. » Sic Burmannus Possis tamen intelligere : agnoverunt quantum sit facinus bellum civile ; tunc patuit omne civilis belli flagitium. Ed.

175. *Leges*, etc. Quibus cautum est ne quis cum hoste colloquatur.

178. *Consors ... ætas*. Connutritio atque acta simul pueritia.

179. *Nec Romanus erat*. Quotquot erant in utrisque castris Romani, se invicem agnoscebant. Non item peregrini et barbari.

180. *Arma rigant lacrymis*, etc. Præ lætitia dolori mixta, et concordiæ studio votisque conquesti se cum hominibus necessariis et consanguineis arma contulisse.

182. *Quæ potuit fecisse, timet*. Cædem videlicet fratris, patris, aut

Quid, vesane gemis? fletus quid fundis inanes?
Nec te sponte tua sceleri parere fateris?
Usque adeone times, quem tu facis ipse timendum?
Classica det bello; sævos tu neglige cantus :
Signa ferat; cessa : jamjam civilis Erinnys
Concidet, et Cæsar generum privatus amabit.
Nunc ades, æterno complectens omnia nexu,
O rerum, mixtique salus, Concordia, mundi,
Et sacer orbis amor : magnum nunc sæcula nostra
Venturi discrimen habent. Periere latebræ
Tot scelerum : populo venia est erepta nocenti :
Agnovere suos. Pro, numine fata sinistro

propinqui. — *Quid pectora pulsas?* Poeta hic condolet militum affectus, arguitque eos sui doloris et civilis hujus belli auctores.

184. *Sceleri parere fateris?* Imperatori scelestum bellum jubenti.

185. *Quem tu facis*, etc. Cujus partes tu sequutus, obsequio tuo et officio potentem et timendum facis.

186. *Classica det bello.* Cæsar classicum canere jubeat : tu ne audi. Signa moveat : ne sequere. Jam pax erit. Classica dare bello recte dicitur, ut X, 400 : « signa dedit castris. » Et quemadmodum classica pugnæ petere dicitur miles, II, 599, ita *dare* dux dici potest. Alii *dent bellum*, minus bene. Ed.

188. *Cæsar generum*, etc. Cæsar a vobis destitutus et in privatum redactus, redibit in gratiam cum Pompeio.

189. *Nunc ades*, etc. Adsis, o Concordia, mundi hujus fabricæ rerumque omnium in mundo sacrum et certum vinculum, viresque tuas experiantur isti discordes.

191. *Magnum nunc sæcula*, etc. Loquitur tanquam in re præsenti.

192. *Venturi discrimen habent*, etc. Postquam agnoverint cives suos, satis instructi videntur ad discernendum quid faciant in posterum. Manifesto omnes tenentur scelere, nisi abstineant ab hoc bello, quod infertur civibus jam non ignotis. — Hactenus quæ facta sunt excusari aliquo modo possunt. In posterum vero magnum imminet periculum, et nefas. — *Discrimen.* Periculum instantium malorum male hic intelligitur. Sensus : adest decretoria dies quæ Romanos aut a nefario bello abhorrentes libertati reddat, aut civili cruore consceleratos in posterum subjiciat tyrannis. Ed. — *Periere latebræ.* Periit, sublatus est omnis prætextus. Jam se impietatis excusare non possunt, quia viderunt se contra necessario arma ferre. Sulpit.

194. *Agnovere suos.* Jam non se poterunt ignoratione defendere, quum modo agnoverunt, quos sunt perempturi. Sch. — Conf. supra 172 :

Exigua requie tantas augentia clades!
Pax erat, et miles castris permixtus utrisque
Errabat; duro concordes cespite mensas
Instituunt, et permixto libamina Baccho.
Graminei luxere foci; junctoque cubili
Extrahit insomnes bellorum fabula noctes,
Quo primum steterint campo, qua lancea dextra
Exierit. Dum, quæ gesserunt fortia, jactant,
Et dum multa negant, quod solum fata petebant,
Est miseris renovata fides, atque omne futurum
Crevit amore nefas. Nam postquam fœdera pacis

«Deprensum est civile nefas.» — *Pro, numine fata*, etc. Fatorum invidia hanc concordiæ spem, brevem tot scelerum requiem permisit, ut tantæ cædes augeantur. Namque ecce inter ipsa amicitiæ symbola, mensas consociatas, pocula mutua, castrenses focos, cubilia communia, jucundas utrimque recordationes actorum laborum, rerum strenue gestarum, periculorum præteritorum, (Cæsar, B. C. I, 75) « Petreius armat familiam; cum hac et prætoria cohorte cetratorum, barbarisque equitibus paucis, improviso ad vallum advolat, colloquia militum interrumpit, Cæsaris milites repellit a castris, quos deprehendit, interficit, etc. flens manipulos circuit, neu se, neu Pompeium, neu imperatorem deserant prodantque, obsecrat; postulat ut, renovata in duces fide, jurent omnes se exercitum ducesque non deserturos, etc.»

196. *Pax erat*, etc. Vagabantur interim in utrisque castris utrique, haud aliter, ac si pax conciliata fuisset. Dilatat narrationem a signis reconciliationis. Confer Nostr. CORNEILLE, *Horace*, Act. I, Scen. 4. ED.

199. *Graminei luxere foci*. Male tentant alii *gramineis duxere toris*, et connectunt *libamina ducere*. Libamina enim bibi non possunt, quia ex poculo in mensam fundebantur; et ita proprie non ducebant libamina, sed vinum post libationem reliquum. Illa libamina vero in focum injecta alebant flammam, quæ quo clarior surgeret et luceret, eo melioris ominis. Ergo, *luxere foci*. ED.

202. *Extrahit insomnes*. Vide Stat. tom. II, p. 140, not. 322. ED.

203. *Quod solum fata petebant*. Culpam in fata confert, ut modo v. 194. Multa scelera a se facta negabant, ut nimirum amicitia renovaretur, quod fata petebant, ut post fidem renovatam majora scelera fierent, ea rupta et violata. BURM.

204. *Fides*. Amicitiæ scil. et pristinæ caritatis. SCH. — *Atque omne*, etc. Per hanc concordiam data est nefariæ cædis occasio.

205. *Crevit*. Majus enim futurum erat scelus, occidere quos amassent.

Cognita Petreio, seque, et sua tradita venum
Castra videt, famulas scelerata ad prælia dextras
Excitat, atque hostes turba stipatus inermes
Præcipitat castris, junctosque amplexibus ense
Separat, et multo disturbat sanguine pacem.
  Addidit ira ferox moturas prælia voces :
« Immemor o patriæ, signorum oblite tuorum,
Non potes hoc causæ, miles, præstare, senatus
Adsertor victo redeas u t Cæsare : certe
Ut vincare, potes. Dum ferrum, incertaque fata,
Quique fluat multo non deerit vulnere sanguis,
Ibitis ad dominum? damnataque signa feretis?
Utque habeat famulos nullo discrimine Cæsar

Ed.—*Nam postquam*, etc. Namque legatos ad Cæsarem de pace miserant, fidem ab eo de sua, de Petreii et Afranii vita petierant, se statim signa translaturos promiserant.

207. *Famulas*. Servos omnes armat in prælium. Sch. — Historiam sequitur. Conf. not. ad v. 194 : « Petreius armat familiam, etc. »

212. *Signorum oblite tuorum*. Qui diversa, hoc est, hostium signa, nostris relictis, nunc sequaris.

213. *Non potes hoc causæ*, etc. Quod si causæ quam defendis, non potes id præstare, ut victo Cæsare libertatis patriæ adsertor redeas ; saltem hoc potes, ut fide servata pugnes, dum vincaris. Et recte *causa* simpliciter sæpe apud Nostrum. Conf. X, 451.

214. *Adsertor*. Conjunge *senatus adsertor*. Qui in libertatem defendis senatum. Bene ; quia senatus in parte Pompeii est et major invidia est si dicat eos ordinem deseruisse, non hominem modo.

215. *Ut vincare*. Qui enim vincitur non se dedit, sed liber occumbit : quæ in bello secunda fortuna est. Schol.—*Dum ferrum*, etc. Quamdiu vobis dextra armata, dum belli eventus adhuc incertus est, quamdiu calidus vobis movet circum præcordia sanguis, quem pro libertate tuenda pulchre effundatis, placetne servitutis jugo colla submittere? —*Incertaque*. Scil. dubius est adhuc belli eventus, quia uterque exercitus integer. Ed.

217. *Damnataque signa feretis ?* Patriæ infesta, hostilia judicata senatus-consulto, vobisque ipsis damnata.

218. *Utque habeat*, etc. Non habita, inquit Bersmannus, differentia inter vos et servos sceleri assuetos Ex illo Virgilii : « Tros Tyriusve mihi nullo discrimine agetur. » Hocne, inquit, orandus est Cæsar, ut nos sibi servire patiatur, hac sola lege, ne durius vos Pompeianos ha-

Exorandus erit? ducibus quoque vita petenda est?
Numquam nostra salus pretium mercesque nefandæ
Proditionis erit : non hoc civilia bella,
Ut vivamus, agunt. Trahimur sub nomine pacis.
Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
Eruerent, nulli vallarent oppida muri,
Non sonipes in bella ferox, non iret in æquor
Turrigeras classis pelago sparsura carinas,

beat, quam Cæsarianos suos? Nam alioqui, ut Tacitus inquit, « recentissimus quisque servorum et conservis ludibrio est. » GROT. — Malim vero explicare : *nullo discrimine*, citra pugnæ discrimen, id est, non belli fortuna coactos, sed sponte servire paratos.

219. *Exorandus*. Rogat enim quisquis se dedit. Exorandus, invidiosius dixit : id est, tamdiu quamdiu concedat, orandus. SCH.—*Ducibus quoque*, etc. Nobis. Conf. supra notam ad v. 205. An nos quoque vitam a Cæsare rogare debemus, ut nostra salus sit quasi merces vestræ nostræque proditionis.

221. *Non hoc civilia bella*, etc. Reddit causam civilium bellorum : aut ut pugnando moriantur; aut victores suam libertatem retineant. HORT.—*Non hoc*. Sensus est : in bello civili nullus locus veniæ ac paci, sed agitur tantum ut contraria pars penitus exscindatur, et pereant omnes adversarii.

222. *Trahimur*, etc. Prodimur. Hortensius : specioso prætextu pacis impetrandæ in servitutem videntes volentesque ducimur. Præclara vox pax est, si non sequatur jugum numquam excutiendum.

223. *Non chalybem gentes*. Quorsum tela, muri, bellicosi equi, classes : si honestius libertatem pro pace tradere, quam armis tueri liceret. — *Penitus fugiente*, etc. Penitus recondito in fodinis, apud Chalybas populos. Chalybs fluvius est in Hispania, a quo Chalybes dicuntur ejus accolæ, qui ferrum effodiunt, quod et chalybs appellatur. Virgil. « Vulnificusque chalybs. » Diserte Justinus id tradit lib. XLIV, c. 3 : « Nec telum probatur, quod non aut Bilbili fluvio, aut Chalybe tingatur. Unde etiam Chalybes, fluvii hujus finitimi appellati, ferroque cæteris præstare dicuntur. » Sed Strabo, et post eum Stephanus, Chalybum genti, quæ Pontica est, et ad Thermodontem aliquando habitasse dicitur, ferri metallaria adscribunt. Hic vero nihil agitur de Chalybibus populis, sed gentes quæcumque non eruerent chalybem, id est, ferrum, ubicumque in visceribus terræ lateat, et penitus fugere videatur. Val. Fl. V, 541 : « Jamque virum trahit ipse chalybs. » BURM.— Quod autem Chaldæi postea vocati sint, Strabo indicat : οἱ δὲ νῦν Χαλδαῖοι, inquiens, Χάλυβες τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο. MICYLL.

Si bene libertas umquam pro pace daretur.
Hostes nempe meos sceleri jurata nefando
Sacramenta tenent : at vobis vilior hoc est
Vestra fides, quod pro causa pugnabitis æqua.
Sed veniam sperare licet : pro, dira pudoris
Funera ! nunc toto fatorum ignarus in orbe,
Magne, paras acies, mundique extrema tenentes
Sollicitas reges, quum forsan fœdere nostro
Jam tibi sit promissa salus. » Sic fatur, et omnes
Concussit mentes, scelerumque reduxit amorem.
  Sic ubi desuetæ silvis in carcere clauso
Mansuevere feræ, et vultus posuere minaces,

227. *Si bene libertas.* Sensus : si verum est pacem esse libertati anteponendam. — Hoc ergo dicit : non bene datur a nobis nostra libertas, ut pacem possimus accipere : ideo dimicandum est. SCH.

228. *Hostes nempe meos*, etc. Cæsaris milites sacramento obstricti fidem scelestæ et injustæ causæ præstant : vobisne levior fides in causa justa propugnanda ?

230. *Quod pro causa pugnabitis*, etc. Non alia causa vos hostibus ignaviores estis, quam quod justum bellum geritis. Nam illos scelera obdurant. GR. — Oudend. *pugnantibus*.... *Et veniam*, etc. retinet e plurib. MSS.

231. *Sed veniam.* Speratis, ut vobis victor ignoscat, quia causa æquissima dimicatis. Illi autem pertinacius pugnant, quia sequuti pessimam causam veniam non merentur. SCHOL. — *Pro, dira*, etc. Detestatur pacis fœdera, quæ a militibus, se absente, cum hoste inita sunt. HORT. — *Pudoris funera.* Pro, pudorem extinctum ! Prudent. « Qui me pudoris funere perderet. » Claudian. in IV Consul. Honor. 86 : « Pro, damna pudoris. »

233. *Mundique extrema*, etc. Dum tu externa sollicitas auxilia, nos jurati in causam tuam milites te hic prodimus, vitamque tuam cum hoste paciscimur.

234. *Nostro.* Ut majorem faciat indignationis invidiam, se jungit ad crimen. SCH.

236. *Scelerumque reduxit amorem.* Belli et scelestæ cædis civium. Sic terror oblatus a ducibus, crudelitas in supplicio, vana religio jurisjurandi, spem præsentis deditionis sustulit, mentesque militum convertit, et rem ad pristinam belli rationem redegit. Comment. I, 76.

237. *Sic ubi desuetæ*, etc. Veluti feræ caveis coercitæ, feritate deposita manum mansuetarii pati edoctæ, et rabiem exsuisse visæ, degustato tamen sanguine in pristinam redeunt truculentiam.

Atque hominem didicere pati; si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
Admonitæque tument gustato sanguine fauces;
Fervet, et a trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas; et quæ Fortuna, Deorum
Invidia, cæca bellorum in nocte tulisset,
Fecit monstra fides : inter mensasque, torosque,
Quæ modo complexu foverunt pectora, cædunt.
Et quamvis primo ferrum strinxere gementes,
Ut dextræ justi gladius dissuasor adhæsit,
Dum feriunt, odere suos, animosque labantes
Confirmant ictu. Fervent jam castra tumultu,
Et scelerum turba : rapiuntur colla parentum.

239. *Hominem didicere pati.* Sic Stat. Theb. IV, 732, de equis : « nec legem dominosve pati; » Cf. et Achill. II, 184 sqq. Ed.

242. *Magistro.* Custode, rectore.

245. *Fecit monstra fides.* Grotius emendat *nostra* et ita intelligit. Potuerat bellum civile deorum et fati iniquioris videri culpa : præsertim si fortuita prælia ignotos ignotis implicuissent : nunc profecto nostra est, quia alter alterum novimus, ejusque rei certi et nobis conscii sumus. Nam quæ aut ignorantia, aut impetu fiunt, eorum culpa facile fato assignatur : quæ destinato ex arbitrio aguntur, ea non casu sunt, sed scelere fiunt. Sed non est mutanda vetus lectio *Fecit monstra fides;* unde commodus sensus elici potest. Petreiani, inquit, dum fidem jurejurando renovatam ducibus probare volunt, perpetrarunt monstrosas civium suorum cædes, quales non fortuna victoriæ insolens exercuisset in hostes, deorum ira victos, in ipsa confusione tumultuosi belli. Cf. infra v. 252.

246. *Quæ modo complexu*, etc. Edixerat Petreius, ut, penes quem quisque sit miles Cæsaris, produceretur : productos palam in prætorio interficiunt. Cf. Cæsar, B. C. I, c. 76. — *Cædunt.* Ea pectora confoderunt, quæ paulo ante complexi fuerant.

247. *Gementes.* Inviti scilicet.

248. *Ut dextræ.* Postquam tamen extraxissent gladium in suos hospites, cives, propinquos sæviturum, inter feriendum, odium in suos colligunt, simulque exprimunt. — *Justi dissuasor.* Definivit quid sit gladius in manibus eorum : dissuasor justi, id est, qui non patiatur, eos servare justitiam. Sch.

249. *Labantes.* Dubios prius animos et vacillantes ictu confirmant, obdurantque.

250. *Confirmant ictu.* Ut ideo in multos ira sæviret, quia jam vel unus videbatur occisus. Sch.

Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem posuere ducum : juvat esse nocentes.
Tu, Cæsar, quamvis spoliatus milite multo,
Agnoscis Superos : neque enim tibi major in arvis
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis
Massiliæ, Phario nec tantum est æquore gestum.
Hoc siquidem solo civilis crimine belli
Dux causæ melioris eris. Polluta nefanda
Agmina cæde duces junctis committere castris
Non audent, altæque ad mœnia rursus Hilerdæ
Intendere fugam. Campos eques obvius omnes

252. *Ac velut occultum*, etc. Ac veluti sceleris periret laus et gratia, si celaretur : portentosas cædes proferunt, cæsorum cognatorum capita ducibus præsentant.

253. *In faciem*. Ante ora attulere : sic MSS. Burm. corrigit, *in facie*. Ed. — *Esse nocentes*. Nempe esse et spectari, esse palam nocentes. Ed.

254. *Tu, Cæsar*, etc. Cæsar reveritus deos, in milites adversariorum qui in sua castra venerant, non sævit : sed hos dimisit; præter tribunos permultos et centuriones, qui sua voluntate apud eum permanserunt. Grot. — *Agnoscis*. Quamvis plures tuorum necati sint, aliosque ad te jam deficientes Petreius retraxerit, sentis tamen Deos tibi faventes; qui causam tuam si nunc non felicem, at favorabilem faciunt. Schol. agnoscis, scil. *esse fautores;* eod. sane sensu. Ed.

255. *Neque enim tibi*, etc. Neque enim majorem gloriam e victoria Pharsalica, Massiliensi, Alexandrinave reportasti, quam ex hac tua clementia et iracundiæ victoria, immo et hinc Deos fortunamque tibi devinctiores demeruisti. Cic. pro Marcello, Q. Ligario, etc.—Non tam tibi favit Fortuna, quum te victorem fecit, quam quum juste bellantem. Ed.

256. *Emathiis fortuna fuit*. Pharsalicis, conf. I, 1. — *Phocidos*, etc. Supra III, 340.

257. *Phario*, etc. Ægyptiaco. Pharos insula est et turris, quæ claudit portum Alexandrinum, claustrum Ægypti maritimum.

258. *Hoc siquidem*, etc. Hoc enim scelere, quo se obstrinxerunt Pompeiani, approbas causam tuam esse meliorem.

259. *Dux causæ*. Hoc autem modo comparet, quod post futurum est civilis belli crimine, quod priores Pompeiani fœdera resciderunt. Sch. — In contrarium Senec. Thy. 515 : « Pessimam causam meam Hodierna pietas fecit. » — *Polluta nefanda*, etc. Petreiani nefandæ cædis quasi ultricibus agitati furiis, non ausi diutina sustinere Cæsarem, consilium capiunt de revertendo ad Hilerdam.

260. *Junctis*. Modo *junctis*, sive vicinis. Ed.

Abstulit, et siccis inclusit collibus hostem.
Tunc inopes undæ prærupta cingere fossa
Cæsar avet, nec castra pati contingere ripas,
Aut circum largos curvari brachia fontes.
  Ut leti videre viam, conversus in iram
Præcipitem timor est. Miles, non utile clausis
Auxilium, mactavit equos : tandemque coactus
Spe posita damnare fugam, casurus in hostes
Fertur. Ut effuso Cæsar decurrere passu
Vidit, et ad certam devotos tendere mortem :
« Tela tene jam, miles, ait, ferrumque ruenti

263. *Abstulit.* Obviam his venerunt Cæsaris equites, ut ad Hilerdam pervenire non possent, et hos in colle obsidere cœperunt, ubi aqua non erat. SCH.

264. *Prærupta fossa.* Qua aquatum euntes prohiberet, non tantum transitu et eruptione, sed ne ex illa fossa etiam aquam haurirent, si ex terra defossa exsiliret vena aquæ. Cæsar B. C. I, 81 : « Vallo et fossa circumvenire conatur, ut quam maxime repentinas eorum eruptiones demoraretur. BURM.

265. *Avet.* I. e. avide cupit, ut sæpe Lucretius. — *Castra pati*, etc. Afranianorum castrorum procurrentes partes et vallum duci a castris ad amnes aut fontes, non passus est Cæsar.—*Pati.* ἐναλλαγητικῶς pro, patiebatur: vel melius pendet a voce *avet:* statuit non pati. ED.

266. *Brachia.* Castrorum ambitus, ne quos includerent fontes. SCH. Conf. III, 365. ED.

267. *Ut leti videre viam*, etc. Postquam sibi vallo atque fossa circumvantis et aquatione interclusis mortis necessitatem imminere vident, rem ferro decernere parant. Cæsar suos ex adverso in aciem dirigit, sed pugna abstinere jubet, satius ratus sine cruore Pompeianos ad deditionem cogere, quam cum suorum periculo aut hostium multo sanguine vincere.

268. *Præcipitem.* Quæ in omnia præceps ruit. ED. — *Miles non utile*, etc. Afraniani, quum sese circumventos vident, fugam desperant, et omnia sarcinaria jumenta quæ sibi *clausis* nullo adjumento esse poterant, ipsosque equos interficiunt.

270. *Spe posita damnare fugam.* Non amplius in fuga, cujus nulla jam apparet spes, fiduciam ponere. Ille enim damnare fugam non debet qui spem habet; sed isti quia et desperabant et equos occidebant, ideo spe posita fugam damnabant. SCH. — *Casurus*, etc. Moriturus. Eduxerant enim legiones et sub castris in aciem instruxerant.

273. *Tela tene jam, miles.* Cæsar suis imperat, ne tela in hostes jaciant, ne irruentibus se opponant.

Subtrahe : non ullo constet mihi sanguine bellum :
Vincitur haud gratis, jugulo qui provocat hostem.
En sibi vilis adest invisa luce juventus,
Jam damno peritura meo : non sentiet ictus,
Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
Deserat hic fervor mentes, cadat impetus amens :
Perdant velle mori. » Sic deflagrare minaces
Incassum, et vetito passus languescere bello,

274. *Non ullo*. Sive nostro, sive illorum; sed potius nostro, ut patet ex sequentibus.

275. *Vincitur haud gratis*, etc. Non moriuntur inulti et citra damnum victoris, qui desperati et morituri ruunt in media arma. — Haud gratis vincitur; id est, priusquam ab hoste vincitur vel occiditur, acriter sanguinem suum pro certo ulciscitur. SCH. — Huc respicit Virgilianum illud : « Una salus victis nullam sperare salutem. » ED.

276. *Sibi vilis adest invisa*, etc. Mortis secura, et vitæ pertæsa. Virg. Æn. IV, 631 : « Invisam quærens quamprimum abrumpere lucem. »

277. *Damno...meo*. Quia quum ipsa desideret mori, non sibi, sed Cæsari moritur, quippe victoris est : sive quia, dum libens moritur, aliquos occisura est milites Cæsaris. SCHOL. — *Non sentiet ictus*. Scilicet vestros, a vobis inflictos : præ furore et cupidine moriendi, incurret in vestros gladios.

278. *Incumbet gladiis*, etc. Male quidam interpretantur hunc locum : Non incumbet gladiis, non gaudebit, repetito *non*. ED. — *Incumbet*. Vulgo incumbit gladio, qui sibi ipse manus infert : sed hic agit de desperato milite, qui ruit in hostes, et ab eorum gladiis et telis mortem quærit. Ovid. Met. IV, 162, de Thisbe : « aptato pectus mucrone sub imum Incubuit ferro. » Sic Burmannus et fere omnes interpretes. Sed aliter Oudendorp. Dicit Cæsar, hostes non sensuros ictus, a suis militibus inlatos, sed eos fame et siti adactos in suos gladios casuros, et sanguine suo per se ipsos fuso, non Cæsarianorum manu, gavisuros. Simili modo, 560 : « nec vulnus adactis Debetur gladiis : percussum est pectore ferrum, Et juguli pressere manum. » OUD. — Sed hic agi de morte ab hostibus illata omnia clamant. — *Gaudebit sanguine fuso*. Ubi se videbit vulneratum miles, viso sanguine gaudebit.

279. *Deserat hic*, etc. Defervescat iis impetus iste et libido moriendi. — *Hic fervor*. Nempe qui potest et solet in pugna restare et manere : nam et in suis castris se poterant quidem jugulare et eodem impetu se interficere, quo in acie; sed volebant non gratis mori, et dando vulnera, vicissim mortifera accipere.

280. *Perdant velle mori*. Non hoc notat, ut visum est interpretibus, abjiciant desiderium moriendi; sed frustra mori desiderent. Sic passim

Substituit merso dum Nox sua lumina Phœbo.
Inde ubi nulla data est miscendæ copia mortis,
Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt.
Saucia majores animos ut pectora gestant
Dum dolor est, ictusque recens, et mobile nervis
Conamen calidus præbet cruor, ossaque nondum
Adduxere cutem : si conscius ensis adacti
Stat victor, tenuitque manus; tum frigidus artus
Adligat, atque animum subducto robore torpor,
Postquam sicca rigens adstrinxit vulnera sanguis.

Noster adhibet τὸ *perdere*, et *perire*; ut *perdere letum*, *nefas*, *tempus*, et sic *perire* : quod sine fructu fit. Conf. ad II, 190; III, 706; IV, 252; VI, 54; VIII, 53; X, 371. Adde Senec. Herc. Œt. 1175; Thyest. 1096. Oud. — *Sic deflagrare*, etc. Hoc modo Cæsar passus est desiderium mortis et ardorem belli, cujus nulla iis data est copia, lentescere. « Producitur, inquit Cæsar, res, aciesque ad solis occasum continenter : inde utrique in castra discedunt. »

282. *Nox*. Non intelligo Lunam, ut vult Burm. sed proprie Noctem quæ sua lumina, i. e. sidera substituit Soli. Sic L. Racine dixit (*la Religion, ch. I*, v. 52) : « Nuit brillante, dis-nous, qui t'a donné tes voiles? » Ed.

283. *Miscendæ copia mortis*, etc. Ita VII, 100 : « mortesque suorum Permiscere meis. » *Miscere mortem* est mori cum hostibus morientibus, quod hi optabant. Sic III, 354 : « Vulnera miscebunt fratres. » Sic Petronio, c. 114, *juncta mors* dicitur.

284. *Cadit ira*. Burm. *fugit*.

285. *Saucia majores*, etc. Non secus atque ferox animus dolore recentis vulneris ad pugnam vehementius accenditur se ulturus : quod si victor, sentiens se illi vulnus inflixisse, detrectet prælium ; defervescunt mox saucio sanguis, robur, animus. Comparatio desumpta e gladiatoribus.

286. *Ictusque recens*. Percussio gladii, vulnus inflictum ; potius quam gravior mentis perturbatio. Ita *ictum* vocat apoplexiam Senec. Epist. XXVI.

288. *Adduxere*. Sic *adducere artus*. Virgil. Georgic. III, 483. — *Nondum*, dum spiritus perseverat : nam post mortem cutis ad ossa hæret, et trahitur. Scholiast. — *Adduxere*, etc. Nam tunc ossa cutem adducunt, hoc est, attrahunt, quum cruor effunditur, quæ, antequam id fiat, plena est sanguine. — *Ensis adacti*. Mortiferi vulneris, quod ipse inflixit. Sulpit.

289. *Manus*. Ejus scilicet, quem vulneravit, manus tenet, donec ira torpescat. Sch. — Alii *tenere manus* exponunt pro, detrectare prælium, continere manus suas a pugnando, quod sequuntur Oudend. et Burm. multo quidem rectius. Ed.

290. *Adligat*. Stringit, debilitat. — *Subducto robore*. Enervatis viribus.

Jamque inopes undæ, primum tellure refossa,
Occultos latices, abstrusaque flumina quærunt:
Nec solum rastris, durisque ligonibus arva,
Sed gladiis fodere suis: puteusque cavati
Montis ad irrigui premitur fastigia campi.
Non se tam penitus, tam longe luce relicta
Merserit Asturii scrutator pallidus auri.
Non tamen aut tectis sonuerunt cursibus amnes,

293. *Abstrusa.* Sc. quæ ita latent, ut vix inveniri queant. Ovid. Her. VII, 147: « Utque latet vitatque tuas abstrusa carinas. » Cf. Claud. IV Cons. Hon. 274. Noster V, 604; IX, 994.

295. *Puteusque cavati*, etc. Mons effossus est; quoad putei altitudo ad situm campestrem descenderet. *Fastigium*, ut *altitudo*, etiam de profundo; Virg. Georg. II, 288: «... et scrobibus quæ sint fastigia, quæras. » Et contra *cælum profundum*, G. IV, 222; Æn. I, 58. Ed.

296. *Irrigui.* I. e. qui irrigari possit. Sch. — *Premitur fastigia.* Deprimitur, effoditur puteus excavati montis ad profunda campi, quæ *fastigia* hic nominat: proprie tamen altitudinem et summitatem operis significat *fastigium*. Dorvillius *fastigia* explicabat, summam planitiem campi ad pedem montis siti, et puteum excavatum ad eam profunditatem, ut putei fundus responderet superficiei campi, vel ubi scaturigines aquæ se prodebant. Mihi certe videtur *fastigium* in hac re dici ille sub terra locus, ubi vena aquæ exsilit, et a fossoribus deprehenditur, unde jam aqua exsiliens et ad superficiem terræ surgens, defluere in fossam queat. Nam aqua inferior terræ superficiei, si habeat profundam et depressam sibi fossam vicinam, ex fastigio illo exsiliens distillat in eam, et hinc jam rivi et fossæ ducuntur ad recipiendam illam aquam, præcipue hoc loco, ubi puteus in colle foditur, eo usque donec in campo plano fastigia æquet, i. e. locum ubi aqua reperitur, unde jam exsilit unda: nam infra superficiem summæ terræ fodisse patet, ex comparatione scrutatoris auri, quæ sequitur. Burm.

297. *Tam longe*, etc. Tam alte in terræ viscera a die, in tenebris subterraneis. Hæc imitatus est Stat. Theb. VI, 877: « Haud aliter collis scrutator Hiberi, Quum subiit, longeque diem vitamque reliquit. » Ed.

298. *Asturii scrutator*, etc. *Astur*, Hispaniæ populus, ubi auri metalla. Claudian. Consul. Prob. et Olyb. 50: « Quidquid tellure revulsa Callaicis fodiens rimatur collibus Astur. » Noster VII, 755: « Quidquid fodit Hiber. » — *Pallidus.* Sulfureane exhalatione e fodinis? an avaritia? Sed hoc physico sensu capio: apposite Silius I, 231: « Astur avarus... Et redit infelix effosso concolor auro. » Quod confirmat *luce relicta*: obscuritas enim pallorem gignit. Ed.

299. *Non tamen*, etc. Non tamen deprehenderunt amnem subterraneum, aut fontis scaturiginem.

Aut micuere novi, percusso pumice, fontes :
Antra nec exiguo stillant sudantia rore,
Aut impulsa levi turbatur glarea vena.
Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.
Quoque minus possent siccos tolerare vapores
Quæsitæ fecistis aquæ. Nec languida fessi
Corpora sustentant epulis, mensasque perosi
Auxilium fecere famem. Si mollius arvum
Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas
Exprimit ora super. Nigro si turbida limo
Colluvies immota jacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscœnos miles; moriensque recepit,
Quas nollet victurus, aquas; rituque ferarum
Distentas siccant pecudes, et lacte negato,

300. *Percusso pumice.* Saxo. Pumex proprie is, qui in usu est corporum levigandorum feminis ac viris; tum autem et libris. HORTENS.

302. *Aut impulsa*, etc. Nec minutissimi lapilli crepitant vena, id est, meatu fluentis aquæ. — *Levi vena.* Parvo aquarum rivulo.

304. *Extrahitur*, etc. *metallis.* E fodinis. *Metalla silicum*, ut metalla auri, æris, etc. VI, 34 : « Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis. »

305. *Quoque minus*, etc. Lapidum perfodiendorum labore fatigati magis sitiebant. ED.

306. *Quæsitæ.* Nempe irrito labore, qui fatigavit quærentes, sed non inventæ. ED. — *Nec languida*, etc. Abstinebant a cibis ut levarent, saltem ne intenderent, sitim.

308. *Auxilium*, etc. Esurie enim ipsa minus sitire videbantur. SULP. — *Si mollius*, etc. E glebis terræ succulentioris humorem manibus ambabus exprimebant.

309. *Manus utraque.* Hoc exquisitum a poeta, ut summum conatum exprimentis notet.

310. *Nigro.* Quia non movetur illa colluvies hinc, nigrorem contrahit limus. Sic Stygis paludis aqua passim *nigra* et *atra* dicitur. ED.

311. *Cadit omnis in*, etc. Totus exercitus confluxit ad sordes has hauriendas plenis manibus.

312. *Moriensque recepit.* Siti exhaustus mortique vicinus turbidam et cœnosam aquam bibit, quam servandæ vitæ certus recusasset; non, ut vult Scholiastes, quam alius nollet haurire, etiamsi inde esset victurus.

314. *Distentas siccant*, etc. Sugunt pecudes, et lacte deficiente saniosum exsugunt sanguinem. Cf. Horat. Ep. II, 46 : « Distenta siccat ubera. »

Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis.
Tunc herbas frondesque terunt, et rore madentes
Destringunt ramos, et si quos palmite crudo,
Arboris aut tenera succos pressere medulla.
O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
Fontibus immixto stravit per rura veneno.
Hos licet in fluvios saniem, tabemque ferarum,
Pallida Dictæis, Cæsar, nascentia saxis
Infundas aconita palam; Romana juventus
Non decepta bibet. Torrentur viscera flamma,
Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.
Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aeris alternos angustat pulmo meatus,
Rescissoque nocent suspiria dura palato.

316. *Terunt*, etc. Contundunt, ut succum eliciant.

317. *Destringunt.* Decerpunt ab arbore, vel corticem rore madentem ramis detrahunt. Virg. Georg. IV, 300 : « Aut summa destringe ex arbore plantas ». — *Palmite crudo.* Vitis palmites novitios, *crudos*, hoc est nondum sole coctos, colligebant, unde et succum exprimebant. Hort. — Ordo est : et bibunt succos, si quos pressere palmite crudo aut tenera medulla arboris. Conf. Silius II, 471.

319. *O fortunati*, etc. feliciores eos, qui venenatis ab hoste fontibus exstincti fuere : quod fecerunt in Romanos prosequentes barbari hostes, Jugurtha rex Numidiæ, Mithridates Ponti rex, Juba Mauritaniæ.

321. *Hos licet*, etc. Quod si fontes veneno serpentium aut ferarum Cæsar coram infecisset, prudentes scientesque Petreiani parati erant bibere.

322. *Pallida.* Pallorem inducentia. — *Dictæis.* Cretensibus. Aconita tamen in Idæ jugis nasci scribit Nicander in Alexipharmacis. — *Nascentia saxis.* Unde et nomen. Ovid. Met. VII, 417 : « Quæ quia nascuntur dura vivacia caute, Agrestes aconita vocant. »

324. *Torrentur viscera.* Uruntur flamma intolerabili sitis. Ovid. Met. VII, 554 : « Viscera torrentur primo, flammæque latentis Indicium rubor est. » Ed.

325. *Rigent.* Aspera sunt. Cf. Virg. Georg. III, 508. Ed. — *Squamosis linguis.* Arescentibus, uti videre est in iis qui febri laborant.

327. *Alternos...... meatus.* Respirationes; quia aerem ipse recipit, et emittit, duas enim arterias habemus; unam, qua spiritum accipimus; alteram, qua reddimus. Schol. — Cf. Virg. Georg. III, 505 sqq. Ed.

328. *Rescissoque*, etc. Fatiscenti ceu ulcerato, exasperato. — *Suspiria.*

Pandunt ora tamen, nocturnumque aera captant.
Exspectant imbres, quorum modo cuncta natabant
Impulsu, et siccis vultus in nubibus hærent.
Quoque magis miseros undæ jejunia solvant,
Non super arentem Meroen, Cancrique sub axe,
Qua nudi Garamantes arant, sedere : sed inter
Stagnantem Sicorim, et rapidum deprensus Hiberum
Spectat vicinos sitiens exercitus amnes.
Jam domiti cessere duces, pacisque petendæ
Auctor damnatis supplex Afranius armis,

Halitus, emissiones anhelæ, unde sospiriosi dicti, qui difficulter respirant. Conf. v. 757.

329. *Pandunt ora tamen.* Dorvillius *ora siti* legit, pro, aeri sitim inducenti. Male. Apposite Ovid. loc. supra cit. « Trepidisque arentia venis Ora patent, auræque graves captantur hiatu. » Ed.

330. *Exspectant imbres.* Hæc videtur expressisse Cl. Esménard, *la Navigation, ch.* IV, sub fin. « .... à l'horizon épiant un nuage, Implorent haletans la faveur d'un orage.» Ed.— *Modo cuncta*, etc. Supra v. 50.

331. *Hærent in nubibus.* Spectant nubes pluviam non emittentes. Sulp.

332. *Quoque magis miseros*, etc. Ut magis siti irritarentur, erant inter duo flumina eis conspicua. Periphrastice, *jejunia undæ*, sitim vocat. — *Solvant.* I. e. irritent, seu labefactent. Nam *solvere* pro debilitare, exhaurire viribus usque ad mortem, poni notum est, et hinc recte *miseros.* Sic morbi solventes corpora dixit Germanicus, in Arat. 484. Descriptionem siccitatis et hinc ortæ sitis conf. apud Stat. Theb. IV, 699. Ed.

333. *Meroen.* Nili insulam. — *Cancrique sub axe.* Sub Tropico Cancri, qui limes est torridæ Zonæ.

334. *Garamantes.* Garamantes populi sunt Africæ prope Cyrenas inhabitantes, nominati a Garamante rege, Apollinis filio, qui ibi ex suo nomine oppidum condidit; sunt autem proximi gentibus Æthiopum, de quibus Virgilius; *extremi Garamantes.* — *Nudi* propter ardorem. Sch. — *Arant.* Sine casu quoque dictum VI, 356 : « Nunc super Argos arant. » Ed.

336. *Vicinos sitiens.* Unde major impatientiæ causa, quod habeant flumina vicina sitientes. Sch.

337. *Jam domiti cessere duces.* Tandem omnibus rebus obsessi, quartum jam diem sine pabulo retentis jumentis, aquæ, ligni et frumenti inopia, colloquium petunt, et id si fieri possit, semoto a militibus loco. Ubi id a Cæsare negatum, et palam si colloqui vellent, concessum est; datur obsidis loco Cæsari filius Afranii : venitur in locum quem Cæsar deligit : audiente utroque exercitu, loquitur Afranius, etc. Cæs. de Bello Civ. I, 84.

338. *Damnatis*, etc. Abjectis, im-

Semianimes in castra trahens hostilia turmas,
Victoris stetit ante pedes. Servata precanti
Majestas, non fracta malis, interque priorem
Fortunam, casusque novos, gerit omnia victi,
Sed ducis, et veniam securo pectore poscit.
« Si me degeneri stravissent fata sub hoste,
Non deerat fortis rapiendo dextera leto:
At nunc sola mihi est orandæ causa salutis,
Dignum donanda, Cæsar, te credere vita.
Non partis studiis agimur, nec sumpsimus arma
Consiliis inimica tuis. Nos denique bellum
Invenit civile duces: causæque priori,
Dum potuit, servata fides: nil fata moramur.
Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,

probataque bello. Alio sensu inf. 360, *damnata arma* dixit Ed.

340. *Servata precanti*, etc. Utcumque supplex, mediam tamen quamdam, inter fortunam priorem prosperam atque hanc adversam, retinet dignitatem.

342. *Gerit omnia victi.* Ellipsis: agit, præ se fert omnia quidem victi, i. e. tamquam victus esset, sed tamen memor se ducem esse.

343. *Securo pectore poscit.* Impavido, in utrumque parato.

345. *Fortis rapiendo*, etc. Qua mihi honestam mortem inferrem. Conf. Val. Flacc. VI, 191: « Rapit ille necem. »

347. *Dignum donanda*, etc. Quod te dignum existimem a quo vitæ beneficium accipiam. Vult autem Burmannus *dignum* hic sumi, ut apud Terent. Eunuch. V, 11, 25: « Si ego digna hac contumelia, at tu indignus qui faceres tamen. » Ergo *dignum*, cui convenit, cui decorum est. Sed huic sensui repugnat versus præcedens. Mox conjicit *me credere*; male. Ed.

348. *Non partis studiis agimur*, etc. Non sequuti sumus partes, aut Pompeianæ factionis studio arma adversus te induimus post motum hoc bellum: sed jam ante quum essemus Pompeii duces, legationis muneri, quantum in nobis erat et quoad licuit, fidem præstitimus. Cedimus modo diis et necessitati fatali, neque moram injicimus Fortunæ, quominus te evehat, quo te fata vocant.

349. *Consiliis inimica tuis.* Tuis rebus, tuæ dignitati adversantia. Grot.

351. *Nil fata moramur.* Videmus hoc agere fortunam, ut te urbi imponat. Nos fatorum voluntati non adversamur.

352. *Tradimus Hesperias*, etc. Tuæ fidei tradimus exercitus nostros cum Hispaniis, ita ut tibi secura

Securumque orbis patimur post terga relicti.
Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,
Nec ferrum, lassæque manus : hoc hostibus unum,
Quod vincas, ignosce tuis. Nec magna petuntur :
Otia des fessis, vitam patiaris inermes
Degere, quam tribuis : campis prostrata jacere
Agmina nostra putes ; nec enim felicibus armis
Misceri damnata decet, partemque triumphi
Captos ferre tui : turba hæc sua fata peregit.
Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas. »
 Dixerat : at facilis Cæsar, vultuque serenus
Flectitur, atque usum belli, pœnamque remittit.

de nobis et jam non Occidentis arma metuenti pandatur iter adversus Pompeium in Oriente.

353. *Securumque orbis*, etc. Permittimus te securum esse omnium periculorum, quæ a tergo ab Hispanis et Italis possent imminere. HORT.

355. *Hoc hostibus unum*, etc. Quod incruentam tibi cedamus victoriam. Quo facilior in nos debes esse, quod tuo velificati sumus consilio, qui omnem ioiisti rationem vincendi sine sanguine. SULP. —Sed melius Schol. Non ideo nobis ignosce, quia contra te pugnavimus ; nam negat factum, sed ideo quia fuimus, quos vinceres.

356. *Nec magna petuntur.* Petimus tantum vacationem a bello.

357. *Fessis.* Recte, sibi scil. aliisque malis quibus passim *fessos* homines dicunt poetæ. Stat. Theb. IV, 756 : « Da fessis in rebus opem. » ED.—*Inermes*, etc. Bello immunes, neque enim in partes redituri sumus adversus te ; de nobis securus esse potes, perinde ac si ferro tuo ad internecionem occubuissemus omnes. Precamur hoc solum, ne victi cogamur tua signa sequi et tecum vincere.

358. *Quam tribuis.* Int. tribuas sive tribues. Quamcumque vitam tribues, modo ne arma ferre tecum et contra Pompeium pugnare cogamur gratum erit. — *Prostrata jacere.* De nobis ne magis cures quam si omnes in campis prostrati jaceremus. *Jacere.* Scil. mortuos, occisos esse, ut IX, 906. Hinc addit : « turba hæc sua fata peregit, » quasi vivere desiisset. BURM.

360. *Damnata.* Scil. arma, ut supra vs. 338. *Damnata*, infausta, opponitur τῷ *felicia* : vel etiam se indignum confitetur qui cum Cæsare vincat, ut vult Schuliastes, cui in hoc non adsentio. ED.

363. *Vultuque serenus.* Serenitas ori adscribitur, metaphora a cæli tranquilli facie ducta. Silius Ital. VII, 461 : « Pacemque serenis Condiscens oculis. ED.

364. *Usum belli*, etc. Vacationem

Ut primum justæ placuerunt fœdera pacis,
Incustoditos decurrit miles ad amnes,
Incumbit ripis, permissaque flumina turbat.
Continuus multis subitarum tractus aquarum
Aera non passus vacuis discurrere venis,
Arctavit, clausitque animam : nec fervida pestis
Cedit adhuc; sed morbus egens jam gurgite, plenis
Visceribus, sibi poscit aquas : mox robora nervis,
Et vires rediere viris. O prodiga rerum
Luxuries, numquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et lautæ gloria mensæ,
Discite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat! Non erigit ægros

a bello, atque impunitatem indulget.

365. *Justæ... pacis.* Fœdere inter duces sancito jam recte facta pax; non dubia, ut nuper, inter milites.

366. *Incustoditos*, etc. Non interclusos, non interdictos.

367. *Turbat.* Turbida reddit, dum procumbit bibendi avidus. *Turbare* vero plus est quam *captare*, quod alii male intrudunt. Notat enim majorem sitientium impetum et bibendi aviditatem : non enim lambunt summam aquam, sed profundo fluvio ora et manus immergentes turbant aquam. Sic lupus apud Phædrum, I, 1, agno, inquit, « cur turbulentam fecisti mihi aquam. » More ergo pecudum irruunt toto corpore in fluvium et turbant. B.

368. *Continuus multis*, etc. Largus neque respiratione intermissus haustus plerisque spiritum constrinxit.

369. *Venis.* Arteriis gutturis et pulmonum fistulis.

370. *Fervida pestis*, etc. Vehemens et ardens sitis.

371. *Morbus.* Sitis inexstincta, quæ bibendo crescebat. — *Egens jam gurgite*. I. e. non modico haustu sed toto quasi fluvio egens, aquas non jam corporis desideriis, quum plena essent viscera, verum *sibi* uni ob insatiabilem morbi ardorem poscebat. Ed.

372. *Mox robora nervis.* Mox rediere militibus aqua refectis vires pristinæ.

373. *O prodiga*, etc. A beneficio aquæ redditæ, excurrit poeta in detestationem luxus delicatorum.

374. *Paratu.* Iis quæ facile parantur.

376. *Ambitiosa fames*, etc. Neque ad delicias tantum, sed ad gloriam et ostentationem. Petron. *Ingeniosa gula est*, etc.

377. *Discite*, etc. Ex his Afranianis, quos restituit non vinum nobile et vetus, sed aqua simplex.

Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus;
Non auro, murrhaque bibunt: sed gurgite puro
Vita redit. Satis est populis fluviusque Ceresque.
Heu miseri, qui bella gerunt! Tunc arma relinquens
Victori miles, spoliato pectore tutus,
Innocuusque suas, curarum liber, in urbes
Spargitur. O quantum donata pace potitos
Excussis umquam ferrum vibrasse lacertis

379. *Nobilis ignoto*, etc. Nobile vinum, Opimio, et Philippo, vel alio propter vetustatem ignoto nobis consule reconditum. Juven. Sat. V, 30: « capillato diffusum consule . . . . . cujus patriam titulumque senectus Delevit multa veteris fuligine testæ. »

380. *Non auro*, etc. Non aureis poculis, murrhinisque. Male quidam reponunt *gemmaque bibunt*, ex Virg. Georg. II, 506. — *Gurgite puro*. Aqua mera et simplici.

381. *Satis est populis*, etc. Da mihi polentam et aquam, inquit Epicurus, et cum Jove ipso de felicitate contenderim, Senec. epist. et Ælian. Var. Histor. lib. IV, cap. 13: ἄρτον μόνον, πρὸσ γὰρ ποταμοῦ δειπνήσειν πέποιθα.

382. *Heu miseri, qui bella gerunt!* Heu quot labores subeundi, quot miseriæ perferendæ iis qui castra sequuntur! — *Tunc arma*, etc. Inter alia Cæsar responderat: se nunc id non agere, ut ab illis abductum exercitum teneat ipse, quod tamen sibi difficile non sit; sed ne illi habeant, quo contra se uti possint: proinde arma tradant, exercitum dimittant, provinciis excedant, domicilium aut possessiones, qui in Hispania habent, statim repetant, reliqui ad Varum fluvium dimittantur. Bell. Civ. liv. I.

383. *Tutus*, etc. Exarmatus miles, at illæsus dimittitur. Cavet Cæsar ne quid eis noceatur, ne quis invitus sacramento cogatur. Addit etiam, ut quid quisque eorum in bello amiserit restituatur, etc. loc. cit.

384. *Innocuus*. Vir doct. conj. *suis*, scil. cognatis et adfinibus, vel suis civibus in diversa parte militantibus, innocui fiunt, i. e. non causa malorum. Bersmann. probante Oudend. integer, illæsus; *innocuus* est tam qui non læditur, quam qui non lædit. Malim intell. *innocens*, utpote qui a civili scelere eximatur. Ed.

385. *O quantum*, etc. *nempe usis*, etc. O quam pœnituit Afranianos continuati tamdiu belli, detrectatæ deditionis, rerum inopiæ ultra quam opus erat perpessæ, votorum pro felici bello ad deos non exaudientes sollicite conceptorum, eoque magis quum videant victoribus restare tot pugnarum discrimina, etc. — Burmannus tamen *usis* intelligit de ipsis Afranianis, scil. si usi fuissent, minus recte. Ed.

386. *Excussis ferrum vibrasse*. Intell. de missili jacto. Ovid. Her. IV, 43: « Aut tremulum excusso jaculum vibrare lacerto. »

Pœnituit, tolerasse sitim, frustraque rogasse
Prospera bella Deos! Nempe usis Marte secundo
Tot dubiæ restant acies, tot in orbe labores;
Ut numquam fortuna labet successibus anceps,
Vincendum toties: terras fundendus in omnes
Est cruor, et Cæsar per tot sua fata sequendus.
Felix, qui potuit, mundi nutante ruina,
Quo jaceat, jam scire, loco! Non prælia fessos
Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.
Jam conjux, natique rudes, et sordida tecta,
Et non deductos recipit sua terra colonos.

387. *Frustraque*. Vel quia non impetraverunt, vel quia eamdem habent victi pacem, quam haberent, si essent victores; immo potiorem. Ed.

390. *Ut numquam fortuna*, etc. Etiamsi fortuna constanter adspiret iis prospera, multo tamen labore et sanguine victoriæ iis constabunt.—*Labet successibus*. Nutet, a secundis rebus, id quod incertum erat futurum. Hort.

391. *Terras fundendus in omnes*, etc. Macedoniam, Ægyptum, Africam, Hispaniam rursus, omnes orbis partes.

392. *Per tot sua*, etc. Per tot bellorum et fortunæ incertos eventus, qui adhuc Cæsarem manent.

393. *Felix, qui potuit*, etc. Felices sane hos Afranianos, quibus, quum cæteræ omnes mundi partes in ruinam vacillarent, permissum est in sua tellure, lare secreto tutoque tectis, leni perfrui otio.

394. *Quo jaceat*, etc. Schol. MS. 7900: «Quum pendet ruina mundi, incertum est, ubi jacebit unusquisque post casum. Sed hic accipimus dictum felicem eum, qui ancipiti omnium statu jam scit, in quo loco ejus fortuna consistat.» Alii explicant, quo loco sit moriturus; non male ob præcedentia. Burmannus mutare vult *quo lateat*, scil. ubi expers periculorum belli intus latere possit. Sed hic sensus sine mutatione constare posset. *Jacere* est quiescere. Ed.

395. *Certos non rumpunt*, etc. «Neque excitatur classico miles truci.» Horat. Epod. II, 5. et Tibull. «Martia cui somnos classica pulsa fugant.»

396. *Sordida tecta*. «Humili loco, sed certa sedet Sordida parvæ fortunæ domus.» Senec. Her. Fur. 198. *Sordida tecta*. Ita vocant quæ opponuntur urbanis munditiis et elegantia conspicuis. Videtur expressisse Virgil. Ecl. II, 28: «O tantum libeat mecum tibi sordida rura Atque humiles habitare casas.» Licet vero sæpe patria coloniis adsignatis pejor sit, et sordida habeat tecta, tamen dulcedo patrii soli, conjux et liberi, illa gratiora facient agris, licet melioribus, in quos deducerentur.

397. *Et non deductos*, etc. Quibus non opus esset finem belli exspectare, ut sibi victoribus et veteranis in colo-

Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quod abest favor : ille salutis
Est auctor, dux ille fuit. Sic prælia soli
Felices nullo spectant civilia voto.
Non eadem belli totum fortuna per orbem
Constitit; in partes aliquid sed Cæsaris ausa est,
Qua maris Hadriaci longas ferit unda Salonas,

nias alio dedactis assigoarentur agri. Recte hic Sch. « Mos erat ut in hostiles terras a victore deducerentur coloni. Bene ergo hos *non deductos* colonos esse dixit, quia ad suas patrias, in terram suam revertuntur. » Propria hac in re formula est *deducere coloniam*. ED.

398. *Remisit.* Ut supra, « pœnamque remittit. » Hoc quoque incommodo eos eximit fortuna. Hoc oneris, pro, hoc onus. Sic *hoc juris*, VI, 496 : neque conjungendum est *securis oneris*, ut supra 353, « securus orbis. » ED.

399. *Sollicitus menti*, etc. Quod partium studio vacantes neutri sollicite faveant, neutri victoriam voveant, utrique ex æquo obligati. Utercumque enim vicerit, ferent facile; alteri parti ob sacramentum vetus; alteri ob recens beneficium benevolentes. GROTIUS. — Vult tamen Burmannus aliquid magis proprium in voce *favor* indicari. Favor enim, inquit, proprie in comitiis locum habebat, quibus suffragia huic vel illi candidato dare, vel potius vendere cogebantur. Hinc *sollicitus favor*, quia sæpe nesciebant cui ex potentibus se addicerent. Hoc onere, hac cura soluti in patria sua jam vivere et latere poterant, nec suffragia ad Cæsaris vel ad Pompeii nutum dare coacti. Sic Burmannus: sed hanc interpretationem satis refellunt, quæ sequuntur « prælia... nullo spectant civilia voto. » *Nullum votum* faciunt : ideo non de alterutro sollicitus eorum est favor. ED.

402. *Non eadem belli*, etc. Hoc, ut alia quædam, de Lucano sumpsit Florus, lib. IV, c. 2 : « Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyrium, etc. Quippe quum fauces Hadriatici maris jussi occupare Dolabella et Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo litore castra posuissent; jam maria late tenente Pompeio, repente castra legatus ejus Octavius, et Libo cum ingentibus copiis classicorum utrimque circumvenit : deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque a Basilo in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat, nova Pompeianorum arte Cilicum, actis submare funibus, captæ quasi per indaginem. Duas tamen æstus explicuit : una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille juvenum manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit, et quum exitum virtus non haberet, ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio, mutuis ictibus in se concurrit. »

404. *Qua maris Hadrioci*, etc. Qua mare Hadriaticum adluit Salonas urbem Dalmatiæ, quam Pollio consul expugnavit, unde et filium suum, qui eo anno, quo eam devicit, natus est,

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader.
Illic bellaci confisus gente Curetum,
Quos alit Hadriaco tellus circumflua ponto,
Clauditur extrema residens Antonius ora,
Cautus ab incursu belli, si sola recedat,
Expugnat quæ tuta, fames. Non pabula tellus
Pascendis submittit equis, non proserit ullam
Flava Ceres segetem : spoliabat gramine campum
Miles, et attonso miseris jam dentibus arvo
Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.

ex ejus nomine *Saloninum vocavit.* Sch. —Urbis hujus meminit quoque Stephanus; sed male a *Saloua* distinguit. Item Orosius VI, c. 15 : « Octavius Salouas oppugnare conatus. » Hermolao, *Spolato*. Cæterum quod ad *Salonas* attinet, quæ Dalmatarum navalia aliquaudo fuerunt, sciandum, Strabonem tertia declinatioue *Salonem*, Pliuium (Melam) prima, et siugulariter *Salonam*, cæteros plerosque *Salonas*, pluraliter eamdem appellare. Micyll. —*Longas*, i. e. in mare exporrectas. Ed.

405. *Et tepidum*, etc. Monstrat plagam in qnam decurrit amuis. Hort. — *Iader*. Recte boc loco Omnibonus, qui *Iader*, fluvii nomen exponit. Nam et Vibins Sequester, « Iader, inquit, juxta Salonas mare influit Hadriaticum. » Iaderæ autem eoloniæ, quæ a fluvio nomen accepisse videtur, meminit Pliu. IV, 21 et sequenti.

406. *Curetum*. Non sunt isti Bruudusini, ut vnlt Sulpitius, a Cretensibus oriundi, nt supra II, 610; uec Cretenses auxiliares, ut Omnibouus. Repugnat loci descriptio, et qnantitas syllabæ : gesta hæc prope Salonas gr. lat. circiter 44 : non Brundusium 42 ; hoc in Italia, nequa insula, illæ in Illyrico. Nou sunt Κουρῆτες, Acarnanum populi, Curetes qui ubiqna prima longa efferuntur. Virg. Georg. IV : « Curetum sonitus, crepitantiaque æra sequutus. » Videntur ergo incolæ nnins ex iis insulis quas Plin. lib. III, c. 26, vocat Creteas, contra Liburnos sitas : illins, eredo, quam Ptol. Geograph. II, adjacentem Liburniæ agnoscit, Curictam, cujus duo oppida sunt Phulsinium et Curicum. *Vegiam* hodie dici eredit Hermolaus. Cf. ad Flor. IV, 2, § 31, not. Plura vid. in Disq. var. Ed.

408. *Clauditur*, etc. Undique obsidetur elassibus ab Octavio Libone. — *Antonius*. C. Autóuius. Non M. Antonius, qni Brundnsii subsistebat copias Cæsaris trajecturus.

409. *Cautus*, ete. Armis utique et loei natura satis munitus, nisi inopia frumenti et pabuli pressus fuisset.

411. *Submittit*. Beue exponunt : snrsum mittit, profert, crescere facit. Possis etiam iuterpretari, submiuistrat : Senee. Œdip. 845 : « Æstiva nostro prata sub mittit gregi. » Ed. — *Proserit*, exserit.

414. *Siccas de cespite*. Notum est

Ut primum adversæ socios in litore terræ
Et Basilum videre ducem, nova furta per æquor
Exquisita fugæ : neque enim de more carinas
Extendunt, puppesque levant, sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuæ sustentant undique cupæ,
Quarum porrectis series constricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expositum telis in fronte patenti
Remigium; sed, quod trabibus circumdedit æquor,
Hoc ferit, et taciti præbet miracula cursus,

munimina castrorum e cespite plerumque facta. Postquam igitur arvum spoliaverant gramine, siccas herbas, si quas in cespite castrorum inveuerant, evellebant, ut ederent. Ed.

415. *Ut primum*, etc. Ubi Antonius vidit socios sub Dolabellæ signis, et Basilum in adverso sinus litore, conatus est novo fugæ genere evadere. Sed hæc aliter Florus, ut modo, ad v. 402. — *Adversæ terræ.* Illyricæ, ubi Dolabella erat. Sulpit.

416. *Basilum videre ducem.* Classis præfectum: Opiterginorum ducem.— *Furta fugæ;* fugam furtivam. Ed.

417. *Exquisita.* Excogitata. Sulp. — *Neque enim.* Non in longitudinem extendunt carinam, aut puppim in altitudinem attollunt.—*De more.* Non ut plerumque fit navibus, sed *insolito ductu*, id est, coustructione ratis innsitata utuntur. Ed.

418. *Sed firma*, etc. Sed contexit cupas duplici ordine collocatas, quas trabibus et catenis a fronte vinctas cratibus pluteisque munivit; atque hæc ratis cupis, id est, scaphis sustentata a remigibus qui non videbantur, intra geminos scapharum utrimque ordines propellebatur. Varie videtur mihi implicita et velut una e multis mixta hæc relatio. Hujusmodi ratem a Marco Antonio Brundusii contextam meminit Cæsar, de Civ. Bell. III, c. 24, duasque adjectas triremes. Neque de tempore convenit: ante Cæsaris adventum, necne? »

419. *Contexunt robora.* Junctis trabibus ratem efficiunt ita firmam, ut moles magnas sustineat. Ed.

420. *Cupæ.* Alii scribunt *cuppæ*. Vas ligneum fuisse videtur, idem fere quod dolium, multosque in usus adhibitum. Capit. Max. c. 2: « ponte ex cupis facto; » Plin. Hist. N. XXIII, 31, memorat cupas vinarias (*les cuves*); Cæsar, B. Civ. II, 11: « cupas tæda ac pice refertas incendunt. » Ed.

421. *Porrectis.* Id est, longis, serie longa connexis. II, 671: « Roboraque immensis late religare catenis. »

423. *Nec gerit*, etc. Nec habet remorum ordinem cui noceri possit. — *In fronte.* In lateribus, qua extra a fluctibus maris pulsabatur.

425. *Hoc ferit.* Quod est intra

Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
Tunc freta servantur, dum se declivibus undis
Æstus agat, refluoque mari nudentur arenæ.
Jamque relabenti crescebant litora ponto;
Missa ratis prono defertur lapsa profundo,
Et geminæ comites : cunctas super ardua turris
Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.
Noluit Illyricæ custos Octavius undæ
Confestim tentare ratem, celeresque carinas
Continuit, cursu crescat dum præda secundo;
Et temere ingressos repetendum invitat ad æquor
Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos

scaphas. — *Taciti cursus*. Quod nusquam remiges apparerent.

426. *Apertas*. Id est, aperte, palam. Ed.

427. *Servantur*, etc. Observatur æstus maris, ut cum undarum refluxu ratis jam structa deductaque trajiciat.

428. *Refluoque mari*, etc. Tum enim altius litora attolluntur, et unda recedente arenæ nudantur.

429. *Jamque relabenti*, etc. Jamque refluo æstu se extendere et surgere videtur litus.

431. *Et geminæ comites*. Et duæ rates sociæ, unde ostenditur tres constructas fuisse. Schol. — Alii unam tantum ratem fuisse volunt, quam duæ triremes comitabantur. Sed refellit ipse Lucanus infr. 452 : « nec prima, nec illa Quæ sequitur tardata ratis : sed tertia moles Hæsit. » Omnes autem una turris ardua, tabulatis iisque pinnatis munita, supereminet. Ed.

432. *Tabulata minantia pinnis*. Eminentia excelsis pinnis: sive rectius, quod quum moventur naves vi æstus marini, hinc illinc minentur. Sic Virg. II, 240 : « Mediæque minans illabitur urbi. » — *Pinnæ* proprie murorum sunt, *tremulæ* autem ob perpetuam ratium mobilitatem. *Tabulata* bene Dorv. nominativo casu, ut constructio sit : ardua turris et tabulata eminent super cunctas rates. *Eminet*, quod turri convenit, etiam tabulatis congruit. Similes singularis verbi positiones notat Oud. ad I, 422; cf. V, 246; VI, 515, et pass. Ed.

433. *Noluit Illyricæ*, etc. Octavius præfectus Pompeianæ classis ad custodiam Illyrici litoris, noluit statim ratem invadere, sed continuit se donec reliquæ triremes tutæ fugæ spe allectæ in mare descenderent.

436. *Et temere ingressos*. Parum circumspecte promotos, elicit ad repetendum mare *secundo*, altero cursu, aut quia prospere cessit. Ed.

437. *Pace maris*. Id est, dum viderent mare tranquillum et ab hostibus vacuus. Sic sæpe Noster *pacem* appellat vacationem ab armis; II, 648; IV, 473. Ed. — *Sic dum pavi-*

Claudat odoratæ metuentes aera pennæ:
Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator, tenet ora levis clamosa Molossi;
Spartanos, Cretasque ligat: nec creditur ulli
Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, et præda nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.
Nec mora; complentur moles, avideque petitis
Insula deseritur ratibus, quo tempore primas

dos, etc. Qualiter veoator indaginem tendens snspendit formidinem seu lineam, retis genus, plumis versicoloribus atqne ad odorem ustulatis intertexti, qno cervi territi in veras plagas irrnant. Virg. Georg. III, 372: « Puniceæva agitant pavidos formidina pennæ. » — Cf. Sen. Hip. 46: « Picta rubenti linea penna Vano eludat terrore feras. » Formidinis texturam vide apnd Gratium, Cyn. v. 75, seq. Poet. Lat. min. tom. I. Cf. et ad Plin. H. N. XXI, 39, not. 11. Ed.

438. *Odoratæ pennæ.* Intelligunt odorem ex pennis nstnlatis. Sed malim conjicere ipsius pennæ odor, qnod adstrnit Gratius, ubi probat adsumi in pinnatis plumas vulturis, quæ late spargunt tetrum odorem, qno feræ turbantur, v. 79: « ab vulture dirus avaro Tnrbat odor silvas. » Ed. — *Aera.* Hic *aer* pro odore, qni ex aere vel aura redditur. Ed.

439. *Attollat retia*, etc. Erigat retia perticis furcatis. — *Varis.* Varæ vel vari, perticæ, furculæ quibns retia subriguntor, et snstentantor. Sch. — Senec. Th. 491: « Plagis tenetur clusa dispositis fera. » Vide notas ad Grat. V, 87; Poet. Lat. min. nostræ edit. tom. I, p. 43. Ed.

440. *Tenet ora levis clamosa Molossi.* Ne canes latratn feras terreant. Habuit autem ob oculos Lucanus locnm Senec. in Hip. v. 32: « Teneant acres lora Molossos, Et pugnaces tendant Cressæ Fortia trito vincula collo. At Spartanos (genus est andax Avidomqne feræ), nodo cautus Propiore liga. Veniet tempus, Quum latratu cava saxa sonent. Nunc demissi nare sagaci Captent auras, Instraque presso Quærant rostro. » — *Molossi.* Canes Epirotici, qui fortitudine landantur, nt Spartani seu Lacones veloeitate. Virg. Georg. III, 405: « Veloces Spartæ catulos acremque Molossum. »

441. *Cretasque ligat.* Cretenses canes.

444. *Contentus tremulo*, etc. Concusso loro admonet venatorem inventæ feræ. — *Loro.* Catennla vel vinculo colli, id est, collario. Sch.

445. *Complentur moles*, etc. Ratibus imponuntur milites. Sic supra noster eas dixit firmas gerendis *molibus*. Ed.

446. *Insula deseritur ratibus.* Cercyra, Curicta, Melæna, de qua supra, ad v. 406. — *Quo tempore.* Crepusculo, qnnm advesperasceret. Ed.

Impedit ad noctem jam lux extrema tenebras.
At Pompeianus fraudes innectere ponto
Antiqua parat arte Cilix, passusque vacare
Summa freti, medio suspendit vincula ponto,
Et laxas fluitare sinit, religatque catenas
Rupis ab Illyricæ scopulis. Nec prima, nec illa,
Quæ sequitur, tardata ratis; sed tertia moles
Hæsit, et ad cautes adducto fune sequuta est.
Impendent cava saxa mari; ruituraque semper
Stat (mirum) moles, et silvis æquor inumbrat.
Huc fractas Aquilone rates, submersaque pontus

447. *Ad noctem*. Id est, nocte appropinquante, circa noctem. — *Lux impedit tenebras*, id est, eas coercet, impedit ne statim densentur; et forte intellig. ne *primæ* tenebræ in plenam *noctem* statim resolvantur. Ascensius: *ad noctem* scil. inducendam. Sic cum Oudend. post Priscian. et e MS. 7900 recepi. Plures tamen *impulit*; quo sensu, tacent. An *impulit* pro *repulit*? extrema dies cum tenebris colluctata easque aliquandiu repellere visa est: an, per hypallagen, extremam lucem primæ tenebræ impulerunt? Ed.

448. *Pompeianus*, etc. Pompeii jam partes sequuti erant Cilices, quos devicerat, III, 228. — *Innectere*. Sic Virg. Æn. VI, 609: « Et fraus innexa clienti. »

449. *Antiqua*, etc. Scil. ut ante consueverat, piratica. Florus, l. IV, c. 2: « Rates, nova Pompeianorum arte Cilicum, jactis sub mare funibus captæ quasi per indaginem. » Notandum tamen, Florum *nova arte* dicere, quod Noster *antiqua*. Hic scilicet ad dolosam circa res nauticas ab antiquo jam tempore Cilicum indolem respiciens; ille ad ipsum hoc stratagema, quod erat novum, referens. — *Vacare*, etc. I. e. liberum, apertum esse mare summum, non apparentibus in superficie maris vinculis.

451. *Laxos*. Cortius *laxa* mavult, ut pertineat ad vincula, sive funes in mari pendentes, non ad catenas, quibus illos adligaverunt ad terram. Tunc defenderetur munere cæsuræ. Sed nihil mutandum; nam catenæ nihil aliud sunt, quam vincula sub mari suspensa. Alii *laxe*. Ed.

453. *Tardata ratis*. Retenta. Florus diserte: « duas tamen æstus explicuit. » Vid. not. ad v. 402. — *Tertia moles*, etc. Ratis illa ingens cupis superstructa, qua Opiterginos vehebat.

454. *Adducto fune*. Adductis catenis, vinculis attracta est. III, 700: « Adductum quoties non senserat ancora funem. » Ed.

455. *Cava saxa*, etc. Adducitur ad rupem exesam, et ruituræ similem.

456. *Stat* (*mirum*). Mirum, quod stet, quum semper ruitura est. Sch.

457. *Aquilone*. Pro quolibet vento.

Corpora sæpe tulit, cæcisque abscondit in antris:
Restituit raptus tectum mare, quumque cavernæ
Evomuere fretum, contorti vorticis undæ
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.
Hic Opiterginis moles onerata colonis
Constitit: hanc omni puppes statione solutæ
Circueunt; alii rupes, ac litora complent.
Vulteius tacitas sensit sub gurgite fraudes;
Dux erat ille ratis: frustra qui vincula ferro
Rumpere conatus, poscit spe prælia nulla,
Incertus qua terga daret, qua pectora bello.
Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
Effecit virtus: inter tot millia captæ
Circumfusa rati, et plenam vix inde cohortem,
Pugna fuit, non longa quidem; nam condidit atra
Nox lucem dubiam, pacemque habuere tenebræ.

458. *Corpora.* Aut navium aut potius hominum. Virg. Æn. I, 70: «Aut age diversos; et disjice corpora ponto.»

459. *Restituit raptus ...mare.* Mare restituit, quæ rapuerat. *Raptus.* Sic vocat ipsas res raptas, corpora scilicet et naves, quæ pertracta ad has cavernas, deinde iterum evomuntur. Grot.—Alii legunt: *Restituit rupes tectum mare*, et explicant: Scopulus absorptos fluctus refundit; instar Charybdis, cui hanc rupem comparat. Gronovius servat *raptus*, sed adjective in nominativo casu accipit, id est, pontus reciprocante æstu relatus et revocatus tectum mare, id est, fluctus suos, quos invehendo in cavernas texerat, restituit. Et sic videtur intellexisse Scholiastes. Et hoc sane mihi placet. Ed.

461. *Tauromenitanam*, etc. Juxta Tauromenium, Siciliæ oppidum, ostenditur Charybdis, ad cujus litus ejiciuntur, quæ illa vorago absorpserat. Silius, XIV, 256: «Tauromenitana cernunt de sede Charybdim.»

462. *Opiterginis.* Opiterginum oppidum est Venetorum. *Oderso* Leandro. Hujus incolæ fautores Cæsaris contra Pompeium.

463. *Puppes.* Pompeianæ.

465. *Tacitas.* Insidiose positas.

466. *Ferro.* Securi, bipenni.

467. *Poscit spe*, etc. Accingit se et hortatur suos ad pugnam, sine ulla aut fugæ aut victoriæ spe.

468. *Qua pectora.* Inscius qua ex parte hosti se opponeret.

471. *Plenam vix inde cohortem.* Vix erat in rate, numerus quo con-

Tunc sic attonitam, venturaque fata paventem
Rexit magnanima Vulteius voce cohortem :
« Libera non ultra parva quam nocte, juventus,
Consulite extremis angusto in tempore rebus.
Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quærendæ sibi mortis habet : nec gloria leti
Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.
Omnibus incerto venturæ tempore vitæ
Par animi laus est, et quos speraveris annos
Perdere, et extremæ momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu : non cogitur ullus
Velle mori. Fuga nulla patet ; stant undique nostris

stat cohors. Cohors decima pars est legionis, cujus numerus variat. Constat plerumque sexcentis circiter militibus. Florus refert fuisse mille. Prima quidem in legione cohors habet pedites MCV, equites loricatos CXXXII. Vegetius, lib. II, c. 6.

476. *Libera non ultra*, etc. O juvenes, libertate vestra non ultra brevem hanc noctem fruituri; nam primo lucis ortu erant bella reditura. SCHOL.

477. *Angusto in tempore rebus*. Brevi utcumque, vel difficili et periculoso, ut Horat. Carm. II, 10, 21 : « Rebus angustis animosus atque Fortis appare. » Sed melius hic brevitas et exiguum temporis spatium, in quo extremis et desperatis rebus consulere debebant, innuitur. ED.

478. *Vita brevis nulli*. Sensus hic est. Non potest putanda *brevis* jam vita superesse, in qua unusquisque habet spatium, quo sibi quærat exitium, id est, multum vitæ superest, si habemus, ut mortem nobis singuli requiramus. SCHOL. — Nemo queratur sibi fuisse vitam brevem, qui in illa tempus habuit sibi mortis consciscendæ.

479. *Nec gloria leti*, etc. Neque tribuetur nobis minori laudi, quod mortem vicinam et in limine nobis ab hoste imminentem ; nostra manu præoccupaverimus, quam si diuturnior vitæ nobis usura esset futura. Quum enim nemo exploratum habeat quamdiu sit victurus, æqua magnanimitatis laus est, breve quod superest momentum ac longissimam, quam sperabas, vitam incidisse, modo ipse fortiter incidas.

480. *Admoto occurrere fato*. Sic Stat. Theb. I, 640 : « aut certæ trepidas occurrere morti. » *Admotum* autem fatum alibi vicinam mortem dicit auctor et viciniam fati vel leti v. 518 et VII, 50 : « mortis vicinæ properantes admovet horas. » ED.

484. *Accersas dum fata*. Hæc gloria est accersere fatum ; nam etsi mori cogi possumus, velle tamen

Intenti cives jugulis. Decernite letum,
Et metus omnis abest : cupias quodcumque necesse est.
Non tamen in cæca bellorum nube cadendum est,
Ut quum permixtis acies sua tela tenebris
Involvunt : conserta jacent quum corpora campo,
In medium mors omnis abit ; perit obruta virtus.
Nos in conspicua sociis, hostique carina
Constituere Dei : præbebunt æquora testes,
Præbebunt terræ, summis dabit insula saxis.

mori ; non ita, neque enim cogitur voluntas. Verum qnod urget necessitas, velimus ; et in virtutem cedet necessitas.

486. *Cives jugulis.* Romani, qui nobis non parcent.

487. *Metus omnis abest.* Non erit enim, quod timere possitis, morte decreta. SCHOL.

488. *Non .... in cœca*, etc. Solatium quæsitum de genere mortis. SCHOL. — Neqne carebimus pulchro fortitudinis nostræ teste, conspicui diis et hominibus, sociis ab insula spectantibus, hostibus a continenti terra et mari : jacebimusque nos inter nos, victores cum victis ; non mixti confusa strage tamquam cæco belli tumultu cæsi sub incerto cædis anctore, dum gloria in commune et omnes ex æquo diffunditur.

489. *Ut quum permixtis.* Alioqui egregiorum et clarorum militum virtus ingloria est et sine laude obruitur, quando in tenebris telorum nube sternuntur ; et ignoratur, quis fortiter dimicando ceciderit. Tum enim ignavissimum quemque par gloria comitatur.

490. *Involvunt.* Concinnius Oudend. pro τελεία στιγμῇ minorem distinctionem ponit. Jungere enim hæc debuit Lucanus, qunm tela sua acies diversas involvunt tenebris, et qnnm corpora conserta campo jacent. Aliis male *acies* est nominativus. ED. — *Conserta.* Confusa inter cæsorum cadavera ; et commixta corpora diversarum partium. Conf. Val. Flac. VI, 200 : « Mixta perit virtus ; nescit cui debeat Œbreus, aut cui Fata Tyres. ED.

491. *In medium mors omnis abit.* Id est, nihil præcipui et notabilis agitur in præliis magnis, nec an quis illustrem virum an plebeium occiderit, sciri potest ; nulla laus præcipua, nec seposita gloria ut Ovid. Amor. II, 12, 11. BURM. — Male : non enim de morte illata, sed de fortiter accepta agi hic puto. ED. — *Perit obruta virtus. Virtutem* præclara facinora dicit, quæ fortes et magnanimi milites in stataria pugna edunt. HORT. — *Obruta* est obscurata et minus eminens multitudine et confusione.

492. *Sociis.* Socios eos dicit, qui evaserunt in ratibus duabus ; *hostes*, qui imminent capiti. SCH.

Spectabunt geminæ diverso e litore partes.
Nescio quod nostris magnum et memorabile fatis
Exemplum, Fortuna, paras. Quæcumque per ævum
Exhibuit monumenta fides, servataque ferro
Militiæ pietas, transibit nostra juventus.
Namque suis pro te gladiis incumbere, Cæsar,
Esse parum scimus; sed non majora supersunt
Obsessis, tanti quæ pignora demus amoris.
Abscidit nostræ multum sors invida laudi,
Quod non cum senibus capti natisque tenemur.
Indomitos sciat esse viros, timeatque furentes,
Et morti faciles animos, et gaudeat hostis
Non plures hæsisse rates. Tentare parabunt
Fœderibus, turpique volent corrumpere vita.
O utinam, quo plus habeat mors unica famæ,

495. *Diverso litore.* Dalmatico scilicet et Illyrico. Bersm. — Sed illa *diversa* litora dici non possunt, id est sibi opposita, qnum Dalmatia et Illyricum ad idem latns Hadriatici maris sint: *diversum* ergo litus potest Dalmatienm intelligi et insolæ. Ed.

496. *Magnum et memorabile.* Hoc Virgilianum, Æn. IV, 94. Ed.

497. *Quæcumque per*, etc. Nostra, o juvenes, pie et fortiter Imperatori præstita fides snperabit omoia omnium quotqnot historiis mandata fneruot exempla.

498. *Servataque. Servata pietas*, ut *servare fidem* III, 301 et supr. 551 et VIII, 547.

502. *Obsessis.* Sed nos obsessi majus testimonium præstare nou possumus. Sulp.

503. *Abscidit.* Denegavit, ademit nobis sors hanc laudem. Furiosi profecto et extra naturam exclamatio. Ed.

504. *Senibus capti natisque tenemur.* Parentibns et natis, qnos Saguntinorum æquantes fidem trucidaturi essemus, potins qnam in potestatem hostinm venirent.

506. *Et morti faciles.* Ideo magis timendos, qnod minime timeant interitum. — *Et gaudeat hostis*, etc. Quod si illæ dnæ simnl implicitæ catenis adforent nobis, non dubitaremus de victoria.

507. *Tentare parabunt Fœderibus turpique*, etc. Cnm servitute vel inhonesta deditione conjnnctæ vitæ conditionem nobis offerre, ut pertinaci mortis consilio deposito discedamus ab armis.

509. *O utinam*, etc. Optat, ut hostes vitam promittant tantum: non quod cupiat vivere; sed ne existimetur ob rem desperatam sibi intulisse

Promittant veniam, jubeant sperare salutem :
Ne nos, quum calido fodiemus viscera ferro,
Desperasse putent. Magna virtute merendum est,
Cæsar, ut, amissis inter tot millia paucis,
Hoc damnum, cladem que voces. Dent fata recessum,
Emittantque licet, vitare instantia nolim.
Projeci vitam, comites, totusque futuræ
Mortis agor stimulis ; furor est. Agnoscere solis
Permissum est, quos jam tangit vicinia fati,
Victurosque Dei celant, ut vivere durent,
Felix esse mori. » Sic cunctas extulit ardor
Nobilium mentes juvenum : quum sidera cæli,
Ante ducis voces, oculis humentibus omnes

mortem, vivendi facultate concessa. Nam *veniam* vitam intelligit. — *Mors unica*. Simplex, non vim aliunde timens, a desperationis imputatione libera.

511. *Calido*. Alii male *valido*. Ovid. Met. VIII, 443 : « calidumque priori Cæde recalfecit consorti sanguine telum. » Ed.

512. *Magna virtute*, etc. Egregio aliquo et singulari fortitudinis exemplo.

513. *Paucis*. Cohorte una.

514. *Voces*. Alii *vocet*. — *Dent*, etc. Quamvis mihi fata darent, ut incolumis possim discedere, nolim tamen præsentem mortem effugere.

516. *Projeci vitam*. Sic apud Senec. Phæn. 193 : « Vitæ bona projecit. » Conf. Virg. Æn. VI, 435 : « Lucemque perosi Projecere animas. » Silius, X, 42 : » Projecto lucis amore. » — *Futuræ*. Sic inf. 737 : « leti fortuna propinqui. » Stat. XII, 760 : « Jam letale furens atque audax morte futura. »

517. *Mortis agor stimulis*. Ardenti efferor mortis desiderio. Virg. Æn. IX, 184 : « Dine hunc ardorem mentibus addunt, Euryale? an sua cuique Deus fit dira cupido? » Afflat certe divinitus amabilis insania, divinus est hic impetus. Invident quippe miseris mortalibus Dii hoc, ut sciant, quam dulcis et felix res mors sit, quo diutius velint vivere ; iis autem qui mortis sunt proximi dulcedinem ejus præsentire solum datur. Hort.

519. *Victurosque Dei celant ut vivere durent Felix esse mori*. Vide locum Aristotelis, quem adfert Plutarchus consolatione ad Apollonium, ubi hoc, velut arcanum, prodit Silenus. Grot.

520. *Felix esse mori*. Sensus hic est. Solis his, qui morituri sunt, permissum est agnoscere, mori felix esse. Victuros autem ideo celabant Dei, felix esse mori, ut velint vivere. Nam si noverint felicitatem mortis, perire properarent, et ita in orbe nemo re-

Adspicerent, flexoque Ursæ temone paverent;
Idem, quum fortes animos præcepta subissent,
Optavere diem. Nec segnis mergere ponto
Tunc erat astra polus; nam sol Ledæa tenebat
Sidera, vicino quum lux altissima Cancro est:
Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.
Detegit orta dies stantes in rupibus Histros,

maneret. Ordo est. Solis, quos taogit vicinia fati, permissum est agnoscere, felix esse mori. Victuros autem, ut velint vivere, celant, felix esse mori. SCHOL. — *Sic cunctas*, etc. Hac oratione mentes suorum ad voluntariam mortem incensas erexit Vulteius; in tantum, ut qui prius lacrymabundi ortum insequentis diei expavissent, alacres jam exoptarent.

523. *Flexoque Ursæ temone paverent.* Ursæ majoris plaustrum in Orientem conversum signum est præcipitantis noctis, adventantis diei, Sole existente in Geminis, Cancro, Leone: undecima enim Aprilis, nobis in apice meridionali elevatum mediam constituit noctem. Anacreon: Μεσονύκτιοις πόθ' ὥραις, Στρέφεται ὅτ' ἄρκτος ἤδη Κατὰ χεῖρα τὴν βοώτου.

524. *Idem.* Pro *iidem*, ut centies apud poetas. *Idem* vero eleganter: i. e. illi, qui ante orationem Vulteii ventura fata pavebant, nunc alacres et parati mortem subire videntur. BURM.

525. *Nec segnis mergere*, etc. Jamque sidera nocturna in horizontem properabant, nocte utpote brevi. Cf. hoc libro v. 54: « ..propior mergenti sidera cælo. » Oud. *vergere*.

526. *Sol Ledæa tenebat Sidera.* Periphrasis est Geminorum, in quorum ultima parte Sol erat, Cancrum jam jam ingressurus; quo tempore noctes sunt contractiores et brevissimæ. HORT. — *Ledæa sidera.* Castor et Pollux, filii Ledæ, fratres Helenæ fuerunt, qui inter sidera locati Gemini dicuntur. Zodiacus circulus in Geminis altior est, vel ut quidam dicunt, in Cancro. Julium mensem significat: quum de Geminis sol transit in Cancrum. Si ergo *Ledæa* legimus, Pollucem, et Castorem consecratum, si *Idæa* Herculem, et Apollinem significat: alter enim evertit Idam, alter Idea. SCHOL.

527. *Vicino quum lux*, etc. Dies æstivus, propemodum solstitialis, qui incidit in primum punctum Cancri, signorum altissimi.

528. *Thessalicas sagittas.* Intellige Chironem Thessalum, qui sagittarius. Alibi Nostro dicitur *Hæmonius* arcus. Nempe Ovid. Met. II, 81: « Hæmoniosque arcus, violentique ora Leonis. » Sagittarius autem signum est contrarium vel oppositum Geminis. Quum enim Sol in Geminis est ortus, Sagittarius occidit per diem, et oritur per noctem. Ergo hic tempore matutino *nox urgebat* Sagittarium et Geminos tenebat Sol. ED.

529. *Histros*, etc. Illyrios, hostes Opiterginorum, iis terra immiuentes: a mari autem instantem Octavium Liburnici et Dalmatici litoris custodem cum classe auxiliari Græco-

Pugnacesque mari Graia cum classe Liburnos.
   Tentavere prius suspenso vincere bello
Fœderibus, fieret captis si dulcior ipsa
Mortis vita mora. Stabat devota juventus,
Damnata jam luce ferox, securaque pugnæ
Promisso sibi fine manu : nullique tumultus
Excussere viris mentes ad summa paratas;
Innumerasque simul pauci terraque marique
Sustinuere manus : tanta est fiducia mortis.
Utque satis bello visum est fluxisse cruoris,
Versus ab hoste furor, primus dux ipse carinæ
Vulteius jugulo poscens jam fata retecto,
« Ecquis, ait, juvenes, cujus sit dextra cruore
Digna meo, certaque fide per vulnera nostra
Testetur se velle mori? » Nec plura loquuto

rum, quorum plerique Pompeii partes sequuti suot. *Histros* quidam derivant ex Histro fluvio s. Danubio, quem putabant per Histros in Hadriaticum emitti. Alii ex Histro illo majore minorem hunc derivari putabant. Sed hanc opinionem refellit Plin. lib. III, c. 18.

531. *Tentavere prius*, etc. Hoc fingit poeta accidisse ex Vulteii voto supra, v. 509.

532. *Fœderibus*, etc. Deditionis conditionibus oblatis, et vitæ pactione.

533. *Devota juventus*, etc. Certo et destinato mortis consilio addicta, vitæ desiderio omni conclamato.

535. *Promisso*. Intra se cum alacritate spei decreto. Ed. — *Tumultus*. Hostium cum terrore ingruentium.

536. *Ad summa paratas*. Ad omnia extrema, mortem, nempe paratas.

537. *Innumerasque*, etc. Vid. notata ad v. 402. Ed.— *Innumeras*. Sc. Pompeianorum. — *Pauci*, Cæsaris milites. Sch.

538. *Tanta*. Sc. ut pauci plurimos sustineant. — *Fiducia mortis*. Sic *fiducia fati* VII, 75; *fiducia veneni* VIII, 388. Apposite Silius lib. X, 219: « Atque animos jam sola dabat fiducia mortis. »

540. *Ab hoste furor*. Versus ab hoste in se invicem.

541. *Jugulo poscens*, etc. Nudato porrectoque jugulo invitat commilitonis alicujus manum, qua pereat.

543. *Certaque fide*, etc. Quo pignore spondeat et se pari fiducia moriturum.

544. *Se velle mori*. Legis est enim militaris, ut quicumque ducem occiderit, et ipse feriatur. Sch. — Ita testan-

Viscera non unus jamdudum transigit ensis.
Collaudat cunctos : sed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totumque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. Sic semine Cadmi
Emicuit Dircæa cohors, ceciditque suorum
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen.
Phasidos et campis insomni dente creati
Terrigenæ, missa magicis e cantibus ira,

tur se non effugere velle mortem, ad quam hoc facinore se obligabant; et hinc *certa fide* dicit, ut detrectare postea non possint mortem, a se illis vicissim illatam, qua ex disciplina militari ipse pœnam ab illo, qui vulnus intulerat, exigit, et deinde etiam post multa sibi certatim imposita vulnera, gratias pro iis agit. BURM.

545. *Jamdudum transigit.* Nota *jamdudum* cum præsent. ut II, 523; et Virg. Æn. II, 103; et IV, 1. ED.

546. *Collaudat cunctos.* Moribundus Vulteius. — *Sed eum*, etc. Et ne ingratus moreretur, retulit gratiam inflicti ab illo vulneris, et cujus nomine se illi debitorem agnoverat. — *Cui vulnera prima.* I. e. qui primus ipsum percusserat.

548. *Concurrunt alii.* Concurrunt cæteri ejusdem partis milites mutuisque concidunt vulneribus, non aliter quam fratres illi terrigenæ nati ex draconis dentibus a Cadmo satis. Ovid. Metam. III, 110, Sen. Œdip. 720. — *In partibus unis.* Sc. Cæsaris. Se enim occidunt, et ipsi tantum moriuntur. SCH. — Bella hoc nefarium habent, quod homines hominum, cives civium manu occidantur; hic autem bellum non est, quum cuncti easdem foveant partes; omnia tamen bellorum scelera patrantur. ED.

549. *Semine Cadmi.* Sic Virg. Cul. 253: « Cadmeo semine fratres. » Cf. Claud. Cons. Stilich. I, 321. ED.

550. *Dircæa cohors.* Thebana. Dirce fons juxta Thebas. Conf. Senec. Phœn. 126.

551. *Dirum Thebanis fratribus omen.* Infaustum omen Eteocli et Polynici, qui simili fato aliquando mutuis vulneribus se confecturi erant.

552. *Phasidos. Phasidos in campis.* Scilicet in Colchis, ubi Phasis. Vid. II, 585, 715 et III, 271. *Phasis* celeberrimus apud Veteres fluvius, hodie accolis dictus *Rion*, ad cujus ostium situm est *Poti* oppidum, quod nuper pace Adrianopolitana Russis traditum est. ED. — *Insomni dente.* Pervigili. Serpens pervigil, qui vellus aureum apud Colchos servabat, contra Jasonem, qui illud rapere volebat, bellum gessit. Sed Jason Medeæ magæ adjutorio illum vicit, atque dentes illius in terræ sulcis seminavit; ex quibus multitudo militum armatorum terra emergens contra Jasonem primitus impetum fecit; sed Medeæ incantationibus, Jasone erepto, illi mutuo se occiderunt. SCH.

Cognato tantos implerunt sanguine sulcos :
Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas. Sic mutua pacti
Fata cadunt juvenes ; minimumque in morte virorum
Mors virtutis habet : pariter sternuntque, caduntque
Vulnere letali ; nec quemquam dextra fefellit,
Quum feriat moriente manu : nec vulnus adactis
Debetur gladiis : percussum est pectore ferrum,
Et jugulis pressere manum. Quum sorte cruenta
Fratribus incurrant fratres, natusque parenti ;

554. *Cognato*. Uno enim de semine creati. Sch.

555. *Ipsaque*, etc. Dorvill. *in expertis*, quia incredibile est Medeam in periculo capitis carissimi adhibuisse herbas, quarum vires non habebat perspectas. Sed τὸ *primum* tuetur *inexpertis*. Herbarum quidem vires noverat, sed eas nundum in tales usus adhibuerat, ut qui gladio hominem primum ferit. Cf. O. M. VII, 134. Ed.

556. *Pacti*. Oratione enim Vulteii excitati et exemplo, promisisse videntur mutuas cædes. Huc refer *certam fidem* v. 543 et *promissum sibi finem* v. 535. Ed.

557. *Juvenes*. Opitergini. — *Minimumque in*, etc. Cadunt et inter se occiduntur, sed mors illa habebat minimum virtutis, quum plus esset in eo, quod tam constanter et fortiter, tam certa manu, non trepidante, nec repetentes vulnera, nec repugnantes jugularent, et, in modum prælii compositi, pectoribus et jugulis inferrent vulnus statim letale, et ille ita vulneratus referret vulnus vulneranti. Animus ergo præsens et constans ad tantum facinus plus laudis meretur quam ipsum factum. Obscurior quidem potest videri sensus : sed sic etiam in aliis factis *minimum* dicitur, quod non præcipuum est. Ovid. Met. XIII, 76 : « Servarique animam (minimum est hoc laudis) inertem. » Burm.

560. *Quum feriat moriente manu*. Quamvis feriat manu sua ipsius morituri, ipsa tamen mortem infligit. — *Nec vulnus adactis*. Vulneri se sponte ingerunt, nec ferrum percutit pectus, sed pectus in ferrum incurrit et jugulis suis ita induerunt gladios, ut manus ferientis premerent et admoverent suis jugulis. Cf. VI, 160 : « Confringite tela Pectoris incursu, jugulisque retundite ferrum. » B. — *Adactis*. Ut solet fieri, quum percutiuntur inviti. Sch.

561. *Percussum est*, etc. Dum ipsi jugulos suos intendunt occurrentes, atque irruentes in sociorum gladios capulu tenus.

562. *Pressere*. Tetigerunt irruendo in gladios. Senec. Ph. 178 : « Quum recusantem manum Pressere vultus. » Ed. — *Quum*. I. e. quamvis, et hoc sequens *tamen* ostendit. — *Sorte cruenta*. I. e. fato cruento, fortuna deplorabili, quum forte occurrerent consanguinei, tamen intrepidi alter alterum percutiebant. Ed.

Haud trepidante tamen toto eum pondere dextra
Exegere enses: pietas ferientibus una,
Non repetisse, fuit. Jam latis viscera lapsa
Semianimes traxere foris, multumque cruoris
Infudere mari. Despectam cernere lucem,
Victoresque suos vultu spectare superbo,
Et mortem sentire juvat. Jam strage cruenta
Conspicitur cumulata ratis; bustisque remittunt
Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
Esse ducem tanti. Nullam majore loquuta est
Ore ratem totum discurrens fama per orbem.
  Non tamen ignavæ post hæc exempla virorum
Percipient gentes, quam sit non ardua virtus

564. *Haud trepidante*, etc. Neque minori vi et ferientes adigebant tela, id, pietatis loco ducentes uno ictu conficere, neque ingeminare vulnus.

567. *Foris.* Tabulatis ratis.

568. *Despectam*, etc. Juvat eos cernere lucem, a se contemptam, et hostes suos, qui se jactabant victores, superbe intueri, iisque hac voluntaria morte insultare, etc.

569. *Victoresque suos*, etc. Octavianos, a quibus quasi victoribus huc rerum adacti fuerant.

570. *Sentire juvat.* Emphatice: frui sensu. Hoc ineptum Burmanno videtur, nam supra dixit pietatem esse statim letale vulnus infligere. Male ergo subjicit « juvat mortem sentire, » quod non fit nisi quum minutis et crebris ictibus lenta mors infertur; ut docet dictum Caligulæ apud Suet. c. 30: « Ita feri, ut se mori sentiant. » Stat. Theb. IV, 614: « Jacet ille in funere longo Quem premis, et junctæ sentit confinia mortis. » At Noster hic quosdam designat qui semel accepto letali vulnere, non statim exanimati, gaudebant mori, ut ita dicam, scientes videntesque. Ed.

571. *Bustisque remittunt*, etc. Comburenda ac sepelienda Opiterginorum cadavera curaverunt hostes, mirati tantæ apud suos auctoritatis esse Cæsarem, tantam militum in ducem fidem. « Virtus et in hoste probatur. » Alio tamen sensu, nec male, Schol. Ipsi duces mirabantur, quod apud aliquem tanti haberentur, ut pro his cuperent interire milites: ut factum videbant esse pro Cæsare.

574. *Ore.* Præconio celebravit.

575. *Non tamen ignavæ*, etc. Eo tamen vecordiæ ventum est atque ignaviæ, ut, licet hoc factum in aliis laude dignum prædicent, ipsi populi nolint vel ex hoc exemplo intelligere quam non difficile sit servitutem excutere, se in libertatem adserere; vel sibi illata morte, vel sublatis tyrannis.

576. *Percipient.* Solæ scilicet for-

Servitium fugisse manu. Sed regna timentur
Ob ferrum, et sævis libertas uritur armis;
Ignorantque datos, ne quisquam serviat, enses.
Mors, utinam pavidos vitæ subducere nolles,
Sed virtus te sola daret. Non segnior illo
Marte fuit, qui tunc Libycis exarsit in arvis.
Namque rates audax Lilybæo litore solvit
Curio : nec forti velis Aquilone recepto
Inter semirutas magnæ Carthaginis arces,

tes gentes hoc facile possent cognoscere, arduam non esse virtutem, si quis servitium morte devitet. Nam apud ignavos difficillimum judicatur. SCH.

577. *Servitium*. Est dictum pro servitute. Nam *servitus* ipsa conditio est; *servitium* turba servorum. SCH.— *Servitium* tamen pro servitute dixerunt Virgilius, Sallustius, Statius, etc. — *Sed regna timentur*, etc. Sed tyrannicæ potestates timentur, quia custodiis et satellitiis armantur, dum libertatem vi opprimunt. Quasi vero libertatis studiosis difficile sit scire sibi datos esse enses, ad tuendam libertatem, ne cogantur servire : « In nullius sumus potestate, quum mors in nostra. » Stoice.

578. *Libertas uritur*. Opprimitur ab armatis. HORT.

579. *Ignorantque*, etc. Hic versus gladiis inscriptus est, quos urbana Parisiorum militia (*la garde nationale*) habuit anno 1789. ED.

580. *Mors, utinam*, etc. Degeneres itaque et ignavi vitam cum servitute agant turpem : fortes et nobiles se sua manu in libertatem adserant.

581. *Non segnior*, etc. Neque bello minus atroci atque adverso a Cæsarianis in Africa pugnatum est, quam fuerat in Hadriatico. In Africa quoque (inquit Florus) par et virtus et calamitas Curionis fuit, qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fugatoque Varo jam superbus, subitum Jubæ regis adventum equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga, sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum morte sequeretur.

583. *Namque rates*, etc. In Siciliam Curionem proprætorem cum tribus legionibus Cæsar miserat, jussum ut, quum Siciliam recepisset, protinus in Africam traduceret exercitum. Ille, profugiente e provincia Catone, quartam legionem conscripserat, sed copias P. Atii Vari despiciens, duas tantum legiones et quingentos equites transportavit. Lilybæum Siciliæ promontorium est, quod spectat Africam; uti Pelorum, Italiam; Pachinum, Græciam. — *Audax*. Audacem eum vocat, quasi temerarium, et qui parum circumspecte res gerebat.

584. *Curio*. Dixit, III, 59, eum missum a Cæsare ut annonam pararet. ED. — *Nec forti*, etc. Levi et secundo vento.

585. *Inter semirutas magnæ Car-*

Et Clupeam, tenuit stationis litora notæ :
Primaque castra locat cano procul æquore, qua se
Bagrada lentus agit, siccæ sulcator arenæ.
Inde petit tumulos, exesasque undique rupes,
Antæi quæ regna vocat non vana vetustas
Nominis antiqui cupientem noscere causas,
Cognita per multos docuit rudis incola patres.
Nondum post genitos Tellus effeta gigantas,
Terribilem Libycis partum concepit in antris.
Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon,
Aut Tityos, Briareusque ferox; cæloque pepercit,
Quod non Phlegræis Antæum sustulit arvis.

thaginis arces, *Et Clupeam*. Huc cf. Cæsar, B. C. lib. II, c. 23. Aquilariam appulit a Clupeis M. pas. XXII distantem : haud procul a Carthagine jam ab excidio tertii belli punici modice restituta. — *Semirutas*. Romani enim antea machinis et incendio destruxerant.

586. *Notæ*. Romanis bello et pace cognitæ, *vel* Curioni fama cognitæ.

588. *Bagrada lentus*, etc. Fluvius prope Uticam mare influens. — *Siccæ*. Quia Libye sicca regio est. Sch. Silius, VI, 140 : « Turbidus arentes lento pede sulcat arenas Bagrada. »

589. *Inde petit*. Illinc in castra Corneliana se contulit. — *Tumulos*. Sc. colles, ut v. 656. Ed.

590. *Antæi quæ*, etc. Adludit ad Ἀνταίου μνῆμα, de quo Strabo lib. ult. e Mauritania Tingitana long. 8, lat. 30, ad colles prope Uticam long. 30, lat. 34. Fulgentius rationem hujus fabulæ reddit.

591. *Cupientem*, etc. Curionem, aut alium quemlibet hospitem.

592. *Rudis*. Non quidem rerum patriæ et communium ignarus, sed literarum et eruditionis, qui narrabat tantum audita a patribus, ut ipse addit, « cognita per multos patres, non ex libris : » *per patres*, quia adhuc nec erant annales, nec historiæ. — *Incola*. Indigena, rusticus habitator.

593. *Nondum post genitos Tellus*. Tellus, nondum effeta ex partu gigantum, concepit Antæum in Libya. Oratio est Afri pastoris ad Curionem sive advenam sciscitantem.

595. *Nec tam justa fuit*, etc. Neque Terræ ex procreatis Typhœo, Tityo, et Briareo, tanta erat gloriandi causa, quam ex nato Antæo.

596. *Cæloque pepercit*. Male cessisset diis, si et hunc socium habuissent Gigantes, ubi in Phlegræis campis bellum cælo inferebant.

597. *Phlegræis*. Thessalicis, sive regionibus Macedoniæ, in qua terra Gigantes procreati sunt. In hoc, inquit, Terra diis pepercit, quod Antæum cum aliis Gigantibus non ge-

Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires
Terra sui fetus, quod, quum tetigere parentem,
Jam defecta vigent, renovato robore, membra.
Hæc illi spelunca domus; latuisse sub alta
Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones.
Ad somnos non terga feræ præbere cubile
Adsuerunt, non silva torum: viresque resumit
In nuda tellure jacens. Periere coloni
Arvorum Libyes; pereunt, quos adpulit æquor.
Auxilioque diu virtus non usa cadendi,
Terræ spernit opes: invictus robore cunctis,
Quamvis staret, erat. Tandem vulgata cruenti

luit: quia, si eum eis fuisset, Dii a Gigantibus vincerentur. Sch. — Thessalicis, ubi Gigantes contra Deos congestis montibus insurrexerunt. Phlegra, Macedoniæ oppidum, in Thermaico sinu, ut inquit Plinius. Est et in Campania locus, juxta Puteolos, in quo Gigantes alios fulminatos esse putat Sulpitius. Sed non alii: namque eadem fabula diversis locis ab aliis atque aliis adscribitur, propter nominis similitudinem.

598. *Hoc quoque*, etc. Dederat et Antæo Terra mater hoc munus, ut certamine fessus, contacta terra vires auctiores resumeret, fortiorque resurgeret.

600. *Renovato robore*, Sic v. 632 *novum corpus* illi dat poeta. Ed.

601. *Hæc*. Quam vides, ait monstrator.

602. *Raptos*. Antæo giganti bene convenit, *rapere* leones. Male *captos*.

603. *Ad somnos*. Non illum dicit jacuisse in pellibus ferarum, ut alii heroes a poetis dicuntur positi, neque humi sub arboribus, umbram facientibus, neque substratis foliis.

604. *Silva*. Frondes aut tabulæ. — *Resumit*. Oud. *Resumpsit*.

605. *In nuda*. Quippe super matrem. Sch. — *Periere coloni*, etc. Tum Libyæ incolæ, tum advenæ ab illo in palæstram provocati victique interficiebantur.

606. *Quos adpulit æquor*, etc. Male alii *error*. Colonis enim arvorum opponit navigantes, qui naves adpellebant, etiam inviti sæpe, et a cursu ventis et tempestatibus abrepti in hæc litora. Ovid. Met. XI, 717: « Postquam paulo adpulit unda. » Ed.

607. *Auxilio cadendi*. Quo enim frequentius cadebat, eo fortior resurgebat.

608. *Terræ spernit opes*. Neque amplius jam habuit opus beneficio matris Terræ, qua contacta sumeret roboris incrementum, satis ex se validus etiam quum staret. — *Opes*, sc. auxilium.

609. *Quamvis staret*. Non se prosterneret. — *Tandem vulgata*, etc. Tandem Hercules monstrorum passim

Fama mali, terras monstris æquorque levantem,
Magnanimum Alciden Libycas excivit in oras.
Ille Cleonæi projecit terga leonis,
Antæus Libyci: perfudit membra liquore
Hospes, Olympiacæ servato more palæstræ.
Ille parum fidens pedibus contingere matrem,
Auxilium membris calidas infundit arenas.
Conseruere manus, et multo brachia nexu.
Colla diu gravibus frustra tentata lacertis,
Immotumque caput fixa cum fronte tenentur;
Miranturque habuisse parem. Nec viribus uti
Alcides primo voluit certamine totis,
Exhausitque virum: quod creber anhelitus illi
Prodidit, et fesso gelidus de corpore sudor.
Tunc cervix lassata quati; tunc pectore pectus
Urgeri; tunc obliqua percussa labare

domitor, fama crudelis hujus monstri accitus, huc advenit.

612. *Ille Cleonæi.* Hercules initurus luctam exsuit pellem leonis Nemeæi a se inter Cleonas et Phliuntem cæsi.

613. *Libyci.* Leonis Libyci exuvias quoque exsuit Antæus. — *Perfudit membra*, etc. Hercules se oleo unxit, seu ceromate ex more patrio atque usitato in certaminibus Olympicis ab ipso institutis.

614. *Olympiacæ.* Quia fiebat hæc luctatio in honorem Jovis Olympiaci. Sch.—*More. Mos* est lex, institutum, regula. Horat. Carm. I, 10, 4: « et decuræ more palæstræ. » Ubi multa disserit Bentleius. Ed.

616. *Auxilium membris*, etc. Jam usurus beneficio matris (modo v. 608), se arena summa conspersit, quo robustior esset. — *Calidas.* Ut oleo palæstritæ alii fovebant membra, ita ille arena calida, quam Africa torrida dabat, se perfundebat. Sed an potuerint illæ arenæ calidæ hærere in membris siccis dubium est, et an non præterea oleum Antæus arenis superfuderit. — *Infundit.* Alii *infudit*.

619. *Tenentur.* Alii *tenetur*.

620. *Miranturque parem.* Miratur uterque se sibi parem offendisse. — *Nec viribus*, etc. Necdum intentis usus viribus Antæum defatigavit.

624. *Lassata quati.* Debilitata inclinabat, non ut prius, « Immotum caput fixa cum fronte » tenebatur.

625. *Tunc obliqua*, etc. Antæi crura supplantata Herculis manu labascebant.

Crura manu. Jam terga viri cedentia victor
Alligat, et medium, compressis ilibus, arctat :
Inguinaque insertis pedibus distendit, et omnem
Explicuit per membra virum. Rapit arida tellus
Sudorem : calido complentur sanguine venæ.
Intumuere tori, totosque induruit artus,
Herculeosque novo laxavit corpore nodos.
Constitit Alcides stupefactus robore tanto :
Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis
Desectam timuit, reparatis anguibus, hydram.
Conflixere pares, telluris viribus ille,
Ille suis. Numquam sævæ sperare novercæ
Plus licuit : videt exhaustos sudoribus artus
Cervicemque viri siccam, quum ferret Olympum.

626. *Jam terga*, etc. Hercules Antæi tergum mediumque corpus lacertis implicitum compressit, « corripit in nodum complexus, » ut ait Virg. Æn. VIII, 260.

629. *Explicuit per membra*. I. e. ita prostravit ac dejecit, ut, quantus quantus esset, in terra jaceret. Cf. V, 81; Stat. Theb. X, 271. OUD.—*Rapit arida*, etc. Coercet, sistit et tergit sudorem Antæi.

630. *Calido complentur*, etc. Recenti, quo et vires restaurantur.

631. *Totosque induruit artus*. Lassi modo laxique artus restituuntur jam in solidos et duros.

632. *Novo* renovato, viribus refecto.

633. *Constitit Alcides*. Non sine stupore admiratus est Hercules, unde Antæo vires restitutæ.

634. *Nec sic Inachiis*, etc. Neque tantum illi metum injecit Hydra, numerosum malum, cui uno capite reciso duo repullulabant, quamvis tum tiro nec monstris assuetus. — *Rudis*. Adhuc inexercitatus, quod is labor inter primos numeretur. *Rudis* dicitur ex opinione illorum qui inter athla Herculis Hydram primo loco ponunt et in qua tirocinium deposuit. BURM. — *Inachiis undis*. Sic dixit Lernam, paludem Argivorum, Inacho primum regnatorum.

635. *Desectam*. Truncam. — *Anguibus*. Capitibus.

637. *Numquam sævæ*, etc. Neque Junoni Herculis interitum anquirenti, major ex ullo laborum illi inflictorum spes hominem perdendi, quam ex hoc.

639. *Siccam, quum*, etc. Hic repetendum *exhaustamque sudoribus* cervicem, quæ sicca fuerat, quum Atlanti succurrens sustineret humeris cælum. Ἀνιδρωτὶ enim Hercules sustinuit cælum. Ovid. Ep. Dejan.

Utque iterum fessis injecit brachia membris,
Non exspectatis Antæus viribus hostis,
Sponte cadit, majorque, accepto robore, surgit.
Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus
Egeritur; tellusque viro luctante laborat.
Ut tandem auxilium tactæ prodesse parentis
Alcides sensit: « Standum est tibi, dixit, et ultra
Non credere solo, sternique vetabere terra:
Hærebis pressis intra mea pectora membris:
Huc, Antæe, cades. » Sic fatus, sustulit alte
Nitentem in terras juvenem: morientis in artus

« cui cælum sarcina parva fuit. » Sed quidam interpretes putant tunc Herculem nondum tulisse cælum et *ferret* explicant futuro tempore: quibus non adsentio. Ed. — *Quum ferret Olympum.* Gigantes contra Deos bella gesserunt: quumque isti in uno angulo cæli congregati propter metum illorum fugissent, cælum Deorum pondere vergere cœpit. Atlas vero, quod suis humeris cæli sustentabat pondus, nimium fatigatus Herculi sustentandum commisit. Quod ideo fingitur, quod Atlas astrologus doctissimus fuit, adeo ut cælum sustentare diceretur, qui Herculem ipsam artem docuit. Schol.

641. *Non exspectatis.* Antequam ab Hercule prosterneretur, ipse ultro labitur.

642. *Majorque.* Validior.

643. *Quisquis inest terris.* In Antæum transit vis Terræ, dum filio robur suggerit, exhaustæ. — *Egeritur.* I. e. emittitur, exspiratur copia omnis spiritus quisquis terris inest. Oud. huc bene citat Val. Fl. VI, 186: « thorax egerit imbres Sanguineos. » *Ingessit*, non multum dissimili modo Noster, V, 165: « Quod non exhaustæ per tot jam sæcula rupis Spiritus ingessit vati. » Ed.

646. *Standum est tibi.* Stans quidem Antæus aliquas e terra vires habebat, sed non tantas quantas jacens, unde supra, 608: « Invictus robore cunctis, Quamvis staret, erat. » Hercules itaque sentiens, Antæum cadendo et jacendo bis novas vires acquisivisse, ait, eum non amplius casurum esse, sed ipsum stare debere, ut novas vires non acciperet, et ut eo facilius ipsum medium, ne rursus caderet, prehendere, ac inter latus, et lacertum suum elidere posset.

647. *Non credere solo.* Acute: quia qui tanta vi, qua Hercules erat, sternebatur vix resurgere posse videbatur. Quare decipi iterum a terra se nolle dicit Hercules. Sic v. 653: « terrisque diu non credidit hostem. »

649. *Huc, Antæe, cades.* In pectore meo morieris, non ad gremium terræ. Ludit in duplici significatione verbi *cadere.*

650. *Nitentem in terras juvenem.* In terras delabi volentem Antæum.

Non potuit nati Tellus permittere vires.
Alcides medium tenuit : jam pectora pigro
Stricta gelu, terrisque diu non credidit hostem.
Hinc, ævi veteris custos, famosa vetustas,
Miratrixque sui signavit nomine terras.
Sed majora dedit cognomina collibus istis,
Pœnum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem
Scipio : nam sedes Libyca tellure potito
Hæc fuit. En veteris cernis vestigia valli.
Romana hos primum tenuit victoria campos.

651. *Permittere.* Non vulgari significatu; sed eo, qui indicat, mitti aliquid tam feliciter, ut pertingat. Ovid. Met. XII, 282, *permittat in hostem.*

652. *Medium tenuit.* Sublevatum, inter cælum et terram, neque dimissum nisi morte prius rigentem. *Medium tenuit.* Proverbii speciem habet, *medius teneris*, de eo, qui sic tenetur, ut extricare se nulla ratione possit. Aristoph. in Ranis : νῦν ἔχῃ μέσος, id est, nunc medius teneris. A Palæstritis hoc genus sumpta metaphora, atque athletis, qui si quem medium fuerint complexi, facile superant : id quod indicat hoc loco etiam Lucan. Erasmus admonet eodem pertinere illud Terentianum: « Sublimem medium arriperem. »

654. *Hinc, ævi veteris.* Hinc veteres volentes sui temporis gesta posteris commendare, indiderunt huic loco nomen : « Antæi regna et monumentum. » Plin. lib. V, c. 1. — *Famosa vetustas.* Quæ famam rerum gestarum ad posteros transmittit : alioqui *famosus* fere in malam partem accipitur, pro eo qui malam habet famam. HORTENS.

655. *Miratrix.* Sc. laudans cum admiratione. ED.

656. *Sed majora dedit*, etc. Serior utcumque, sed clarior nominis gloria his collibus, quæ *castra Corneliana* dicit Cæsar, B. C. lib. II, c. 24, 25. Namque hic primus castrorum locus C. Scipioni : qui cos. traductis in Africam copiis, duo eadem nocte hostium castra incendit, Syphacem regem cepit. — *Cognomina.* Vocatur enim locus a nomine *Cornelio.*

657. *Pœnum.* Hannibalem sedecim jam annos in Italia bellantem vincentemque revocavit in Africam ad sua tutanda.

658. *Nam sedes Libyca.* Est is locus jugum directum, eminens in mare, utraque ex parte, præruptum atque asperum, sed paulo tamen leniore fastigio ab ea parte, quæ ad Uticam vergit. Abest directo ab Utica paullo amplius M. p. sed propter restagnationem maris, sex millium circuitu in oppidum pervenitur.

660. *Romana*, etc. Romanus ille, quum primam in Africa de Pœnis reportavit victoriam, his collibus castra habuit.

Curio lætatus, tamquam fortuna locorum
Bella regat, servetque ducum sibi fata priorum,
Felici non fausta loco tentoria ponens,
Indulsit castris, et collibus abstulit omen,
Sollicitatque ferox non æquis viribus hostes.
Omnis Romanis quæ cesserat Africa signis,
Tunc Vari sub jure fuit : qui robore quamquam
Confisus Latio, regis tamen undique vires
Excivit : Libycæ gentes, extremaque mundi
Signa suum comitata Jubam. Non fusior ulli

661. *Tamquam fortuna locorum.* Tamquam loco debeatur, ut in eo Romani superent, qui ad eum venerint. SCH. — *Fortuna.* Sic Ovid. Met. IV, 565 : «Tamquam fortuna locorum Non sua se premeret. » Noster, X, 335 : « Fortunaque loci lædor. » Et alii quos citat Oud. ED.

662. *Bella regat.* I. e. dirigat, ita ut fausto omine incepta bene cedant, et administret. Claudian. Ruf. I, 18 : « Justitia pacem, viribus arma regunt. » Alii male *gerat.* OUD. — *Ducum sibi fata priorum.* Scipionum Africanorum majoris et minoris.

664. *Indulsit castris.* Operam dedit, incubuit metandis castris. HORT. — Schol. vult : lata castra posuit, ut Virg. Æn. IV : « Indulge hospitio, » i. e. abundantius præbe. Sic apud cæteros, *indulgere lacrymis, amori.* ED. — *Abstulit.* Felicitatem locorum sua infelicitate subvertit : quia non iisdem auspiciis pugnavit, quibus Scipio. Curio enim victus est. SCH.— *Omen.* Prioris felicitatis victoriæque auspicium.

665. *Sollicitat.* Provocat. — *Ferox* MS. 7900 *feros.* — *Non æquis*, etc. Duabus legionibus et D. equitibus, supra v. 583. — *Hostes.* Varum et Afros, quibus viribus par non erat.

666. *Omnis Romanis*, etc. Tubero a Pompeio missus cum imperio in Africam, portu et oppido Uticæ prohibitus est ab Atio Varo, qui ad Auximum amissis cohortibus protinus ex fuga in Africam pervenerat, atque eam sua sponte vacuam occupaverat ; delectuque habito duas legiones effecerat, hominum et locorum notitia et usu ejus provinciæ nactus omnes aditus; quod paucis ante annis ex prætora eam provinciam obtinuerat. Cæs. Civ. Bell. I. et Cic. pro Ligario.

668. *Latio.* Militum Italicorum. — *Regis tamen*, etc. A Juba tamen, rege Mauritaniæ, socio et amico Pompeii, auxilia petiit, atque accepit primum DC equites Numidas et pedites CCCC, mox regem ipsum cum magnis copiis.

669. *Libycæ gentes.* Explicat id, quod præcessit, *regis vires;* et cohæret cum sequentibus *Regis vires* sunt geotes Libycæ, appositione poetis frequenti. — *Extremaque*, etc. Infra v. 672.

670. *Non fusior ulli*, etc. Non alius rex latius extendit imperium.

Terra fuit domino : qua sunt longissima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat; a medio, confinis Syrtibus Hammon.
At qua lata jacet, vasti plaga fervida regni

671. *Qua sunt longissima regna.* In longitudinem, regna ejus extenduntur ab ultimo litore occiduo, qua Atlante terminatur Africa, long. gr. 6; usque ad Hammoniacam regionem, long. gr. 55.

672. *Cardine ab occiduo.* Longitudinem ab oriente ad occidentem, latitudinem a meridie ad septemtrionem statuunt quidem geographi, licet Vossius ostenderit Veteres sæpe longitudinem a polo ad polum collocasse. Sed poetæ, minus accurate, locorum longitudinem ex ipsa regionis mensura sæpe definiunt : et quatuor cardines statuunt, ex quatuor mundi partibus. Lucanus vero hic Jubæ regnum describit ratione figuræ, quam ipsa regio habebat. Et sic ab occidente habere finem ait Atlantem minorem, qui Gadibus proximus; a medio cardine Cyrenaicam regionem ubi Jovis Hammonis templum. Dor.

673. *A medio.* Medius hic est meridialis. Quamquam Cyrenæ sint orientales respectu Atlantis, non vocavit eum terminum orientalem. Quia Cyrenæ, Ægyptus, et totum quantum decurrit Nilus, sub medio posita a poetis dicuntur. Nihil miri est, si poeta longitudinis descriptionem ab Atlante et Gadibus incipiat, et non finiat in oriente, quia initium regni Jubæ revera erat etiam initium cardinis occidentalis : at finis orientalis regni Jubæ non erat initium cardinis orientalis : sed regnum illud finiebatur, ubi inter extremum cardinem occidentalem et orientalem arat fere æquale intervallum, quod intervalli punctum *medium* cardinem vocat. Medius enim cardo poetica astronomia est punctum ubi polares cardines, septemtrionalis et meridialis, æqualiter dividebantur. Sic Silius, III, 3 : « Extemplo positos finiti cardine mundi Victor adit populos, cognataque limina Gades. » Dorv. — Non cardines ponuntur termini Jubæ regni, sed loca sub iis Atlas et templum Hammonis. Quod et si meridiale sit, respectu quoque Atlantis orientale est. Nec adeo debuit poeta, memoratis duobus cardinibus, reliquos quoque commemorare. Ed. — *Syrtibus Hammon.* De Syrtibus, I, 367 : de Jove Hammone IX, 5, et X, 38, qui tamen a propiore Syrtium distat in long. 8, gr. — *Hammon.* Dicitur Juppiter arenarius, eo quod in arenosis Libyæ locis templum habet. Ἄμμος enim Græce *arena* dicitur. Liber, quum a bello Indico victor reverteretur, ad loca Libyæ arenosa Syrtibus vicina devenit; ubi quum exercitus ejus siti laboraret, Jovis subito in specie arietis ei apparuit... In eo loco fons lucidissimus apparuit; unde omnes refocillati sunt : ibique in honorem Jovis templum constructum est. Sch.

674. *At qua lata jacet.* Secundum latitudinem dicit Jubæ regnum extendi ad zonam torridam et ulterius. Geographice debuisset latitudo finiri a septemtrione ad meridiem, sed ipsa regio in rationem venit. Quæ ut erat

Distinet Oceanum, zonæque exusta calentis
Sufficiunt spatio. Populi tot castra sequuntur,
Autololes, Numidæque vagi, semperque paratus
Inculto Gætulus equo : tum concolor Indo
Maurus, inops Nasamon, mixti Garamante perusto
Marmaridæ volucres, æquaturusque sagittas

longissima ab Atlante monte ad Cyrenaicas arenas, sic erat latissima ab Oceano Atlantico et Æthiopico, sive *meridie*, quo ambitu regio exusta, plaga sub zona torrida, ex parte comprehenditur : adeo ut latus septemtrionale non tetigerit verbis expressis, sed illud debeat inclusum fuisse censeri in longitudine, qua ab Atlante ad Cyrenas sumpta fuit, nec potest mente percipi nisi loca Mediterraneo mari proxima, quæ possedit Juba, in censum venerint. *Plaga* igitur fervida, quæ distinet Oceanum, est illa quæ ab Atlante minore ad majorem a litore in Mediterranea patet. Dorv.

675. *Distinet.* Oceanum scilicet ab occidente et oriente disjungit et separat. Ovid. Her. VIII, 69 : « Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos. » *Distinet.* Hinc et inde tenet et exporrigitur sub torrida zona. Sul. Alii male *destinat.* — *Zonæ exusta calentis.* Deserta Libyæ interioris, et vicini populi.

676. *Sufficiunt spatio.* Extenduntur in spatium et implent eam. Alii dant *sufficiunt spatium*, ut *sufficere humorem* Virgilius. *Spatio* autem *sufficere* nihil aliud est quam satis esse ad spatium magnum regno Jubæ præbendum. — *Tot castra sequuntur.* Quasi dicat, numerosa. Sulpitius.

677. *Autololes.* Mauritaniæ Tingitanæ populus. Plin. H. N. lib. V, c. 1, et 2, hujus provinciæ longitudinem CLXX mill. passuum esse scribit, gentemque in ea quondam Maurorum præcipuam fuisse, unde etiam provinciæ nomen factum, quos, inquit, plerique Maurusios dixere. Sed Ptolemæus Autololas in interioris Libyæ occiduo litore vicinos Atlanti majori versus meridiem statuit, ubi et insulam habent et civitatem eodem nomine. Memorantur quoque Claudian. Cons. Stilich. I, 355 : « Repetunt deserta fugaces Autololes. » Hæ omnes gentes a Sidonio Apollinar. memorantur Carm. V, 337 : « Gætulis, Numidis, Garamantibus, Autololisque, Mazoge, Marmarida, Psyllo, Nasamone timetur. » *Numidæque vagi.* Nomadas respicit, domos plaustris circumferentes. Sallust. de Bel. Jug.

678. *Gætulus equo.* Libyæ interioris gens equis insidens, non stratis ephippiis, quos mox v. 682 *nudos* vocat. Sed non tantum de stratis intelligo *incultus*, at etiam de freno, quod solenne est in hac re. Silius, I, 215 : « Hic passim exsultant nomades gens inscia freni. » Et II, 64 : nullaque levis Gætulus habena. »

679. *Inops Nasamon.* In litore sterili Arenosæ Syrtis victitans. IX, 410, et 458. — *Garamante.* Alii Nasamones deserta et arenosa Marmariæ, vel ut alii, Libyæ colunt.

680. *Marmaridæ volucres.* Africæ

Medorum, tremulum quum torsit missile, Mazax :
Et gens, quæ nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frenorum nescia virga :
Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
Venator, ferrique simul fiducia non est,
Vestibus iratos laxis operire leones.
Nec solum studiis civilibus arma parabat,
Privatæ sed bella dabat Juba concitus iræ.
Hunc quoque, quo Superos humanaque polluit anno,
Lege Tribunitia solio depellere avorum

minoris populus Ægyptum versus, pedibus velox. — *Æquaturusque sagittas*, etc. Et Mazax, qui torquet missilia non minore vi et dexteritate quam Medi Parthique sagittas.

682. *Nudo residens*. Non ephippiis strato. — *Massylia dorso*. Massyli, Virg. Æn. IV, *Infreni Numidæ* dicti : Sil. Ital. I. « Numidæ gens inscia freni, etc. Cujus equum flectit non cedens virga lupatis. » Strabo, lib. ult. Μασσαίσυλοι μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ καὶ εὐπειθέσιν, ὡς ἀπὸ ῥαβδίου οἰκίζεσθαι. et Martial. lib. IX, epig. 23 : equi sine frenis, etc. Conf. Liv. 55, Polyb. Nemesian. Cyn. « Nam flecti facilis, lascivaque colla sequutus Paret in obsequium tentæ moderamine virgæ. Verbera sunt præcepta fugæ, sunt verbera freni. »

685. *Ferrique simul fiducia non*, etc. Non confidit ferro, sed injecta veste leones superat. Leonum summa vis in oculo credebatur. Gætuli itaque contra impetum ingruentis leonis objiciunt sagum. Plin. lib. VIII, c. 16.

687. *Nec solum studiis civilibus*, etc. Jubæ et paternum hospitium cum Pompeio, et simultas cum Curione intercedebat, quod is tribunus plebis legem promulgaverat, qua regnum Jubæ publicaverat.

688. *Concitus*. Absolute sine casu, pro commoto, irritato, ut infra VII, 677. — *Privatæ iræ bella dabat*, ex privata quoque ira gerebat, non tantum ex studiis partium.

689. *Quo Superos humanaque polluit anno*, *Lege Tribunitia*. Quo anno ipse tribunus a Cæsare corruptus (I, 109 et infra vs. 819) Cæsaris causam tuebatur, mox Cæsarem incitabat, quo facto et humana omnia et divina miscuit.

690. *Solio depellere avorum*, etc. Mense Maio, quando comitia dignitatum Romæ fiebant, Jubam, quem Africani sibi regem optabant, Curio, tribunus plebis, voluit deturbare, et a regno Africæ, quod a majoribus obtinebat, expellere. Quare legem tulit. Sed non potuit, quia illa pars, quæ Jubam elegerat, prævaluit. Inde semper odio habebat Curionem Juba. SCHOL. — Non tentabat modo Jubæ regnum auferre, sed etiam publicum facere populi Romani. Quare auctor addit *dum*

Curio tentarat, Libyamque auferre tyranno,
Dum regnum te, Roma, facit. Memor ille doloris
Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.
Hac igitur regis trepidat jam Curio fama,
Et quod Cæsareis numquam devota juventus
Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corfini captus in arce,
Infidusque novis ducibus, dubiusque priori,
Fas utrumque putat. Sed postquam languida segni
Cernit cuncta metu, nocturnaque munia valli
Desolata fuga, trepida sic mente profatur :
« Audendo magnus tegitur timor : arma capessam

regnum te R. f. id est, dum ex Libya vult facere liberam remp. et ex Roma regnum. Vide Cæs. Bell. Civ. II, 25; Dion. lib. XLI, Plutarch. et alios. OUDEND.

692. *Dum regnum te, Roma, facit.* Dum unius (Cæsaris scil.) dominationi Romam subjicere parat. — *Memor ille doloris*, etc. Juba injuriæ memor, regnum se retinuisse vel ob hoc gaudet, quod Curionem ulciscatur.

693. *Sceptri fructum retenti.* Retinuisse regnum vel ob hoc gaudet, ut Curioni possel malefacere.

694. *Hac igitur regis trepidat jam Curio fama.* Curionem regis advenientis fama perterritum et hoc male habebat, quod parum confideret militibus suis, neque veteranis Cæsaris, qui sub eo in Gallia et Germania militaverant ; neque firmæ satis fidei, ut qui Pompeio sacramentum dixerant, et Domitio duce suo Corfinii tradito Cæsari, missi in Siciliam cum Curione fuerant.

696. *Nec Rheni miles.* Qui hos milites, neque Gallico, neque Germanico bello exploratos habebat; sed tirones erant, qui Corfinii Pompeio sacramentum sub Domitio dixerant, ideo minus illis fidebat.

698. *Novis ducibus.* Cæsari et Curioni. — *Priori.* Pompeio.

699. *Fas utrumque putat.* Quum utrique dixissent sacramentum, utrumque fas putare possunt, alterum deserere, alteri adhærere. — *Postquam*, etc. Postquam advertit exercitum munia officiaque sua detrectare, ad defectionem spectare, huc sollicitatos a Quintilio Varo, qui fuerat cum iis Corfinii, jamque erat cum Atio Varo: hæc secum deliberat.

702, *Audendo magnus tegitur timor.* Audendum est aliquid in prælia, simul ut timorem meum dissimulem, simul suspicionem de militum meorum fide tegam, immo tollam. Qui enim jam otiosi ducum meritis et belli causis expendendis vacant ;

Ipse prior : campum miles descendat in æquum,
Dum meus est : variam semper dant otia mentem.
Eripe consilium pugna : quum dira voluntas
Ense subit prenso, galeæ texere pudorem :
Quis conferre duces meminit? quis pendere causas?
Qua stetit, inde favet : veluti fatalis arenæ
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos : odere pares. » Sic fatus, apertis
Instruxit campis acies; quem blanda futuris

mox, armati et in aciem producti, partibus quas sibi sequendas sumpserunt, stabunt, obliti causarum, ducum, sui.

704. *Variam mentem.* Intermissiones variant consilia, maxime per quietem nocturnam, qua animus dubius, quod optimum factu sit, præsens tandem arripit consilium. HORT.

705. *Eripe consilium pugna.* Significat a vacuo milite expendi causarum justa, ducum merita : ubi in acie steterint, hæc cessare. — *Quum dira voluntas*, etc. Quando statuunt tectis gladiis ad hostes meos deficere. HORT. — Male. Sensus est : Quum otiose sedent milites, conferunt ducum causas inter se, et in diversa facile trahuntur. Quum vero ad arma ventum est, et congrediuntur ense stricto, et galea pudorem tegente, voluntas et ardor pugnandi, cæteraque eos abstrahunt a priore cogitatione, et pugnant solum pro suis partibus. — Oud. *voluptas*, et *presso*.

706. *Galeæ texere pudorem.* Hoc est : qui armatus est omnem verecundiam expellit : est enim tectus, et quod facit, non erubescit. SCHOL.

707. *Quis conferre duces*, etc. Quis eos inter se comparare ausus fuit, et expendere utrius causa justior sit?

708. *Qua stetit, inde favet.* A cujus parte miles stetit, illi plus favet. Hanc putat esse meliorem, quam illius, ad quem coactus venit. HORT.— *Veluti fatalis arenæ Muneribus.* Sicut in muneribus gladiatoriis, non odium aut simultas committit gladiatores in letale arenæ certamen ; sed ipsa parium compositio et æmula virtus. — *Fatalem* arenam dicit, quod fiant illic fata pugnantibus. SCH.

709. *Muneribus.* Inde *munerarii* dicuntur, qui officia in theatro administrant. ID.— *Munera arenæ* jungit quoque Claudian. in Rufin. II, 395.

710. *Productos.* Non ira vetus cogit concurrere retiarium et mirmillonem productos in arenam. — *Odere pares. Pares* nominandi casu. Par compositum est invicem in odio, non præ ira veteri, sed quod sunt duo illi compositi pares. OUDEND.

711. *Quem blanda futuris*, etc. Cui fortuna, ipsum deceptura, principio favit ; nam primum cum Numidis prospere pugnavit, imperatorque est appellatus. Inde Varum pe-

Deceptura malis belli fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo, nudataque fœda
Terga fuga, donec vetuerunt castra, cecidit.
Tristia sed postquam superati prælia Vari
Sunt audita Jubæ, lætus, quod gloria belli
Sit rebus servata suis, rapit agmina furtim,
Obscuratque suam per jussa silentia famam;
Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri.
Mittitur, exigua qui prælia prima lacessat,
Eliciatque manu, Numidis a rege secundus,
Ut sibi commissi simulator Sabura belli :
Ipse cava regni vires in valle retentat.
Aspidas ut Pharias cauda solertior hostis

pulit, etc. — *Blanda.* Alliciens in futuram cædem.

712. *Recepit.* Excepit. SULPIT.

713. *Nam pepulit Varum*, etc. Siquidem Curio primom e Numidis equitibus CXX cæsis, reliquos in castra compulit. Varum mox in castra ad oppidum non sine magna Varianorum cæde fugavit, 'ita ut timens castris de tertia vigilia sileotio exercitum in oppidum reduceret.

715. *Tristia sed postquam.* Narrare nune ineipit fortonæ ludibriom; hoe est, transit ad pugoam adversam Curionis, in qua infeliciter non modo pugnavit, sed misere periit.

716. *Lætus, quod gloria belli.* Lætus fuit victoriam de Curione sibi servatam esse. — *Gloria belli.* Id est, ut victis subveniret et vietorem superaret. SCHOL.

717. *Rapit agmina furtim.* Raptim collectas copias ducit clanculum, indicto silentio ne adventus sui fama ad Curionem perveniret.

719. *Incautus.* Non quod sibi cavere vellet; sed hoe solum timebat, ne per imprudentiam snam ab hoste timeretur, scil. ne se hostis castris suis contineret. Ergo fraodem innectit, qua Curiooem e castris sobtractom in prælium elieeret. Ood. dat *incauto ex hoste*, quam lect. acute defendit. ED.

720. *Mittitur*, etc. Curio, audito regis advento, se in Corneliana castra receperat. Præmittit rex Saburam, præfectum soum, cum parvis copiis, qni et rumorem spargeret ipsum Jubam revocatum finitimo bello et controversiis Leptitaoorum restitisse in regno. Comm. B. C. I, 38.

723. *Ipse cava regni*, ete. Rex cum omnibus eopiis inseqoebatur, et sex M. pass. intervallo a Sabura consederat.

724. *Aspidas ut Pharias*, ete. Neque aliter Curionem delusit Juba, qoam solet aspidem Ægyptiam Ichneumon, quam hebetes habentem

Ludit, et iratas incerta provocat umbra;
Obliquusque caput vanas serpentis in auras
Effusæ tuto comprendit guttura morsu,
Letiferam citra saniem : tunc irrita pestis
Exprimitur, faucesque fluunt, pereunte veneno.
  Fraudibus eventum dederat fortuna : feroxque
Non exploratis occulti viribus hostis,
Curio nocturnum castris erumpere cogit,
Ignotisque equitem late discurrere campis.
Ipse sub Auroræ primos excedere motus
Signa jubet castris, multum, frustraque rogatus

oculos, eosque, non in fronte, sed in temporibus, Ichneumon caudæ suæ umbra provocat, attollentem autem ictus irritos adversus excipit. Ichneumoni cum aspide internecinum bellum esse testatur Plin. lib. VIII, c. 24; et Nicander in Theriacis. Conf. Poet. min. tom. I, p. 107. — *Solertior.* Minoris enim vis est; ideo solertiorem esse oportet Ichneumona.

726. *Vanas serpentis in auras Effusæ.* Exsilientis in umbram caudæ. SULP.

727. *Guttura.* Ubi venena non habet ideoque *tuto morsu* serpens. SCH.

728. *Irrita pestis*, etc. Virus incassum effunditur.

729. *Pereunte.* Id est, nihil nocituro. SCH. — Nihil notius proverbio: « Morta la bestia, morto il veleno. »

730. *Fraudibus eventum*, etc. Curio, quum ex perfugis quibusdam oppidanis audisset Saburam adesse tantum cum levibus copiis, regem domi restitisse; adolescentiæ fervore, magnitudine animi, superioris temporis proventu, fiducia rei bene gerendæ, supra omnia fato civilis ab eo excitati commotique belli pœnas poscente, equitatum omnem prima nocte ad castra hostium mittit, qui oppressos somno et dispersos hostes, ad magnum numerum confecit. — *Eventum dederat.* Fortuna dedit successum dolis regis. HORT.

731. *Occulti viribus hostis.* Regis insidiis, modo ad vs. 720. — *Non exploratis.* Non per exploratores, quo numero essent hostes, certior factus. ED.

733. *Ignotis campis.* Regione scil. incognita. — *Discurrere.* Sic I, 476 : « Barbaricas sævi discurrere Cæsaris alas. » Exprimit tumultum et temeritatem, quibuscum necesse erat eos late et in campis ignotis vagari. Al. *decurrere*, minus bene. ED.

734. *Ipse sub Auroræ*, etc. Curio cum omnibus copiis quarta vigilia exit, equites suos redeuntes convenit, e captivis quærit quis castris præsit, respondent *Saburam.*

735. *Frustraque rogatus.* A Cn. Domitio præfecto equitum diu et frustra sollicitatus, ut fraudem metueret.

Ut Libycas metuat fraudes, infectaque semper
Punica bella dolis : leti fortuna propinqui
Tradiderat fatis juvenem; bellumque trahebat
Auctorem civile suum : super ardua ducit
Saxa, super cautes, abrupto limite, signa.
Quum procul e summis conspecti collibus hostes;
Fraude sua cessere parum, dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret arvis.
Ille fugam credens, simulatæ nescius artis,
Ut victor, medios aciem dejecit in agros.
Tunc primum patuere doli, Numidæque fugaces
Undique completis clauserunt montibus agmen.
Obstupuit dux ipse simul, perituraque turba.
Non timidi petiere fugam, non prælia fortes :
Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum

738. *Bellumque.* Ut modo v. 730.

742. *Fraude sua cessere parum.* Sabura suis imperaverat, ut simulatione timoris, paulatim cederent, ac pedem referrent : sese quum opus esset, signum prælii daturum.

744. *Ille fugam credens*, etc. Curio ad superiorem spem addita præsentis temporis opinione, hostes fugere arbitratus, copias ex locis superioribus in campum deducit.

745. *Dejecit in agros.* Ex colle scil. in planitiem : recte *dejecit*, quia ex alto in imum. Oud. *mersos*, depressos.

746. *Numidæque*, etc. Spem unam salutis, proximos colles jubet suos capere Curio. Hos præoccupat missus a Sabura equitatus. — *Fugaces.* Ut Curio credebat. Ii sunt, qui fugam simulaverant, ut insequentem Curionem eo deducerent, ubi erat occultus Jubæ exercitus. Schol. — Alii male exponunt : *fugaces*, i. e. celeres.

747. *Agmen.* Curionis nempe, quod colles deseruerat.

749. *Non timidi petiere fugam.* Lassatis scil. ex itinere et prælio nocturno equis, ut v. insequente, etc. atque septis undique peditibus stipatisque, ita ut vix arma movendi daretur locus, ut mox vs. 772. — *Non prælia fortes.* Equites labore confecti, et pauci, numero CC (reliqui enim in itinere substiterant) quamcumque in partem impetum fecerant, hostes loco cedere cogebant; sed neque longius fugientes prosequi, nec vehementius equos incitare poterant. Com. Civ. Bel. II, 41.

750. *Non sonipes*, etc. Defessi equi jam non clangore tubarum excitantur, nec campum quatiunt pedibus, nec terunt ora mordendo sive vexando frenos et lupatum.

Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos
Ora terens, spargitque jubas, et subrigit aures,
Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
Fessa jacet cervix : fumant sudoribus artus :
Oraque projecta squalent arentia lingua :
Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus urget;
Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus;
Siccaque sanguineis durescit spuma lupatis.
Jamque gradum neque verberibus stimulisque coacti,
Nec, quamvis crebris jussi calcaribus, addunt :
Vulneribus coguntur equi, nec profuit ulli
Cornipedis rupisse moras : neque enim impetus illis
Incursusque fuit; tantum profertur ad hostes,

752. *Ora terens.* Male hic Sulpitius exponit per hypallagen pro, terens frenos vexantes ora. Ora quidem vexare frenos recto dicitur, ut Silius, V, 147 : « Stat sonipes vexatque ferox humentia frena. » Sic Claudian. Epig. XX, 7 : « Sanguineo virides morsu vexare smaragdos. » *Terens* ora est atterens, ut terere manus et alia membra dicimur. — *Subrigit aures.* Sic Virg. Æn. IV, 183 : « tot subrigit aures. » Senec. Herc. fur. 790 : « aure subrecta. » *Non* est ubique repetendum *non spargit, non subrigit, non pugnat.*

753. *Incertoque pedum.* Neque uti fortis equus et recens stare loco nescit.

754. *Fessa.* Sed fessa acet, etc. — *Sudoribus artus.* Stat. VI, 470, de equis : « tepidis sudoribus artus Effeti. » Ed.

755. *Projecta lingua.* Exserta et pendente lingua, ut fit fessis canibus. — *Squalent*, siccatis spumis, mixto pulvere et sanguine, v. 758, vel siti torrida mutant colorem, et infuscantur. Ed.

760. *Addunt.* Non accelerant gradum, etsi verberibus et stimulis cogantur. *Addere* gradum, ut hic, habet quoque Livius, X, 20; XXVII, 9. Etiam hoc dicitur sine *gradum*. Virg. Georg. I, 512.

761. *Vulneribus.* Vulnerant equos, ut dolore compulsi celerius ambularent, quia cogi calcaribus et verberibus non possunt. Schol. — *Nec profuit ulli*, etc. Neque enim profuit incitasse equum in hostem; debilis enim et lassati equi incursus eo usque tantum provehebatur, quo jaculis hostium equitem exponeret.

763. *Tantum profertur ad hostes.* Eo usque solum stimulis et calcaribus impellitur, ut ægre ad hostes perveniat, et præsens atque inevitabile vulnus accipiat. Hort. — *Profertur*, promovetur. Non, ut quidam, *perfertur*. Si enim ad hostes plane perlati essent equi, abstulissent ictum jaculorum : quod contra Lucani mentem hic foret.

Et spatium jaculis oblato vulnere donat.
At vagus Afer equos ut primum emisit in agmen,
Tunc campi tremuere sono; terraque soluta,
Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis,
Aera nube sua texit, traxitque tenebras.
Ut vero in pedites fatum miserabile belli
Incubuit, nullo dubii discrimine Martis
Ancipites steterunt casus, sed tempora pugnæ
Mors tenuit : neque enim licuit procurrere contra,
Et miscere manus. Sic undique septa juventus
Cominus obliquis, et rectis eminus hastis
Obruitur : non vulneribus, nec sanguine, solum
Telorum nimbo peritura, et pondere ferri.
Ergo acies tantæ parvum spissantur in orbem :
Ac, si quis metuens medium correpsit in agmen,

764. *Spatium .... donat.* Dum occurrit hosti, et de proximo vulneratur. Donat ita jaculis spatium i. e. ne ad se longius dirigantur. SCH. — Id est, facit, ut jaculis non opus sit longe eminus currere, quum prope, cominus, possit vulnerari eques. Sic *ratibus donare flexus Maleæ* VI, 58. Adde not. ad Sil. I, 487.

765. *At vagus Afer*, etc. Numidarum vero equitum concitato cursu tremuere campi, et pulvereæ nubes atque tenebræ inductæ, pulvere, tanquam vi Boreæ e Thracia flantis, excitato.

766. *Terraque soluta.* Dissoluta in pulverem, incursu equorum.

767. *Bistonio.* Thracio, Septemtrionali. Aquilo enim de Thracia flat.

769 *Ut vero.* Tum in pedites incumbebat impetus Numidarum equitum.

770. *Nullo dubii*, etc. Non utrique parti fuit casus Martis in dubio; sed soli isti pedites interempti sunt, i. e. milites Curionis. Sive una pars occidebat tantum, altera occidebatur. SCH. — Certa erat facilisque victoria.

771. *Steterunt;* ut in Virg. Æn. II, 774; III, 48. — *Sed tempora pugnæ Mors tenuit.* Non pugnant, sed occiduntur. Sive quando pugnare deberent, spatia pugnæ mors virorum occupavit. SCHOL. — Tam brevi tempore pugna absoluta est, quantum sufficeret omnibus occidendis. ED.

773. *Miscere manus.* Conserta pugna contendere.

774. *Obliquis.* Ex tranverso vel cæsim ut *rectis* est mucrone; cf. VI, 237. BURM.

776. *Telorum nimbo peritura.* Non vulnerantur, sed telorum, instar grandinis fusorum, multitudine et pondere obruuntur.

778. *Ac, si quis metuens.* Id est, si

Vix impune suos inter convertitur enses :
Densaturque globus, quantum pede prima relato
Constrinxit gyros acies : non arma movendi
Jam locus est pressis; stipataque membra teruntur.
Frangitur armatum colliso pectore pectus.
Non tam læta tulit victor spectacula Maurus
Quam fortuna dabat : fluvios non ille cruoris,
Membrorumque videt lapsum, et ferientia terram
Corpora ; compressum turba stetit omne cadaver.
Excitet invisas diræ Carthaginis umbras
Inferiis fortuna novis; ferat ista cruentus
Hannibal, et Pæni tam dira piacula manes!
Romanam, Superi, Libyca tellure ruinam

quis timidus protraheret se in medium agmen, non poterat se sine damno convertere inter enses sociorum.

780. *Densaturque globus*. Jam spissatos dixit, v. 777, nunc globo magis ac magis condensatos, dum ii, qui a prima aciei fronte stabant, referrent pedem gyrosque introrsum coarctarent. Ed.

782. *Teruntur*. Atteruntur, colliduntur. Ed.

783. *Frangitur armatum*, etc. Corpora armata armatis corporibus illisa dissiliebant, frangebanturque.

784. *Non tam læta*, etc. Neque tam lætam ex cæde Romanorum voluptatem perceperunt Mauri, quam fortuna dabat, quum non fluvios sanguinis, non mutilata et cadentia viderent corpora, ut quæ constricta et stipata sustinerent se invicem, neque cæsa deciderent ad terram : sic de arboribus Noster, III, 445. — Non quidem potuit per singula sua victoria et hostili damno perfrui; id est, non tantum spectabat Maurus, quantum Romani patiebantur; nam omnes patiebantur; nec tamen hoc spectantibus Mauris. Schol.

788. *Excitet invisas diræ Carthaginis*, etc. Invitet excitatas Carthaginensium umbras Fortuna ad hæc parentalia. Retulerunt quippe victorum nepotes inferias Hannibali, abunde parentaverunt hac cæde manibus Pœnorum a suis cæsorum.

791. *Romanam, Superi, Libyca tellure*, etc. In Deos exclamat, quod tantam cædem passi sunt fieri nulla reip. utilitate. Melius enim Afri Romam subjugassent, quam quod libertate amissa, perpetuo sub Cæsaribus serviamus. Sulpit. — Indoluere certe senatus Pompeiusque in suæ causæ emolumentum cecidisse tot cives Rom. mallentque victoriam hanc Afrorum nomine, quam suo relatam. — Sic Glareanus exponit. Nefas enim et Romanis erubescendum ipsis profuisse Afrorum victoriam : multo minus turpe, si Afri sibi solis vincerent. — *Ne-*

Pompeio prodesse nefas, votisque senatus.
Africa nos potius vincat sibi. Curio fusas
Ut vidit campis acies, et cernere tantas
Permisit clades compressus sanguine pulvis,
Non tulit afflictis animam producere rebus,
Aut sperare fugam; ceciditque in strage suorum
Impiger ad letum, et fortis virtute coacta.
Quid nunc rostra tibi prosunt turbata, forumque,
Unde tribunitia plebeius signifer arce
Arma dabas populis? quid prodita jura senatus,
Et gener atque socer bello concurrere jussi?
Ante jaces, quam dira duces Pharsalia confert,

fas hic eodem sensu dictum puto quo apud Virgilium, Georg. IV, 491, *nec fuit indignum superis*; ergo incusat Deos qui rem ita decreverint. Ed.

793. *Curio fusas*, etc. Hortatus est Curionem Cn. Domitius, præfectus equitum, cum paucis circumsistens, ut fuga salutem peteret, seque in castra reciperet: se ab eo non discessurum pollicitus. At Curio numquam, amisso exercitu, quem a Cæsare fidei suæ commissum acceperat, se in ejus conspectum reversurum confirmavit, atque ita prælians interfectus est. Comm. Civ. Bel. II, 42.

795. *Compressus pulvis*, etc. Quem commotum ab equitatu suorum sanguis exstinxerat. Sch.

796. *Animam*. Scil. vitam.

798. *Ad letum*. Ad moriendum, non ad mortem inferendam, ut quidam volunt. Ed. — *Coacta*. Scilicet desperatione collecta; vel potius: eo fortior quod sin desperationem cogeretur. Ed.

800. *Unde tribunitia*, etc. Tribunitiæ conciones non raro fuerant populi incitamenta, seditionum faces, classica tumultuum. Curio autem trib. pleb. fuerat Cæsari inimicissimus, mox ab eo liberatus ære grandi alieno, redemptusque auro, acerrime pro Cæsare stetit, et cum tribunis pl. ad Cæsarem ex urbe tandem profugit, non parvus belli hujus civilis concitator. Ut l. I, v. 270, etc. — *Arcem Tribunitiam* per appositionem auctor nominavit ipsa rostra, et forum, ut bene observat Scholiastes, unde quasi ex arce tyrannica arma dabat, signum efferebat, et incitabat populum. Quo sensu passim hæc vox venit. Livius, lib. III, 45, « tribunitium auxilium, et provocationem vocat duas arces libertatis tuendæ; » et cap. 57, « tribunal castellum omnium scelerum. »

801. *Prodita*. Ære corrupta et prodita a te.

802. *Gener*, Pompeius; *socer*, Cæsar, bello commissi.

803. *Ante jaces*, etc. Neque ta-

Spectandumque tibi bellum civile negatum est.
Has urbi miseræ vestro de sanguine pœnas
Ferre datis : luitis jugulo sic arma, potentes.
Felix Roma quidem, civesque habitura beatos,
Si libertatis Superis tam cura placeret,
Quam vindicta placet! Libycas en nobile corpus
Pascit aves, nullo contectus Curio busto.
At tibi nos (quando non proderit ista silere,
A quibus omne ævi senium sua fama repellit),
Digna damus, juvenis, meritæ præconia vitæ.
Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
Aut cui plus leges deberent recta sequenti.
Perdita nunc Urbi nocuerunt secula, postquam
Ambitus, et luxus, et opum metuenda facultas

men contigit tibi exitum hujus belli in pugna illa Pharsalica videre. — *Confert*. Committit atque collidit.

805. *Has urbi miseræ*. Sic urbis primarii pœnas dant miseræ civitati, et luunt bella, quæ ipsi vel concitarunt, vel sua temeritate susceperunt. HORT.

806. *Jugulo sic*. Morte vestra. — *Arma*. Contra rempubl. suscepta, vel melius mota bella. — *Potentes*. Proceres.

808. *Si libertatis superis*, etc. Si Deos æqua tangeret cura indulgendi nobis libertatis assertores, quam ulciscendi libertatis oppressores. « Nec umquam, inquit Tacitus, Hist. I, 3, atrocioribus populi Romani cladibus, magisve justis judiciis approbatum est, non esse curæ Deis securitatem nostram, esse ultionem. » —*Cura*. Sic libertatem integram tueantur, uti vindicant læsam. SCH.

810. *Nullo contectus Curio busto*. Inhumatus, præda avibus Libycis.

811. *Quando non*, etc. Cur enim taceam virtutes ejus et merita? quæ innumeris seclis canescentia per omne ævi tempus plenis gloriæ velis ferentur.

812. *Ævi senium*. Oblivionem et temporum injuriam.

814. *Haud alium tanta*, etc. Erat certe summa indole, eloquentiæ laude claruit, legum propugnator acerrimus, quamdiu incorruptus stetit reipubl. status.

816. *Perdita nunc*, etc. Al. *tunc*. Verum corruperunt illum perdideruntque perditi civitatis mores, ambitio, luxus, avaritia. — *Urbi*. Id rectius quam *Orbi*, ob ea quæ præcedunt. GROT.

817. .... *et opum metuenda facultas*. Recte, ut contra lib. V 527 : « ... o vitæ tuta facultas Pau-

Transverso mentem dubiam torrente tulerunt :
Momentumque fuit mutatus Curio rerum,
Gallorum captus spoliis, et Cæsaris auro.
Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense,
Sulla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus,
Cæsareæque domus series; cui tanta potestas
Concessa est? emere omnes; hic vendidit Urbem.

peris. » Seneca Epist. LXXXVII : « His effecturi, ut populus Romanus paupertatem, fundamentum et causam imperii sui, requirat ac laudet, divitias autem suas timeat? »

818. *Transverso mentem*, etc. A recto, bono et æquo mentem Curionis abripuere. Veluti torrente verso, sive transversum currente et non recto cursu, mentem olim rectam abstulerunt.

819. *Momentumque fuit*, etc. Atque ita mutatus et a Cæsare corruptus, dignitatem et causam ejus pertinaciter tuebatur, neque minima civilis belli fax, ut qui Cæsari stimulos addiderit, ut per quem plurimi in Cæsaris partes inclinarint. *Momentum rerum.* Id est, cum ipso omnia sunt mutata.

820. *Gallorum captus spoliis*, etc. Sexcenties H. S. æris alieni contraxerat Curio (Val. Max. lib. IX, c. 1), quo liberavit eum Cæsar. Ea autem ipse victor adquisiverat in Gallia, quam spoliatam dicit Noster.

821. *Jus licet in jugulos*, etc. Sulla quidem, Marius, Cinna, etc. vi oppresserunt libertatem, invaserunt remp. neque id tamen sine summa impensa largitionum et stipendiorum : illi emerunt, hic vendidit. — Oud. *Nostri... ensis.*

823. *Cæsareæque domus series.* Cæsaris successores, quibus permissus imperii clavus. Sic fere omnes explicant, interrogatione tamen servata. Sed ostendit sensus *cui* interrogative sumendum. Etsi omnes jus gladii usurpaverint, nulli tamen tanta potestas concessa, quam Curioni. Omnes *emere* imperium coacti fuerunt : ille *vendere* Romam solus ausus est. Male interrogationis signum delevit Grotius, quod omnes exhibent. Ed.

824. *Hic vendidit Urbem.* « Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem Imposuit. » Virg. Æn. VI, 621.

IN LIBRUM QUARTUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

1. *Sævus.* Vid. ad Sallust. p. 156. Jug. 7. — *Non multa cæde nocentem.* Bersmanni codex suppeditat, *rubentem* : ita supra II, 103 : « multaque rubentia cæde Lubrica saxa madent. »

4. *Jure pari rector.* Vid. Stat. t. I, p. 217 (Silv. II, 2, vs. 60). Ed.

9. *Vettonesque leves.* Minus boni libri habent *vectones.* Bene MS. 7900, *vettones.* Ed.

11. *Colle tumet modico.* MS. 7900 *Collectum et modico*, *m* suprascripta. Ed.

17. ...*nec Cæsar colli minore Castra levat.* Codices alii habent *locat*, et etiam *minore.* Infra 169 : « Illic exiguo paullum distantia vallo Castra locant. » Et sic alii passim.

18. *Medius dirimit tentoria gurges.* Glareanus adserit, non esse locum hoc toto opere, qui lectorem magis suspensum teneat, atque a nemine hactenus, quod sciat, tractatum. Itaque libenter ejus explicationem hic adscribemus. In utroque, inquit, ut ut torqueamus verba, quatuor ingentes difficultates sese nobis hic offerunt. Prima de urbe Hilerda, in utra parte Sicoris fuerit, ad ortumne, an ad occasum : hoc est, citrane Sicorim, an ultra. Secunda, de fluminibus Sicuri, et Cinga, uter magis ad ortum, uter magis ad occasum : nam utrumque a septemtrione in meridiem fluere fere convenit inter omnes. Tertia, de lapideo ponte Hilerdæ, in quam partem ierit, occidnamne, an orientalem. Quarta, quomodo Gallica auxilia Cæsarem sequi jussa Pompeiani invadere potuerint ex Hilerda, Cæsar adesse iis nequiverit, quum citra Sicorim adhuc esset. De prima dubitatione, unde fere aliæ deinceps pendent, breviter dicam, quod sentio. Mihi quidem videri, Hilerdam citra flumen Sicorim fuisse, ac ea omnia, quæ Cæsar initio sui ad C. Fabium adventus egit, acta esse citra Sicorim. Afranii etiam castra citra et flumen, et urbem fuisse

aliquo spatio, ita ut inter ea ae urbem, tomolum illum, de quo quinque horis pugnatum scribit Cæsar, ae quem Afraniani tandem obtinuerunt, fuisse intelligamus. Verum si hæc sit vera opinio, quid dicemus igitur ad propositom jam Lucani carmen? « Medius dirimit tentoria gurges. » Mibi sane vix explicabilis videtur locus, nisi συνεκδοχικῶς intelligatur, ut aliqua Afraniorum pars ultra flumen fuerit. Habuerunt enim pontem lapideum in sua potestate. Cæsariani autem duos ædificaverunt pontes ad pabulandom duntaxat: et erant temporarii, ita ut nulla Cæsarianorum castra in altera ripa fuerint: nisi quis fortasse et hoc in Romana historia, ut pleraque alia, variatum contendat. Sed eni potios credendum, quam Cæsari, qui ut primom, inquit ipse, advenit ad C. Fabium, relictis in ejus castris sex cohortibus præsidio, ac ponte, qui interierat, refecto, postero die omnibus eopiis triplici instrueta acie ad Hilerdum profectus est, ubi novis constructis castris tomulum inter urbem, et Afran ana castra medium invadit. In quo quidem duorum exercitnum concursu nulla prorsus mentio est alicujus fluvii, aut superati, aut transiti. Unde satis constat, omnia bæc citra Sicorim esse acta. Neque Cæsarem transisse Sicorim, donec Afraniani in Celtiberiam abire festinarent; scil. post inundationem, et jam item novo facto ponte per Sicorim, quo tamen in traductione totios exercitus usi non sunt. Sed hæc de Hilerdæ situ. Nunc de fluminibus Sicori et Cinga dicendum. In vulgaribus Hispaniæ tabolis ita pinguntur, ut Cinga sit magis occiduus, Sicoris orientalior. Et ex Lucano, v. 23, idem satis eertum est, quippe qui Cingam in Hiberum fluere asserat, qui est magis occidnus. At Cæsar, transito Sicori, Hiberi deinde mentionem facit, nullam vero Cingæ. Videtor igitor Cinga supra Octogesam Hiberum influere. Quare in magna illa inundatione quum citra Sicorim fuerit Cæsar, et ad occasum habuerit eum, quodnam flumen ab orto eum cingebat? Si igitur Cinga non erat, et qui magis ad occasum Sicore, necesse est aliud fuisse flumen. Etsi in tanta inundantia etiam ignobiles torrentes negotium facessere possunt. Quapropter nisi Cæsar subinde mutaverit castra, quod tamen non meminit, locus mibi inexplicabilis videtor. Et plane in Cæsaris Commentariis ita res est dubia, quum legas, ut jam Hilerda eitra Sicorim, mox ultra eredas, ita at ipsom Cæsarem nunc citra, nunc ultra. At id magis urget, quum Cæsar pro tumulo conflixit, nullius in medio fieri mentionem fluminis, quum castra utrorumque starent opposita, et milites utrimque concurrerent, ut certe lectorem non possit non turbare, quod poeta hic dicit: « Medius dirimit tentoria gurges, » maxime quum ipse continuo eum pro tumulo conflictum subjungat. Quamquam et hoc quisquam cavillarit, quum Cinga et Sicoris a septemtrione in meridiem fluant, ac sub Hilerda Hiberum influant, quid prohibuerit Cæsarem (siquidem inter eos conclusus erat), recta sequi fluminum tractus ad fontes, septemtrionem versus, præsertim equitatu, quo longe potentior erat Pompeianis. Sed id fortassis nimis argotum. Ad tertiam progrediamur dubitationem, in utra parte fuerit pons

ille saxeus, *hibernas passurus aquas*, ut inquit Lucanus. Sed ex Cæsare (quantum nos conjicere possumus) videtur ab occasu urbis Hilerdæ fuisse. Nam quum Afraniani in Celtiberiam abire festinarent, et adhuc Hilerdæ subsisterent, «duabus auxiliaribus cohortibus (inquit Cæsar) Hilerdæ præsidio relictis, omnibus copiis Sicorim transeunt, et cum duabus legionibus, quas superioribus diebus traduxerunt, castra conjungunt.» Hæc ille. Post hos jam Cæsar per flumen jam vadosum factum equitatum mittit, qui equitatus quum in conspectu legionum Cæsaris cum novissimis Afraniorum confligerent, traducti milites assequuti sunt celerrime hostes. Hæc omnia ipse Cæsar diligentissime descripsit. Ex quibus liquet (ut puto) satis clare, pontem illum ad occasum urbi fuisse. Sed enim hic nunc quarta subit dubitatio, quæ non minus sollicitum tenet lectorem. Quo pacto, quum inundarent omnia, et Cæsari, concluso fluminibus, magni comitatus (ut ipse inquit) ex Gallia venirent, ea invadere potuerint Afraniani, Cæsar autem defendere nequiverit. Neque vero quis hoc ita solvet, pontem illis fuisse saxeum, qui in orientem quoque iter aperuerit, quum Cæsar citra Sicorim esset, ad idem, inquam, latus. Hic quid respondeam non hercle invenio. Sed fieri potest, ut Cæsar aliquanto plus ad septemtrionem sederit, viæ vero publicæ, quæ plerumque in locis aquosis substruuntur, fuerint in Afraniorum potestate, ut quæ ad oppidum ducebant : atque ita factum, ut Afraniani quum equites, tum pedites Gallica auxilia invadere potuerint, non etiam Cæsar ea defendere. GLAREAN. — Quum *gurges* hoc loco poni nequeat simpliciter pro *fossa*, quam Cæsar castris suis præduxerat, (de ea quidem loquitur versu 29) manifeste errat Lucanus *Sicorin* intelligens. Clarissime enim patet ex Cæsare, utriusque partes exercitus stetisse inter Cingam et Sicorim, et post castra Afranii fuisse Hilerdam, et illum collem, quem volebat occupare Cæsar, citra fluvium tamen. Vide Bel. Civ. lib. I, c. 41, 48, 49. Deinde mutata fortuna, Afranius cum Petreio Sicorim transire coacti sunt, Hilerdæ præsidio relicto : ac tunc quoque transiit Cæsar. Vid. c. 63, 64. Et hinc maxime liquet error Lucani credentis Hilerdam et castra Pompeianorum fuisse ultra Sicorim. Sic enim canit vs. 143 : «... postquam omnia fatis Cæsaris ire videt, celsam Petreius Hilerdam Deserit.» Eum vero flumen transiisse per pontem, ut recte Cæsar non dicit; at subjungit, Cæsarem, explorato Petreii abitu, flumen cum copiis transnatasse.

....Capere arma jubet, nec quærere pontem,
Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis.
Paretur.

Quod verum est, sed prius Sicorim transierant Pompeiani per pontem, qui erat post Hilerdam, præsidiis ipsorum firmatam; ne Cæsar illam urbem, aut pontem occupare posset. Cinga autem magis orientalis est, quam Sicoris; ita tamen, ut uterque a septemtrione versus meridiem fluat, et in

Hiberum, qui itidem ex septemtrionali Hispaniæ parte oriens in mare mediterraneum, haud procul insulis Balearibus, exit. Inter Sicorim et Cingam, ut dixi, Hilerda est sita, et illic uterque stetit exercitus; ut bene tradit Cæsar, errante Lucano. HORTENS.

20. *Camposque coerces.* MS. 7900 *coercens.*

21. ...*et litora cursu Oceani pepulisse tuo.* Male alii *suo cursu :* nam quid illud erit quod statim sequitur, aufert *tibi* nomen Hiberus? *illi* ergo dictum oportuit, non *tibi.* MS. 7900 : *aut fert.* ED.

24. *Prima dies belli cessavit marte cruento.* Compositio non olet Lucanum. Deinde, cur prima dies *belli*, si caruit bello? Lego : « Prima dies belli cessavit marte cruenti. » Livius VII, 7 : « Quidquid hinc aut illinc communis mars belli aufert. »

29......*subita circumdedit agmina fossa.* *Subito* habebimus versu abhinc tertio, collem subito conscendere cursu. An legendum *occulta?* ut Cæsar (Civil. I, 42), « opus in occulto faciebat. »

30. *Dum primæ perstant.* Alii *præstant*, ut idem sit *præstant* quod *antestant.* Sed nullo exemplo id confirmabunt. Igitur vera lectio, quam codices alii suppeditant: «Dum primæ *perstant* acies.» *Perstabant*, permanebant in armis. Gujeto spurius versus videtur; sed tollendus nodus videtur Webero, si legatur *perstant.* Posset tamen versus salvo sensu abesse, ortus ex eo, quod interpres aliquis ostendere voluerit Cæsarem clam fossa agmina circumdare potuisse : sed Lucanus ipse talia explicare solet. Neque variæ lectiones suspicionem interpolationis movent. ED.

44. *Agmina dux*, etc. Verba *munitumque... pependit* suspecta sunt Gujeto, et ni fallor inde orta, quod interpolator præcedentia exponendo supplevisset. Sed sine his reliqua manca sunt, cum, quid succedente equite factum sit, requiratur. Deinde non est verisimile Lucanum, in ejusmodi rebus describendis diligentissimum, hoc prætermisisse, præsertim quum victoria a Pompeianis partibus stare visa sit. Quod sensum verborum attinet, commentarii instar est Cæsar, B. C. I, 46 sqq. quo ex loco singula quoque in nostro recte constitui et explicari debent. Variant libri in vers. 45, ubi plurimi *producere ;* plures iidemque optimi *prœducere ;* alii *procedere*, *præcedere* habent. *Producere* ex usu loquendi militari est *educere in aciem*, cf. Cæs. B. G. I, 48, III, 17, et h. l. dici posset; sed præcessit simile verbum *succedere bello ;* tum vv. *munitum latus* et *lœvo gyro* comparata cum vv. Cæsar. B. Civ. I, 46 : « Equitatus... ab utroque latere... summum in jugum virtute connititur, atque inter duas acies perequitans... receptum dat, » lectionem *prœducere* probant, quod, licet plerumque de rebus tantum dicatur pro *prætendere*, *præstruere*, *ante ducere* (cf. Cæs. B. Gall. VII, 46; Tiboll. IV, 1, 83, ubi Heyne), de fossa, muro, vallo (cf. Heins. Advers. I, 14, p. 149),

h. l. optime habet, quia equites, quasi muri loco, munitum latus, i. e. scuta prætendunt, ut pedes habeat receptum. Schol. Lips. secundi locum ita explicat : « Jussit equites girare in alteram partem, ut munitum latus, i. e. eos, qui latus illud muniebant, in illam partem producerent, et tunc alii descenderent; vel munitum latus (ita scribe pro *latum*) i. e. armatum jubet eos ostendere, ut credant a læva ascensuros. » Schol. Lips. tertii : « Non vacabant defendere (corrige *ascendere*), quod Cæsar videns jubet equites succedere bello, sed in altera parte montis, contra montem currere jussit, ut (lege *ubi*) lævam et scuta ad hostes tenebant. » Man. alia : « in sinistra parte collis. » Quod vv. *irritus* et *victor* denique attinet, de Afranianis intelligi debent; quos Lucanus pro partium studio victores facit. Deinde verbum *subducto* verbo *receptus* respondit, præsertim quum de Afranianorum receptu nihil dictum sit, quod flagitare *subducto marte*. *Pendere* autem recte de iis qui in locis superioribus versantur. Confirmat Cæsar B. C. I, 47. Ita opposita sunt *pedes*, *receptus* et *victor irritus* et omnia bene cohærent. WEB.

45. *Prædueere*. Sic optime tacens restituit Grotius; quum antea legeretur *producere*, quod dat MS. quoque 7900. *Præducere* autem confirmant veterrimi duo Vossiani, et alii : notat vero prætendere, prætexere. Silius, X, 411 : « Fossas instant præducere muris. »

54. *Atque omnis propior... Aruerat*. Ordinem versuum mutat male codex Marpurg. qui error enatus ex simili initio. Vulgarem ordinem verba ipsa tuentur. WEB.

57. *Sidera respiciens delapsæ portitor Helles*. Nescio an satis latine dictum sit, *portitor Helles* : id scio, non admodum apposite dictum, *portitor delapsæ*, ejus scilicet quam non portavit : vix dubites corrigendum esse : « ... delapsæ *proditor* Helles », quam non pervexit, sed prodidit. Est emendatio viri egregii Petri Scriverii ad Martialis IX, 71 : « Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles? » Ovid. quidem Fast. IV, 715 : « Qui prodidit Hellen »

66. *Sol patitur, quidquid cæli fuscator Eoi*. Oudendorpii codex versum non habet; conjunxerat enim librarius *quidquid concrescere primus Intulerat* (ita legitur in MS. 7900) *Corus*, quæ salvo sensu pro librariorum captu conjungi poterant; accedit, quod in Cod. Hulstii versus 65 mutato ordine versum 67 sequitur. Utrumque male et sine sensu; quomodo enim hæc cohæreant? quid sibi velit *primus Corus?* Sed recte dicitur « Sol patitur concrescere nebulas, » cf. supra vs. 53 : « Non duraturæ conspecto sole pruinæ » et *sol primus*, ut X, 435, est sol oriens, aurora. Deinde non apparet, unde versus in textum venerit; denique verba singula minime interpolatorem arguunt. *Fuscator* enim, cujus loco male alibi legitur *frustrator*, est *Corus*, *quia*, ab occidente flat, et nubes impellit ad orientem; quia cælum nu-

bibus obducit, obnubilat, cf. Intpp. ad Valer Flacc. I, 396. WEB. — MS. 7900 habet *fuscator Orion;* supra *Eoi*, et sub *Orion* linea est. ED.

68. *Incendere diem*, etc. Atqui nubes non possunt *incendere diem*, sed sol. Hinc viri docti quidam mallent hic legere *impediere*, vel *insedere diem* pro obfuscarunt: sic versu 103: *nox subtexta polo;* et remotis jam nubibus *visus dies* vs. 129. *Incendit* et *insedit* sæpe confunduntur. Sed nihil mutant scripti, et bene se habet locus. Neque enim intelligendum de aere, sub quo erant jam Romani exercitus, sed de plaga orientali, unde nubes *remotæ* præbuerunt causam, ut sol ibi nasreretur ardentior. Nubes ergo, in occidentem impulsæ, et ita ab oriente remotæ in causa fuerunt, fecerunt, ut illic magis incenderetur dies, et intolerabilior fieret sol, ablatis nebulis, quæ orientales *defenderant:* quod verbum hic accurate notandum est. *Incendere diem* dixit quoque auctor Lib. IX, 498: « Utque calor solvit, quem torserat, aera, ventus: Incensusque dies. » — Conjicit Bentleius *abscondere diem*. Seneca Controv. 16: « Terribili fragore horridæ tempestates absconderant diem. »

76. *Densantur*. Habet MS. 7900 *densentur*, quod ubique Heinsius reponere malebat. ED.

77. *Nec servant fulmina flammas, Quamvis crebra micent: exstinguit fulgura nimbus.* Versus 78 Oudendorpio et Gujeto pluribus ex causis suspectus est, quorum alter totum versum, alter dimidiam partem cum præcedentibus *nec... flammas* deletam vult; neque negari potest plura indicia adesse, quæ versum suspectum reddant. Deest in antiquissimo Putean. et in tribus Burm. deest in aliis, a manu recentiore additus, legitur præterea mutato ordine in Lipsiensi, ita tamen, ut vulgaris ordo ab eadem manu per literas b. a. indicatus sit; sed a reliquis iisdemque optimis Codicibus agnoscitur. Deinde apparet versum, quum sensus reliquorum sine eo salvus fuisset, omissum esse; neque alia argumenta ab Oudendorp. allata interpolationem demonstrant. Varietas lectionis enim, licet satis magna sit, orta est vel ex solenni errore librariorum, ut *fulgura* v. 77 pro *fulmina*, et in aliis v. 78, *fulmina* pro *fulgura;* cf. III, 410; VI, 528; eodem modo *membris* in quibusdam pro *nimbis*, vel ex interpretatione, ut *cessant* in quodam pro *servant*, ex interpretamento totius sententiæ inter lineas posito: *cessant fulmina;* sic *cursum* in Voss. sec. pro *flammas* ad verba: *servant flammas;* sic *exstinguunt... nimbi*, quod in aliis legitur, pro *moriuntur... nimbis*, quod probat Weber et aperte verba docere adserit. Quam sententiam sic tuetur. Interpretatio, ut fieri solet, in plures et melioris notæ Mss. transiit, verba auctoris in paucis licet non parvi momenti libris servata sunt. Neque interna argumenta rem decidunt; qua ratione enim versus ortus et additus sit, interpretes non dicunt, neque ego aliquam reperi, nisi forte in interpretatione verborum *nec servant fulmina flammas;* quæ tamen, re accurate considerata, verisimilis non videtur. Primum enim ver-

bis *nec servant flammas* explicatione non opus est, quum sensus eorum perspicuus et apertus sit; deinde cur vv. *Quamvis crebra micent?* nisi quia dicat, vel ab ipso interprete; vel ab alio addita esse, ut versus constet; denique verba minime interpretationem contineot, sive sententiam, sive siogula spectes. Quis enim noo videat, diversa esse *fulmina non servare flammas* et *mori nimbis fulgura?* nonne *fulmina* et *fulgura* diversa suot? an idem est *servare flammas*, et *mori nimbis?* Quis demum explicatorem ita loqoeotem audiverit *non servant fulmina flammas* vel *moriuntur fulgura nimbis?* nonne hæc poetica, et optimo qoovis poeta digna sunt? At fortasse aliquis cum Oudendorpio dicet, versum, qoacumqoe ratiooe in textum venerit, in bac descriptiooe pluviosæ tempestatis non suo loco, et putide interpositum esse; quæ bene jam Burmannus refutat, sæpissime *fulmina* et *nimbos* in describenda tempestate a poetis conjungi docens; et recte poeta *fulminum* et *fulgurum* mentiooem facit, ut magnam pluviarum vim ostendat, qua in re totus locus versatur. Taota fuit vis imbrium, inquit, ut ipsa fulmina, quamvis crebra micarent, flammas suas non servarint, sed exstincta sint. Soleot enim fulmina inter imbres micare, sed hic ictus ad terram non deferunt et inter ipsas nubes pereunt, quo multitodo pluviarum bene describitur. Neque putidi quid in repetitione sententiæ, ut voluot, *non servare flammas* et *mori nimbis fulgura* video; *fulgura* enim h. l. non eadem sunt quæ *fulmina*, sed *ignis splendor, fulgor fulminum*, cf. Claudiao. de tert. Cons. Hon. 32: « galeæ nec triste timentem Fulgur. » Rapt. Pros. II, 147: « Cristæ pacato fulgure vernaot; » et in plurali Lucret. II, 163: « Tempore, quo solis pervolgaot fulgura cælum; » Lucan. VII, 157, ubi similiter *fregerunt* fulmina *nubes*, et *cœlum oculos ingestos* folgure *clausit*, conjunguntor. Amat præterea Lucaous pluribus verbis eamdem sententiam variare, et quæ negando dixisset, affirmando repetere. Ita conjectura Oudeodorpii non opus est, quæ propter sententiam, quum præcedentia repetat neque novi quid addat, et propter v. *flumina*, quod hic non quadrare videtur, displicet. WEB. — Versus 78 deest in MS. 7900. ED.

82. .... *et cœlo defusum reddidit æquor.* Interpretatiooem quam cum Grotio dedimus, repellit Bentleios, et adjicit: « Immo vero, aquas e tellure haustas telluri reddidit. Codex collegii Trinitatis, bonæ notæ, sic habet: Et *fusum de cœlo* reddidit æqoor. Illud aotem *pertulit* haud sane placet: hoc enim roboris est et magnarom virium. Atqui arcum imperfectum hic describit, qui bibat quidem Oceanom, sed non retineat. Quare libenter sic legerim: « Oceaoumque bibit, raptosque ad nobila fluctos *Retulit, et rursum* de cælo reddidit æquor. « Ubi *raptosque* perinde est, ac si diceres, *sed raptos;* quod Lucano solenne et perpetuum est. » *Diffusum* habet MS. 7900, suprascr. quod ante biberat. ED.

84. *Evaluit, fluxere nives.* Verba hæc non leguntur in codice Laurentino, et serius addita snot, quamvis præcedentibus et sequentibus arctissime cohærent. WEB.

87. *Naufraga campo. Campis* MS. 7900 et quinque alii. Ed.

88. *Cæsaris arma natant, impulsaque gurgite multo.* Hic versus, qui nullum interpolationis signum habet, omissus est in cod. Reg. 2. Librarius forte cohærere putaverat *naufraga campo castra labant;* sed quomodo *naufraga castra?* et si *naufraga*, cur *labant?* Hæc librarius nos doceat velim. Recte *impulsa castra labare* dicuntur, cf. infra 302: « Impulsa levi turbatur glarea vena, » et 330: « imbres quorum modo cuncta natabant Impulsu. » Thuaneus codex *impulsa* sine *que* habet, fortasse verbo *arma* conjungendum, si leges metri addicerent; sæpissime autem *que* in libris Mss. omittitur et additur. Conf. I, 28, 155, 213, 239, ubi omissum, et I, 76, 81, 88, 170, ubi additum est.

92. *Occultos sparsus populatur in agros. Occultis.... agris*, MS. 7900 et plurimi; quod placuit Cortio. Ed.

98. *Jam tumuli, collesque latent*, etc. Hos versus, usque ad v. 120, pro spuriis habet Gujetus, interpolatorem, quæ a Lucano supra a versu 76 ad v. 97 exposita sint, in his repetiisse contendens. Quod etiamsi de versibus 98—105 concedam, quid in reliquis inest, quod ex superioribus repetitum sit? Nonne clausula vs. 120 optime ex mente Lucani bellum civile detestantis? quacum conferri possunt II, 48 sqq. Nonne Lucanus in ejusmodi rebus describendis sibi indulgere, et variando luxuriari amat? Poeta enim singula hujus diluvii momenta enarrat, ita ut aquarum paullatim crescentium vim et cæli magis magisque obnubilati faciem describat. Nubes pressæ, quæ aerem obducebant, paullatim ita densatæ sunt, ut nox subtexta polo Phœbum surgentem non sentiret. Imbres autem ruunt, v. 76, Pyrenæis nivibus adaucti, v. 83; unde flumina ripis excedunt, camposque aqua implent et castra Cæsaris impellunt, v. 88. Inde pabula deesse cœperunt, v. 90, et sævit fames, v. 94. Nondum aquæ decurrunt, immo tumulos obruunt, v. 98. Paludem unam ex cunctis fluminibus efficiunt, v. 99; rupes absorbent, v. 100, et ipsos Oceani æstus repellunt, 102. Nonne hæc singula aptissime cohærent, diluviumque magis adauctum ostendunt. Quod poeta per *jamjamque*, *tunc* interposita indicasse videtur. Quare male deleveris, quæ neque in rebus, neque in verbis habent, quod Lucano indignum sit. Web.

100. ... *Ac tecta ferarum Detulit.* Majorem vim ostentat, quod alii codices præferunt, *depulit*. Id.

102. *Vorticibus contorsit equos, et reppulit æstus Fortior Oceani.* Ita vulgo hunc locum edunt, et construunt. Ipsa palus vi aquarum contorsit, et abripuit vertice equos frementes, et fortior repulit æstus Oceani. Alii jungunt *contorsit*, et *repulit equos æstus* fortior scilicet æstibus Oceani. Sic etiam Priscianus, c. 1180, 1191. In hoc ergo conveniunt, ut sermo sit de

rapiditate inundantium aquarum, quæ equos abstulerunt, et ipsum Oceani solennem æstum repleverunt. Neutrum placere mihi potest. Nam primo non dicunt, aut docent, qui equi intelligantur. Militares certe non potuerunt esse, quoniam illi in castris sub colle positis, locati erant; neque enim credibile, Lucanum voluisse innuere, illa castra adeo inundata fuisse, ut etiam equi sub aquis perierint. De bestiis etiam per campos vi aquarum haustis jam est loquutus: præterea tanto impetu, quantum hic describit, ad equos submergendos non opus erat. Multo minus opinor, aliquem per *equos* hic intelligere velle equos Neptuni, seu patris Oceani, quorum meminit Virgilius Æn. I, 160: « Flectit equos. » Apertius enim, et clariore metaphora se explicuisset. Dein si hæ aquæ repulissent æstum Oceani, debuisset minui, non augeri; quoniam tunc citissimo cursu in mare labi potuissent. Quare legendum duxi *aquas:* ut diserte habent duo MSS. Pulm. et alii. Totum autem locum ita construendum, puto: æstus fortior Oceani, subitis verticibus contorsit, et repulit aquas cum fremitu de editioribus locis cadentes torrentis instar, quo fiebat, ut campi magis magisque aquis opplerentur, ne illæ se in mare effundere possent. Hoc clare patet ex versu 110, et seqq. Sic de repulsis aquis vs, 460: « ... contortæ verticis undæ. » Neque objiciat mihi quispiam, proprium equis esse verbum *fremere*. Nam etiam de aquis non infrequens est hujus vocis usus. Valer. Flacc. IV, 687:

> Verset aquas, sic ima fremunt, fluctuque coacto
> Angitur, et clausum scopulos super effluit æquor.

Statius Theb. IV, 816: « Fremunt undæ, longusque a fontibus amnis. » Rutilius Itiner. II, 16: « Qua fremit aerio monte repulsa Thetis. » Conf. VI, 329: « Vel tumida fremit Hister aqua. » Claudian. de Mallii Cons. 237, « Torrentes immane fremant. » Hinc *fremitus maris* apud Ciceronem, Horatium, Virgilium, aliosque. *Trementes* vitiose exaratum est in Ed. Elzev. Oud.

104. *Nox subtexta polo.* Miror, Grotium hic nihil monuisse de sua immutatione: ab ipso enim est *subtexta;* quum antea legeretur in editis, et omnibus fere Mstis *subjecta*, i. e. supposita. In Vossiano tert. et MS. 7900, habetur *subtecta:* unde Oudendorpius conjiciebat, scribendum esse *subvecta*, ut noctem tamquam Deam, bigis invectam cælo, describeret poetarum more. Sumpsisse etiam illi videbatur loquutionem Lucanus ex Virg. Æn. V, 721: « Et nox atra polum bigis subvecta tenebat. » Sic Statius Theb. I, 337: «Titanis late mundo subvecta silenti.» Opposuissetque noctem soli, ut lunæ, lib. IX, 692: « Nox cadit in cælum, lunæque meatibus obstat. » Jam vero nihil muto, et Grotium sequor in τῷ *subtexta;* quod Vossiano sec. et Marp. confirmatur. Nubila, et tenebræ *subtexere cælum* passim a poetis dicuntur. Atque illa vox majorem tenebrarum diuturnitatem, et quasi continuam noctem exprimit, quam altera. Apposite Seneca in Hippol. v. 955: « Nunc atra ventis nubila impellentibus, Subtexe noctem,

sidera et cælum eripe; Effunde pontnm, etc. » Statius Theb. I, 346: « Densior a terris, et nulli pervia flammæ, Subtexit nox atra polos. Jam claustra rigentes Æoliæ percussa sonant. » Et passim. Vide inf. VII, 519.

113. *Quoscumque emiseris.* MS. 7900 *immiseris*, quod recepit Cortius, et utrumque defendi potest: *immiseris* sc. terris, flumina jubendo remeare. Pomp. Mela, lib. III, 1, ubi de æstu maris: « Tanta vi semper immissum, ut vasta etiam flumina retroagat. » Ed.

123. *Et veniam meruere Dei.* Hoc videtur imitatus Claudianus, Ruf. I, 21: « Absolvitque Deos. » Ed. — ... *Jam rarior aer.* Alii codices *clarior.* Sed *rarior* habet MS. 7900 et accipimus: oppositum τῳ densior, spissior. Virgilius Georg. I, 418: « ...et Juppiter uvidus austris, Densat, erant quæ rara modo; et quæ densa, relaxat. »

124. *Et par Phœbus aquis, densas in vellera nubes Sparserat.* Mirum vero, si nubes et *densæ* et sparsæ sint. Dices, perinde esse *sparserat densas*, ac si dixisset, quæ prius erant. Forsan tamen corrigendum, « ... *tensas* in vellera nubes Sparserat. » Noster alibi *tensum aera, tendit æthera.* Ed. — *Vellera.* Hanc imaginem egregie ac feliciter nostræ linguæ donavit vir clar. Chateaubriant, *Génie du Christianisme.* « Ces nues... se dispersaient en légers flocons d'écume, ou formaient dans les cieux des bancs d'une ouate éblouissante. » Ed.

125. ...*Noctes ventura luce rubebant.* Grotii interpretationem non admittit Bentleius et corrigere vult: « Et *montes* ventura luce rubebant. » Montes quippe primi excipiunt lucem solis erupturi: et hic in terra res agitur; sic Ænea navigante Virgilius VII, 25:

Jamque rubescebat radiis mare; et æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

129-131. *Incipiunt, visoque... vimine parvam.* Tres hi versus non leguntur in cod. Laurentino, nisi in margine ab alia manu, et exciderunt fortasse propter v. *calles* vel *valles* in fine vs. 129, et v. *colles* in fine vs. 128, quantum ex vv. *stagnis — colles*, ab alia manu in charta crasa forsitan loco verborum: *visoque — calles* scriptis, colligi potest. Sensus et nexus enm reliquis verba genuina esse aperte docent; difficilior est res in singulis verbis. *Calles* pro *valles* vs. 129 in multis MSS. legitur, unde *colles* in Rottend. ser. et Turrian. sed facilis est lapsus in *calles* ex v. *valles;* deinde MSS. optimi habent *valles;* tum non intelligitur, cur *callium* mentio h. l. facta sit, nisi quis verbis « tectarum errore viarum » vers. 91, respondere atque ex usu militari dictum esse contendat: denique multo melius *colles* et *valles*, quam *calles* et *colles* opponuntur, ut infra 262 *campi* et *colles. Durescere* autem de tellure, ut IX, 942 et similiter supra, v. 55: « Aruerat tellus hiberno dura sereno. » Pro *reliquit*, alii *relinquit*, quod ex more Lucani defendi possit, qui sæpius perfectum præ-

senti conjungit; sed meliores codices præteritum probant. Recte denique Oudendorpius defendit *vimine*, quum quidam, (e quibus MS. 7900,) habeant *robore*. Et ita quoque Priscianus, cujus corruptus est MS. *Robur* dictum de saliee non memini: sæpissime autem *vimen*. Conf. Virg. Georg. II, 446: « Viminibus salices fecundæ. » Ut taceam de more veterum naves ex viminibus texentium. WEB.

136. *Conseritur*. Conferri meretur hic locus cum Virgilii Georg. IV, 287: « Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi, etc. »

138. *Succisum curvare nemus*. Non quærunt materiam ponti faciendo; sed materiam quæsitam et *succisam* ponti faciendo adhibent. Id ostendit τὸ *utrimque*, hoc est, ex utraque fluminis ripa. Cæsar ipse, Bel. Civil. I, 54: « Huc legionem postea traducit, atque ex utra parte pontem institutum perfecit biduo. » Quare *utrimque succisum curvare*, sine dubio idem est, ac utrimque pontem instituere. BENTL.

141. *Ac ne quid .... scisso gurgite rivus*. Converso ordine, hi versus duo in cod. Laurentino leguntur, sed nexus sententiarum et usus loquendi vulgarem ordinem probat. Versus genuinos esse nemo negabit: verum in singulis verbis aliquis fortasse hærebit. *At* quod habent aliquot pro *ac* non quadrat, neque suo loco est. *Fisso*, *scissis* ex errore vulgari librariorum orta sunt. *Rivus* denique pro *rivis*, quod fortasse ex præcedente *undis* ortum est, in melioribus libris legitur, et sine dubio probari debet. Amant enim poetæ ita loqui. *Sicoris* nunc rivus dicitur, qui, v. 14, non ultimus inter « Hesperios amnes » est. Præterea *rivis* propter præcedentia « spargitur in auleos » displicet. WEB.

143. *Dat pœnas majoris aquæ*. Si ab interpretibus quæris, quid sibi velit *majoris aquæ*, respondent, *prioris inundationis*. Hi, si volunt, hoc sensu contenti sint: at non, ut puto, poeta ipse. Sicoris, parvus fluvius, dat pœnas *majoris aquæ*, quas Gyndes olim dedit Cyro. Nota res ex Herodoto (I, 202, V, 52.), Gyndem fluvium in 360 rivos a Cyro diductum esse. BENTL.

147. *Martis amore*. MS. 7900 et octo alii *mortis*. Eadem variatio apud Stat. Theb. VII, 137: « ... ferus omni in pectore sævit *Martis* amor. » ED.

152. ... *Uda receptis Membra fovent armis*. Arma deposuisse posset quis credere, dum natarent; nam superato lacertis fluvio *arma recepta* dicit. Id vero Burmanno non placet: quo enim modo arma trans fluvium recepissent, nisi simul corpore transvexissent aut navibus trajecta fuissent. Ergo conjiciebat: « receptis Membra fovent *animis*, » ut fatigati curando

corpori aliquod tempus impenderint. Sed hac mutatione non indiget locus. Arma quidem secum transvexerant corpore, sed discincti ad natandum facilius; nunc pugnaturi rursum accinguntur. Ed.

169. *Castra locant.* Hic versus deest in cod. Laurentino, sed exciderat sine dubio ob similitudinem vocum *vallo* et *nullo*; et maxime necessarius est. *Locat* pro *locant* dedit Lips. quod probari possit; sed ortum videtur ob præcedentem sigularem *prævenit*. Deinde placet transitus a Cæsare ad milites, ut infra VII, 124, 127, 747, 751. Web.

171. *Et fratres, natosque suos videre, patresque*. Damnatur versus ab Oudendorp. et Burm. quibus varietas lectionis interpolationis suspicionem auget. Nam *hic* legitur pro *et;* in alio codice : « *Et natosque fratresque* », metro claudicante, et alia alii; denique verba, ut nunc leguntur, Oudendorpio notante, humile quid spirant. Nihilo minus versum defendendum arbitror, qui quidem a melioribus codd. abest; sed ab aliis iisque pluribus agnoscitur; præterea non intelligitur, unde versus spurius ortus sit, nisi forte per explicationem vv. *lumina conspicuos vultus habuere*, quod tamen non est verisimile; facilius autem omitti poterat, quum sensus reliquorum sine eo salvus esset. Deinde varietas lectionis talis est, quæ minime explicationem in metra redactam ostendat, sed omnibus fere locis reperiatur; ab initio versuum enim sæpe verba commutantur. *Patresque* autem facile in *parentes* abire poterat, vel in *patres*, omisso *que*, unde alius, versu claudicante, *videreque patres* tentavit. Denique sententia ipsa non habet humile quid vel Lucano indignum. Immo poeta ex more suo priorem sententiam, Cæsarianis et Pompeianis copiam mutuo intuendi factam esse, explicat, et scelus postea commissum ostendens recte addit, quemque suos, natos, fratres, patres conspexisse; quæ optime clauduntur in seqq. *deprensum est civile nefas*, id est, tunc demum, postquam parentes et fratres conspexerant suos, intellectum est, quantum nefas, quantum scelus sit bellum civile. Hæc, deleto illo versu, minus recte starent; præterea hanc sententiam Lucano admodum placuisse, probant similia I, 376; III, 326, 327; IV, 563; VII, 320, 325, 453. Recte vero singula Oudendorpium offendunt; cur enim *videre* de *luminibus* post illa *conspicuos habuerunt vultus?* deinde quid *lumina videre natos suos, fratres, patres?* Attamen neque secando, neque corrigendo h. l. opus est; putabam ego quoque oppositionem quamdam h. l. inesse, ut vs. 563, et varia tentabam; sed omnia optime habent, modo meminerimus, Lucanum, ut infra VII, 154 videbimus, interposito alio subjecto, ad prius interdum redire. Sic hoc quoque loco factum est, ut poeta ad subjectum v. *locant* redeat, et in seq. *tenuere* pergat. Nunc *suos*, quod in his et similibus fere semper omittitur, locum suum habet, ut I, 563 : « *matremque suus conterruit infans.* » Web.

186. *Classica det bello.* Priores editiones habebant, *classica dent*

bellum, quod ita tuetur Frid. Gronovius : *Dent bellum.* Sic vetus scriptura, cui subrogavit vir summus : *classica det bello.* Quid? an non classica bellum dare, juxta bene dicuntur, atque buccinæ vel signa canere ? Nam vulgatis sensus idem. *Classica* jussa cani ab Cæsare, *dent* potestatem pugnæ (nam qui pugnat injussu capital est) ; sed si classica faciant copiam prælii, tu ne audi. Nec enim, quia, quum insequenti versu dicitur, *Signa ferat*, intelligitur *Cæsar* ; ideo necesse est superius tale verbum poni ; ad quod idem nominativus subaudiatur. Classica igitur, puta Cæsaris, ad pugnam vocent. Tale est illud Ennii in annalibus : « Tonsamque tenentes, Parerent, observarent, portisculus signum, Quum dare cepisset. » Observ. IV, c. 26. Fallitur vir eximius ; quinque enim scripti, quibus usi sumus, universi habent *bello* ; et unus tantum *dent*, cæteri *det*, quare hoc merito accipimus, quum et sequente versu sit, *Signa ferat* ; ut utrobique idem nominativus *Cæsar* subintelligatur. BENTL. — MS. 7900 habet *dent bellum*. ED.

191. *Sæcula nostra.* MS. 7900 *nostri.*

196. *Pax erat, et miles castris permixtus utrisque.* Concinnius alii codices, e quibus MS. 7900 : « Pax erat, et *castris miles* permixtus utrisque. ED.

198. ... *Et permixto libamina Baccho. Graminei luxere foci.* Mendosum est et ineptum illud *permixto Baccho* : præsertim quum altero abhinc versu habuimus *permixtus*. Tolle distinctionem plenam post *Baccho*, et repone,

... et *prima sacro* libamina Baccho,
Graminei luxere foci.

Ovid. Fast. III, 733, de Baccho : « Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen, Libaque, quod sacris pars datur inde focis. » Virg. VI, 246 : « Ignibus imponit sacris libamina prima. » Valer. Flacc. V, 19 : « Ipse gravi patera sacri libamina Bacchi Rite ferens. » BENTL. — Dorvillianus habet « et permixto *libamine Bacchi* Graminei luxere *tori*, » ut *libamina* sint vinum effusum in gramineas mensas, quas pro tempore instituerant. Male alii habent. *chori* ; qui nihil huc faciunt : nisi sedentes posse *choros* dici probatum fuerit. ED.

206. ... *Seque, et sua tradita venum Castra videt.* Redit illud *castra* altero abhinc versu : « *Præcipitat castris* » quare amplectitur Bentleius codicis Regii lectionem : « ... seque et sua tradita venum *Cuncta* videt. » Sic VIII, 509 : « Regesque timet, quorum omnia mersit. » Nec vero satis modeste *sua castra*, quæ cum Afranio communia erant, ut supra v. 4.

208. ... *Atque hostes turba stipatus inermes Præcipitat castris.* MS. *Inermi*. Forte corrigendum « ... atque hostes *turma* stipatus *equestri*. » Certe *turma* legendum. Claudianus de bello Getico, 579 : « Talia nunc pediti, *turmæ* nunc mixtus *equestri*, Dicta dabat. »

212. *Immemor o patriæ, signorum oblite tuorum.* Mox sequitur *signa.* Deinde non *tuorum*, sed *meorum;* nam imperatoris sunt, non militis, ut infra IX, 379: «... mea signa sequuti.» Forte legendum: «Immemor o patriæ, *Lariumque* oblite *tuorum.* Quintilian. Declam. CCLX, p. 487: «Illud parum est, exsulem esse domus suæ, Larium suorum?» et certe si *signorum*, non *oblite*, sed *proditor. Oblite* de absentibus, non, ut hic, de præsentibus. Hæc Bentleius, cui nemo adsentiet, ut puto. Ed.

218. ... *Nullo discrimine.* Suavior et Lucano solennis, compositio est, quam dat codex Regius,

Utque habeat nullo famulos discrimine Cæsar.

230. ... *Quod pro causa pugnabitis æqua.* Priorem lectionem prætulerim, quam affert quoque MS. 7900: «... at vobis vilior hoc est, Vestra fides, quod pro causa pugnantibus æqua Et veniam sperare licet.» Egregie, nisi quod Regius paullo concinnius *vobis at.* Clara per se est sententia: ideo segnes ad prælia estis, parati ad desciscendum, quod in causa bona et pia, etiam victi veniam ab hoste speratis: illi contra, non *sceleribus*, ut vir magnus, sed desperatione veniæ obdurati sunt. Huc tendit et Cæsaris oratio, VII, 314:

... vincat quicumque necesse
Non putat in victos sævum destringere ferrum,
Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
Non credit fecisse nefas.

At contra Pompeius omnes Cæsarianos pro latronibus habet, non justis militibus, II, 531: «O scelerum ultores, melioraque signa sequuti!»

231. ... *Pro, dira pudoris Funera!* Dissentiont hic codices, pars *Funera*, pars *Fœdera.* Utrumque respuit Bentl. et sic corrigit: «pro, dira pudoris *Vulnera!*» Sic et alibi VIII, 350: «... patimurne pudoris Hoc vulnus?» Bentl.

234. *Fœdere nostro.* Hæc implicata sunt: quomodo enim *fœdus nostrum* potest Petreius dicere, qui illud disturbat sanguine multo. Omnibonus capit, quasi se jam cum militibus commemoret, quum nos paciscemur tuam salutem. Et ita fere Hortensius et Sulpitius. Si *non tibi* legatur pro *jam tibi*, v. sequenti, erit contraria sententia, hoc fœdere, si etiam cogor inire, tuam prodemus salutem et vitam, te deserturi, et ad Cæsarem transituri sumus. Conveniret aptius si legeretur «funere nostro jam tibi, etc.» Mea morte contenti, tibi a Cæsare pepigerunt salutem, et ita fidissimo tuæ causæ assertore privaris, dum reges exteros et infidos sollicitas. Sic Burmannus ad hunc locum. Quæ omnia Scholiastæ interpretatio facile redarguit. Ed.

245. *Fecit monstra fides.* Recte vir magnus *nostra* adscivit pro *monstra.*

Id fefellit librarios, quod *nostra fides* una copulabant, eodem casu et numero. Sed dividenda sunt: « Fides fecit ea crimina nostra esse, quæ alias Fortunæ crimina fuissent, in cæca bellorum nube et conflictu, quum amicus amicum, cognatus cognatum ignari jugulavissent. » Cæterum pro *nocte* probe habet Burmanni codex *nube*. Sic et alibi IV, 488: « Non tamen in *cæca* bellorum *nube* cadendum, » et VI, 297: « Ante aciem *cæca* trepidi sub *nube* timoris. » Simile est lib. II, 202: « ... *cæca* telorum in *nube*. » Virgil. Æn. X, 809: « Æneas *nubem belli*, dum detonet, omnem Sustinet. » BENTL. — Nihil notius est, quam a poetis dici passim *fumi*, *pulveris*, *telorum*, etc. *nubem*, et ita sæpe Noster; sed hic cum plurimis MSS. retineo vulgatam lectionem. *Cæca* enim *bellorum nox* est incerta confusio prælii. Vide VII, 571: « Nox ingens scelerum et cædes oriuntur. » Quis nescit vero *noctem* pro obscuritate quacumque et ignorantia sumi? VII, 520: « Noxque super campos telis conserta pependit. » *Cupressi noctem* pro, *umbra* Virgilius dixit; *nimborum noctem* idem, Propertius, aliique. — Si *nostra* antiquitus quoque lectum esset, facile paterer illam vocem. Nunc quum *monstra* exhibeant MSS. omnes, non video, cur *nostra* in *monstra* mutassent librarii. Nec videtur mihi adeo monstro simile esse illud: sensus Lucani est: iri in omne nefas, et fidem, sive homines, qui fidem invicem dederant, talia *monstra*, id est, scelera perpetrasse, qualia si facta fuissent in ipso belli et prælii tumultu, antequam se invicem cognovissent, diceretur Fortuna fecisse, per invidiam Deorum excitata, ut recte Scholiast. *Tulisset* alii sumunt pro *abstulisset*, *abscondisset*, quod non puto. *Fides* ergo *facit monstra*, quum homines sibi invicem fide obstricti scelera in se perpetrant. *Monstrum* enim hoc sensu non semel adhibetur. Statim v. 252: « omnia *monstra* In faciem posuere ducum; » X, 337: « Ultricesques deæ dant in nova *monstra* furorem; » 474: « Tot *monstris* Ægypte nocens. » Statius, Theb. IV, 395: « *Monstra* ducum stirpemque profanam Eloquar. » Et passim. OUDEND.

251. *Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum*. Hic versus a codice collegii Trinitatis abest; in codice Academiæ fertur alia manu et interlinearis, in Bersmanni post v. 253 venit. Omnino κακοῦ κόμματος, et rejiciendus. *Turba scelerum* invenuste, præsertim quum redeat illud *scelus* versu sequente. (Sed vidimus *turba bonorum* apud Albinov. ad Liv. v. 79 et *turba malorum* apud Senec. ad Helv. XII. Et passim. ED.) *Rapiuntur colla parentum*, indocte: quasi in mortuorum corpora hic sævirent, ut Marius et Sulla in civilibus odiis. BENTL. — Nullum vestigium hujus versus in Scholiasta Oudend. nec in MS. 7900 apparet. Versus præterea suspectus est, quum a pluribus codd. Cortii et Burmanni absit; in aliis a recentiori manu additus sit; in aliis extra ordinem legatur. Damnatur a Bentleio, Oudendorpio aliisque, quorum alterum exscripsimus; alter Cæsaris milites in hoc tumultu occisos, non decollatos esse contendit, parentes autem a filiis, sedato tumultu, interfectos esse negat. Mihi maxime displicet *parentum*; cur enim

colla parentum? an erant omnes Cæsariani, qui castra Pompeii intrabant, parentes? cur *parentum* tantum *colla*, neque aliorum? Quæ tamen omnia versum non damnant a pluribus MSS. probatum; a glossatore Lips. et a scholio Lips. quod ita habet: *cognatorum, fratrum, patrum capita ducis conspectu præsentabant, eredentes perire scelus, si occultaretur.* Deinde non video causam, quæ librarium moverit addere hunc versum; ratio autem, qua omissus sit, apparet. Etenim librarius in vers. 251 et 252 lapsus est, vel quia uterque a v. *Ac* incepisset, vel quia vs. 251 salvo sensu omitti poterat, librario oscitantiam suam non sentiente. Sensus autem verborum et verba singula minime interpolatorem indicant, immo hæc Lucano restituenda esse, ut jam Burm. fecit, ostendunt. Recte enim probatur *scelerum turba*, quod elegantius dictum est, quam ut a librario profectum esse possit, de multis sceleribus, quæ milites Petreii patrassent. Neque offendere debemus in repetito v. *scelus*; talia enim Lucanus non curat. Eodem modo bene a Burmanno defenditur *rapiuntur colla*; *rapi* enim ita dicitur de rebus, quæ truncantur, cæduntur. Sic II, 111: « rapuit vultus a cervice recisos; » VI, 357: « quondam Pentheos exsul Colla caputque ferens supremo condidit igni; Questa quod hoc solem nato rapuisset Agave. » Quod maxime displicet, est v. *parentum*, a Burmanno in *paventum* ex satis leni conjectura mutatum; sed cur *colla paventum?* neque locus Cæs. Civ. I, 76, conjecturam probat. Præterea *paventum* h. l. abundat, neque ad rem aliquid facit. Fortasse aliquis *parentum* defenderit, ut significet *cognatos*, *affines*, (gallice, *les parens*,) quæ significatio pluribus veterum locis probari potest; sed sunt seriorum auctorum, neque in Lucano leguntur. *Parentum* sine dubio h. l. propria significatione intelligi debet. Lucanus nefas et scelera in castris Petreii facta, ut solet, exaggerans, inter Cæsaris milites parentes fuisse fingit. Fit cædes; scelera cujuscumque modi patrantur, aucta ab ipsis militibus, qui non solum cædunt, sed capita suorum, ipsorum parentum, carissimorum *rapiunt*. E *scelerum turba* unum et maximum scelus describit *rapta colla parentum*; et sic sæpius a Lucano parentum fit mentio, ut sceleris magnitudo appareat, I, 376; III, 326; IV, 563; VII, 628, et qui locus optime cum nostro comparari potest II, 150: *Certatum est, cervix cui cæsa parentis Cederet.* Scelera tanta et talia facta sunt, inquit, ut capita ipsorum parentum raperentur. Quæ verba sequentibus, deleto puncto post v. *parentum*, conjungenda sunt; pergens enim poeta in oratione, de capitibus singulorum parentum ad *omnia monstra* transit. Ita optime verba cohærent, et jam hanc ob causam defendi debent. Scholiastes Oudend. nihil probat, nisi quod in cod. suo versum non habuerit. WEB.

252. *In facie.* Male alii *in faciem*. Noster VI, 159: « ...peterem felicior umbras Cæsaris in vultu. » BENTL. — At plurimi codd. *in faciem*, quod tueor. ED.

257. *...Phario nec tantum est æquore gestum.* Lævius tersiusque exit,

quod Bersmanni codex habet : « Massiliæ, Phario tantum nec in æquore gestum. » B.

259. *Dux causæ melioris eris.* Ipsa sententia clamitat legendum esse « Dux causæ melioris *eras*. » B.

260. *Junctis.* Hanc vocem pro suspecta habuit Heinsius, sed nihil tentat, et quamvis possit pro Cæsaris castris vicinis capi, malit Burmannus vocem quæ opponeretur *pollutis agminibus*, ideo conjicit « *sanctis* committere castris. » Cæsaris nimirum quæ a scelere et perfidia pura erant. Hoc mihi vix placet. Ed.

264. *Prærupta cingere fossa.* Marklandus corrigebat *præducta*, et notum est veteres sæpe dixisse *præducere fossam* : sed hoc non ideo est ubique intrudendum.

274. ...*Non ullo constet mihi sanguine bellum.* Placet magis, quod alii libri afferunt, *vulnere* : quia mox redit illud alterum, « gaudebit sanguine fuso. » Cæsar Bello Gall. III, 24 : « Tutius arbitrabuntur esse sine ullo vulnere victoria potiri. » Et iterum Gall. III, 86 : « Ita sine periculo legionum, et pæne sine vulnere bellum conficiemus. » Tacitus Hist. III, 13 : « Huc cecidisse, ut sine prælio, sine vulnere, vinctas manus et capta traderent arma. » B.

276. *Invisa luce.* Cum Ascensio et Versellano, *contempta* prætulerunt Sulpit. Micyll. et Hortens. Sed efficacius est *invisa*. Contemnebant enim non modo jam vitam, sed etiam oderant, et mori, quam vivere malebant : *damnata luce* dixit Noster hoc lib. 534, et *invisi venti*, lib. IX, 77. Seneça de Brevit. Vitæ c. 16 : « Non sunt illis longi dies, sed invisi. » Consol. ad Marciam c. 3 : « Invisam habebis lucem. » Plane eodem modo Tragicus in Troad. 940 : « Abrumpere ense lucis invisæ moras. » Oudend.

278. *Incumbet.* Placere sibi testatur Burmannus *Incurret gladiis*, quod sæpe variatur in codd.

282. *Substituit merso dum Nox sua lumina Phœbo.* Salvo sensu versus abesse potest, et in codicis Lipsiani margine additus videtur. Sensus verborum hic : Cæsar animos minaces languescere passus est, dum nox lunam et stellas in locum solis mersi suffecit, supposuit. *Lumina* sunt stellæ, ut recte glossa Lipsiani codicis habet. Ovid. Met. XV, 186 : « Cernis... jubar hoc nitidum nigræ succedere nocti. » Male autem *sustinuit* pro substituit in nonnullis codd. quod hoc loco neque quadrat neque dicitur. Web.

283. ...*Miscendæ copia mortis.* Ita quidam MSS. efficacius quam alii libri, *miscendi martis*. Gr.— Pace tamen viri magni revocamus alteram lectionem, *miscendi copia martis*, vel ob id unum, quod præcesserat, vetito passus languescere bello. Quin et aliud est mortes miscere, aliud mortem. At mar-

tem miscere, ut VI, 80 : « Major cura ducem miscendis abstrahit armis. » VIII, 421 : « ...quam quod vobis miscentibus arma. » BENTL.

284. *Fugit ira ferox.* (Sic Burm.) Alii *cadit*, quod Oudendorp. dedit; sed mox addit : supra habuimus *cadat impetus*. X, 536 : « ...sed non auctore furoris Sublato cecidit rabies. » Ovidius, passim etiam *cadere* spem, metum, pudorem et similia dixit; Amor, II, 13, 4 : « sed cadit ira metu. » Epist. Leandr. 2 : « si cadat ira maris. » Propert. lib. II, 1, 2 : « cecidit spiritus ille tuus : Virg. Georg. III, 138 : «cadit cura.» Hic tamen, quum mox præcedat *cadit*, elegantior, ac in hac significatione rarior vox *fugit* esse videatur, quam ut ab inscitis librariis proficisci potuerit, ab nova hac lectione non alienus sum. Ovidius Metam. VII, 859 : « Labitur, et parvæ fugiunt cum sanguine vires. » Sic *cedere* apud Valer. Flacc. IV, 483 : « jam tandem cessere iræ. » *Decedere* Seneca de Ira I, c. 8. « Ira evanescit, et sua sponte decedit. » BURM.

288. *Adduxere.* Ita rescribi curavi pro *abduxere*, quod, nescio qui, irrepsit in editionem Grotii, et ex ea in sequentes. *Adducere* est contrahere, adstringere. Virgil. Georg. III, 483 : « ... ignea venis Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus. » Ovid. Metam. III, 397 : « Adducitque cutem macies. »

290. *Adligat, atque animam.* Sic rectius legas, quam *animum*, ut IX, 59 : « Atque animam clausit dolor. » Pro *adligat*, Heinsius videtur maluisse *aggelat*, ut « corda metu glaciante » Statio Theb. X, 617. Sed Noster, I, 246 : « ...galidus pavor adligat artus. »

291. *Postquam sicca rigens adstrinxit vulnera sanguis.* Seneca Epist. p. 359 : « Et per adsiccata vulnera recens dimittitur sanguis. » Et Epist. 59, § 13 : « Deinde quum, represso sanguine, sicci vulneris dolor cresceret. »

310. *...Nigro si turbida limo Colluvies immota jacet.* Non bene inter se congruunt *turbida* et *immota*. Recipimus ergo ex aliis codicibus, quod per se significantius est : « Colluvies *immunda* jacet. » Sic alii, *immundus fimus*, etc.

317. *...Et si quos palmite crudo, Arboris aut tenera succos pressere medulla.* Quum palmitem vitis nominavit, non dicendum erat *arboris* in genere, sed peculiaris cujusdam arboris. Corrige : « *Sambuci* aut tenera succos pressere medulla. » Nam plurima inter omnes arbores sambuco medulla est. BENTL.

322. *Pallida Dictæis, Cæsar, nascentia saxis Infundas aconita palam.* Dant alii *Diteis*, ubi sic Beroald. A Dite, id est Plutone, derivat *Ditea* saxa, et hoc magis placet, quam ut intelligas *Dictæis*, id est, Cretensibus, a Dictæo monte Cretæ. *Infundas aconita palam.* Aconitum omnium venenorum ocissimum est. Folia habet cucumeris, radicem modicam camaro

similem marino. Quare quidam *cammaron* appellavere. Nascitur in nndis cantibus, quas *aconas* vocant, et ideo *aconitum* dixere, ut Ovidius et Solinus tradunt. Fabulæ narravere e spnmis Cerberi natum aconitum, extrahente ab inferis Hercnle, quod etiam non tacuit Plinius. Illa saxa, in qnibus nascitur aconitnm, ideo Lucanus appellat *Ditea*, id est, Plutonia, qnoniam ab inferis est ejus origo; sive qnia est mortiferum, vel quia apud Heracleam Ponticam gignitnr, nbi monstratnr aditus ad inferos. Ber. — Ovidius eamdem herbam *Hecateidem* vocat, quod ab Hecate primum sive ipsa, sive vis ejus deprehensa fnerit. Mic. — Inspici hic etiam potest Plinius, lib. VI, c. 1; lib. XXVII, c. 2. Verum nemo, præter Lncannm, dixit, aconitnm nasci in Creta, ubi vulgo herbæ omnes salubres nasci eredebantur. Propert. El. II, 1, 63: « Cressis Epidaurius herbis. » Dicendum igitur, qnod Lucanns legens aconitum nasci in monte Ida, male illud intellexerit, et Idam Cretæ cum Ida Phrygiæ confnderit. Quæ confusio certe iis montibus accidit circa Jovis natalem locum; ut docet Scaliger ad Propertium, El. III, 1, 63: « Idæum Simoenta Jovis cnnabnla parvi. » Malim tamen ego locum corruptum pronnntiare cnm aliis, et non *Diteis*, quæ vox est nihili, cum Beroaldo legere, sed *pallidaque Idæis;* vel *pallida et Idæis.* Solo sententiæ ductu, et orationis filo emendaram *pallidaque Idæis.* Qnam emendationem non leviter stabilire, mihi visus est codex Mst. Hulstii, in quo habetur *Pallida et Dictæis.* At extra dubium meam conjecturam ponit locus Nicandri in Alexipharmacis, v. 42, ubi loquitur de aconito Ἴδης ἐν κνημοῖς, etc. Idam intelligit Troicam, ubi aconita nascuntur, et non in Dicte, monte Cretæ. Qunm igitur orationis nexus, manuscripti auctoritas, Nicandri similis locus, et aconiti crescendi solum hnic emendationi faveant, mirnm erit, si non vera sit. Oudend.

328. *Rescissoque*, etc... *nocturnumque aera captant.* Versus Gnjeto suspecti sunt propter varietatem lectionis, quæ tamen explicari potest. Describit poeta magnam sitis vim et dolores, maxime eos, qui ducto aere in palato oriantur: palatum enim præ nimia siccitate non constrictum, clausum fuit, ut Oudendorpius vult, quod jam in præcedentibus dictum est, sed rimarum plenum, et præ nimia combustione, saucinm, tam aridum et rimosum, ut ipsa suspiria, ipse aer noceret, novosque dolores pararet. Simili modo Lucan. IX, 500; Ovid. Met. VII, 554; XI, 130; Propert. IV, 9, 21; Virgil. Æn. V, 199. In singulis verbis nonnnlla notatu digna sunt. *Reciso*, qnod Cortius vult, stare non potest, partim metri causa, ut supra vidimus, partim propter sensum, qui *rescissum*, id est, in rimas scissum, rimosnm flagitat. Sic Apnlei. Met. IV, p. 152: « fauces diutina fame sauciæ et araneantes, » et Virgil. Georg. II, 353, de terra: « hiulca *siti* findit canis æstifer arva. » Inde recte quoque *dura*, cujus loco alius *dira* ex solenni errore, alii *longa* ex mntatione docti alicnjus habent. *Longa* autem et *ducta*, quod Burm. vult, h. l. nihil ad rem facinnt, sed *dura*, id est, gravia, graviter toleratu, ut Ovid. Met. VII, 557. Quam-

quam suspiria nocent, pergit poeta, ora tamen aperiunt et aera captant; *tamen* enim pro *siti*, posito semicolo post v. *palato*, ex optimis codd. ego, sine quo sequentia cum prioribus non cohærent. *Siti* autem languet additum fortasse ex IX, 500; neque explicari potest, ut sit *aperiunt ora, sed siti*, id est, tantum ut aer sitim magis inducat. Sequentia quoque v. *tamen* probare videntur, in quibus sine dubio *nociturumque aera* ex Bentleii et Dorvillii conjectura scribi debet. Sæpius *nocturnus* et *nociturus* confunduntur; *nocturnus aer*, licet sit frigidus et sitienti amœnus, h. l. non quadrat, ubi poeta sitim hoc ipso solatio adauctam vult. Quomodo *sitis* urgeat, in sequentibus declarat: *exspectant imbres*, quibus antea oppressi erant. Sufficit *exspectare*, cujus loco Bentl. audacter *exoptant* correxit; sequentia enim *et vultus in nubibus hærent* cupiditatem et desiderium imbrium satis exprimunt. In Vossiano I denique, *Exspectantque* legitur; sed copula non opus est, modo colon post v. *hærent* ponamus, sic ut a verbo *exspectant* novi aliquid in descriptione incipiat. WEB. — Ineptum et ignavum est illud *siti*: quorsum enim pulcherrimis versibus sævissima jam descripta est sitis, si nunc demum *sitim* nominat? Neque magis placet *nocturnum aera*: nam esto ut frigidior sit: quid agendum erat interdiu? Codex Bersmanni et duo Regii pro *siti* habent *tamen*; unde nascitur emendatio. Dixerat enim, quod verum est, ex ipsa inspiratione et exspiratione aeris, et crebro anhelitu, ora aridiora facta, sitimque auctam esse: corrige igitur: « Rescissoque.... Pandunt ora *tamen nociturum*que aera captant. »

345. *Non deerat fortis rapiendo dextera leto.* Placet aliorum codicum lectio: « capiendo dextera leto, » ut I, 451: « animique capaces Mortis. » BENTL.

346. *At nunc sola mihi est orandæ causa salutis.* Scripti, quos viderim, omnes alio ordine: « At nunc *causa* mihi est orandæ *sola* salutis. » BENTL.

347. *Dignum donanda, Cæsar, te credere vita.* Burmannus vult corrigere *me credere*; addita causa, quia scil. non studiis partium agimur: vel servata vulgata, etiam potuit dixisse, hanc esse causam orandæ salutis quod, tu, Cæsar, credas sponte tua (me) dignum esse vita. Neutrum eliget lector. Manifeste Cæsar opponitur degeneri hosti, v. 344, a quo veniam rogare dedignaretur; sed Cæsarem virtute sua dignum censet, cui supplicet et a quo vitam accipiat; quam sua manu erepturus fuisset, si in degeneris potestatem devenisset.

352. *Hesperias.* Thuan. III, *Hesperiæ* quod ego mallem. Ea enim lectio mollior et præferenda, ne omnia hujus versus verba in literam sibilantem exeant. ED.

357. *Otia des fessis.* Alii *da*, minus bene cum *patiaris* congruens. Pro *iner-*

mes, plerique *inermem;* male; addit poeta, *quam tribuis*, scil. vitam, non vero *vitam inermem :* ita ot in arbitrium Cæsaris ponat qoam deinde vitam velit eos, positis armis, agere, an in patriam redire jobeat, an in eolonia eollocare. *Fessis* denique Burmannus capit pro *veteranis*, eo senso quo Horat. Carm. III, 4 : « Fessas cohortes abdidit oppido. »

362. ... *Victos ne tecum vincere cogas.* Alii codices mollius: « Hoc petimus, victos *tecum ne* vincere cogas. » BENTL.

364. ... *Atque usum belli, pœnamque remittit.* Placet aliorum librorum lectio : « Atque *usus* belli pœuamque remittit. » ID.

367. *Incumbit ripis, permissaque flumina turbat.* Quomodo autem *turbat* flumina, si non oltra *ripas* procurrit? Scribe : « *Incumbunt rivis*, permissaque flomina turbant.» Non in tanta siti ripis eonsistunt, sed in ipsa flomina prosiliont. Cæterum Cortio *Incumbunt* et *turbant*, etsi in priore verso sit, *miles decurrit*, placet : nam ita supra, 313: « ... moriensque recepit Quas nollet victuros aquas : rituque ferarum Distentas siccant pecudes. » Statius Thebaid. IV, 818, in siti plane simili: « *Incubuere vadis* passim discrimine nullo. » ID.

371. ... *Sed morbus egens.* Lego: « sed *moris* egens. » Seneca Epist. p. 290 : « Sicut distillatio una, nec adhue in morem adducta tussim facit. » Seneca Nat. Qu. VI, 14, p. 797: « Neque enim in nobis febris alias partes moratius impellit, sed per omnes pari æqualitate discurrit, » ubi plura Gronovios. ID.

374. *Parvo contenta paratu.* Scio sæpissime *paratum* sumi pro *apparatu*, et sie iu re cibi ab Ovidio Metam. VIII, 683 : « Et veniam dapibus, nullisque *paratibus* orant. » Præfero tamen hie lectionem nobis servatam a MSS. optimis, *paratis*. Neque aliter legit Seholiastes. Ordo : numqnam eontenta parvo *paratis*, id est, parvo emptis; nam *emere* dieitur *parare*. Cicero de Finibus I, e. 13 : « Natura divitias, quibus contenta sit, et *parabiles*, et terminatas habet. » Seneea, Ep. IV et V : « res non magno *parabiles*. » OUD.

380. *Murraque bibunt.* Murra gemina est, quæ in oriente uascitur. Humor enim sub terra ex calore dureseit in morem crystalli, et habet porpureum colorem. Alii dieunt, murram esse genus ligni; unde fiunt poeula odorata. Ut Virgil. « *murraque* madentes. » Unde *murratum* dicimus vinom; vel *murra* genus est vitri optimi; unde et *murrina* pocula dieuntur. SCH.— Male Seholiastes *myrrham* cum *murra* seo μόῤῥᾳ lapide, unde murrina fiunt pocula, cum aliis confundit. Propert. El. IV, 5, 26 : « *Murreaque* iu Parthis pocula cocta focis. »

381. ... *Satis est populis fluviusque Ceresque. Heu miseri, qui bella*

gerunt! Male hæc connectuntur in libris editis : quasi fluvius et Ceres satis esset bella gerentibus, sed non aliis. Minime hoc vult auctor. Et in bello et in pace panis et aqua naturæ satisfaciunt. Illa vero, *Heu miseri, qui bella gerunt!* ad sequentia pertinent: victi enim, nudi et spoliati, gratulantur sibi omnia dedecora, ob militiæ vacationem.

383. *Victori miles, spoliato pectore tutus.* Hæc verba desunt in fragmento S. Germ. quum sensus, qui sine his quodammodo constat, librarium in errorem induxisset. Sed ne recte quidem abesse possunt, quia subjectum ad v. *relinquens* requiritur. Versus ipse bene se habet, et Lucano dignus est; quod ostendit v. *tutus spoliato pectore*, quo egregie variatur et explicatur sententia prioris versus. WEB.

397. *Et non deductos recipit sua terra colonos.* Solenni varietate *diductos* multi codices. *Repetit* unus, quod Burmannus elegantius putat. Quum enim, inquit, delectibus exhaustæ essent urbes, nunc belli expertes et dimissos feliciores esse hos dicit, qui securi in patriam suam poterunt reverti, illis militibus, qui demum confecto bello, præliis et laboribus exhausti et fessi, deducerentur postea, non in patriam, sed in colonias diversas. Hos autem sua terra, sive patria, tam *recipit* quam *repetit.* Immo *recipit* sensum leniorem et jucundiorem, tamquam quietis et otii post ærumnas et laborem belli, afferre mihi videtur. *Non diductos*, si placet, poterit explicari, non remotos, separatos a patrio solo et cognatis suis, nec in longas colonias ductos. ED.

399. *Quod abest favor.* Ita rectius MS. quam *pavor.* Optime Grotius τὸ *favor* Lucano restituit, quod exsulabat Sulpitii et Aldi culpa, qui primi ex editoribus *pavor* intruserunt. *Favor* etiam est in variis lectionibus; *timor* Marp. Ipse auctor exponit per sequentia quid sit *sollicitus favor abest*, quod vidit olim jam Scholiastes dicens : « pro favore Cæsaris non erant solliciti, quia Pompeius dux eis fuit, neque pro Pompeio, quia Cæsar donavit eis vitam. Positi itaque extra bellum nullis partibus favent; quia obnoxii sunt utrisque. » OUDEND.

406. *Confisus gente Curetum.* Recte Sulpitius, qui locum hunc de Corcyra exponit : sed tamen hoc ipsum non de illa Phæacum, quæ Homero χερία, Callimacho etiam Δρεπάνη, ut Plinius indicat, aliquando dicta fuit, et in Ionio mari, e regione Epiri sita est, sed de ea, quæ in Hadriatico sinu ex adverso Dalmatiæ posita, cognomento Melæne dicitur, accipiendum videtur. Id enim et ea, quæ præsenti loco de Salonis, de Ponto Hadriatico adduntur, et illa item, quæ infra de Histris et Liburnis dicuntur, manifesto arguunt. Et accedit, quod Florus quoque scribit, Dolabellam et Antonium « fauces Hadriatici maris occupare jussos, etc. » quod de Corcyra Phæacum, quæ in Ionio sita est, haudquaquam intelligi potest. Quamquam fortassis ab hac altera illa quæ Melæna cognominatur, nomen accepisse videri queat, perinde ut et

portus Corcyræus, qui in litore Illyrico circa Dyrrhachium fuit. De qua Appianus meminit libro secundo. Sed hoc nihil ad rem præsentem. Illud autem, quod ejusdem loci populum poeta vocat, difficultatis non parum habet. Quare verisimilior eorum sententia videtur, qui peculiarem Dalmatarum, sive Liburnorum populum *Curetas* accipiunt. Mic. — Gentem Curetum exponit Micyllus, tum diligenter, tum oppido quam erudite. Insulæ Liburniæ adjacent potissimum tres, ad summum quatuor, Apsorus, Curicta, et Scardona. Verum illud in Floro urget, quod dicat C. Antonium castra in *Corcyræo litore*, idque in faucibus Hadriatici maris posuerit, accipiendum omnino est de *Corcyra* e regione Epyri, aut si ea, quæ Dalmatiæ adjacet, est intelligenda, mendum subest, in una litera mutata ε in ο, scribarum vitio admissum pro *Cercyra*. Strab. Geogra. lib. VII, tradit, montem esse, quæ intersecat Dalmatiam mediam maritimam *alteram partem, alteram* parte diversa. Deinde, inquit, Naron fluvius, adversus quem Melæna, sive Nigra insula est, quæ et *Cercyra* vocatur, Gnidiorum conditio. Hort. — MS. *Curitum*, ac de gente Illyrici exponit Bersm. — Omnino cum MSS. legendum est *Curictum*. Curietas vocat Plinius III, 21. Κυρακτικὴ hæc pars Straboni. Grot. — Cum Hortensio Vossius etiam intelligit incolas Cercyræ Nigræ a Curetibus, seu Cretensibus, ibi in coloniam ductos; ad Cæsarem B. C. III, 10: « militumque deditione ad Cercyram. » Et sane lectioni τοῦ *Curetum* non obstaret, quod primam fecisset brevem Lucanus. Id enim et in aliis multis fecisse, vidimus ad lib. I, 675; III, 249. Rectius tamen putem esse *Curictum*, quod vetustissimi servant libri, et jam dudum viri docti in Floro restituerunt lib. IV, c. 2: « Dolabella et Antonius, ille Illyrico, hic Curictico litore castra posuissent. » *Curictum* reposuit Oud. — Sed Burmannus solam veram lectionem tuetur *Curetum*. Curetes enim litora maris Hadriatici late tenuerunt, et in primis contra Corcyram insulam; immo se extenderunt in Acarnaniam et Ætoliam, quæ regiones terra Curetum dictæ sunt, ut hoc probavit Palmerius, in Græcia antiq. lib. IV, c. 2 et 10. Et Græci geographi passim ita totum illum tractum vocant. — De Cercyra insula intellexit Marmontel. Ed.

408. *Antonius*. De tempore, quo hæc gesta sunt, et de loco disputatum est. Ego puto, inquit Glareanus, hæc ante Cæsaris in Macedoniam adventum (quemadmodum ex Floro colligitur) facta. Cæsar autem in Comment. de bello Civili III, Opiterginorum historiæ non meminit, nisi in eo libro sit aliquis defectus, quod equidem puto. Neque enim verisimile est, Cæsarem omisisse, quum Crastini, in pugna Pharsalica cæsi, unius tantum viri, tam claram mentionem postea fecerit. De hominibus item non convenit, nam Antonius se hostibus dedisse, item Antonium Brundusii substitisse, ad reliquam Cæsariani exercitus partem deportandum. Denique Antonium cum Dolabella maritimis bellis in maris Hadriatici angustiis præfuisse, in hac historia traditur. Sed duos hoc tempore fuisse Antonios pro Cæsare, notandum est. Alterum Marcum, qui Brundusii subsistebat ad transferendum

exercitum, cujus Cæsar lib. III, de Bel. Civili meminit. Alterum C. Antonium, qui Corcyræ ad deditionem coactus videtur, cujus et Opiterginorum classis fuit. Poeta et loca, et homines egregie confundit. Quum enim de Salonis proponeret, statim de Curetibus, et insula mentionem ingerit. Antonios duos commisit pro uno : quamvis unus solus in periculo fuerit. Porro in navi Opitergina plenam vix cohortem fuisse, hic poeta ait, quum Florus dicat vix mille. GLAR.

412. ... *Spoliabat gramine campum Miles.* Repone, *spoliarat*, ut mox *vulserat* : neque enim, credo, *castrorum* herbas prius comederant, quam *campi*. BENTL.

420. *Namque ratem*, etc. Hortensius et Bersmannus pu ant, in ea historia dissentire a Cæsare Lucanum, et ab Antonio scaphas tales sexaginta instructas esse ; quum tamen in vulgaribus Cæsaris editionibus tantum novem ponantur; et eæ, cratibus pluteisque contectæ, ac militibus impletæ, unam Octavii Libonis quadriremem intercepisse dicantur, etc. quæ sane historia nihil habet commune cum illa, quæ hic narratur. Mihi autem videtur hic esse Lucani sensus : Rates esse factas ex cupis, super illas positis trabibus, seu tabulatis, et ab utroque obliquo latere majoris navis fuisse collocatas; unde dicit *ordinibus geminis* ; ita ut inter navim, et rates istas ex cupis constructas tantum maris interesset spatium, ut latentes remiges remos in eo movere facile, et sic navem cum ratibus propellere potuerint. Sub τοῖς *nec gerit* subintelligitur *ratis*, de qua constructione jam sæpe dictum. Mire hæc exponunt alii interpretes ac Scholiastes. Fuerunt autem tres ejusmodi cupis munitæ, et constructæ naves. Vide V, 431, 452; Flor. lib. IV, 2, 33, has rates a Basilo esse adductas, non ab Antonio factas ait : « Missæ quoque a Basilo in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat. » — *Vacuæ cuppæ*, sive, ut potius legendum, *cupæ*, sunt κενὰ οἰνοφόρα σκεύη, quæ in simili re Maximo ad Aquileiam usui fuere. Consule Herodianum, lib. VIII, c. 4, et Casaubon. Salmasiumque ad Julii Capitolini Maximinos, c. 22 : « Ponte itaque cupis facto. » Pro *ratem* Heinsius corrigebat *cratem*; sed huic loco non convenit. Nam cratibus contectas fuisse has tumultuarias naves vix credam. Sed ratis erat imposita cupis. Cupam ingens vas vinarium instar seriæ vel dolii esse, et inde ad frumentum conservandum et ad pontium fabricam adhiberi, ostendit Bentl. ex hoc et aliis locis ad Horat. Serm. II, 2, 123. WEB.

431. ... *Cunctas super ardua turris Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.* Cunctas super ἐγκλιτικῶς, super cunctas, sive omnes tres rates eminet turris et tabulata. At acutissimus Nic. Heinsius ad Silium IX, 641 : *Junctæ*, inquit, *tabulata turris* : sic lego, non *cunctas*. Non intelligo : nam in hac verborum constructione dicendum erat *eminent*, non *eminet*. Sed multa sunt condonanda in opere postumo. BENTL.

443. *Præda nescit latrare reperta.* Nimis studiose hæc carpit Vlitius, quasi contra naturam canum sagacium, seu inductorum esset non latrare, quum jam prædam invenerint; iique tantum silerent, quum nondum invenerint. Verum hic bene distinguenda ἰχνευτικὴ, de qua agit Lucanus, et πολεμικὴ, venatio. In ἰχνευτικῇ enim canis numquam debet latrare, etiamsi prædam invenerit, si bonus sit, sed sistere se tantum, et motu caudæ cubile monstrare. Quamquam hæc confundere solent poetæ, non magni vulgo venatores. Eleganter Seneca in Thyeste 497 :

> Sic quum feras vestigat, et longo sagax
> Loro tenetur Umber, ac presso vias
> Scrutatur ore; dum procul lento suem
> Odore sentit, paret, et tacito locum
> Rostro pererrat: præda quum propior fuit,
> Cervice tota pugnat, et gemitu vocat
> Dominum morantem, seque retinenti eripit.

Silius X, 77 :

> Ut canis occultos agitat quum Belgicus apros,
> Erroresque feræ solers per devia mersa
> Nare legit, tacitoque premens vestigia rostro
> Lustrat inaccessos venantum indagine saltus :
> Nec sistit, nisi conceptum sectatus odorem
> Deprendit spissis arcana cubilia dumis.

Ubi vide Comment. Sed de tota re conf. Gratium, vs. 181, 208, 213, 231; Poet. Lat. Min. tom. I, pagg. 50—52, et ibi notas. Quod autem Noster dicat, canem ostendere cubile moto loro, sive colli concussione, unde tremit lorum, id alii cum Gratio ibid. vs. 237, dicunt rectius a cane fieri mota cauda, vel rostro. Unde forsan Sulpitius male *lorum* hic pro *cauda* per translationem dici opinatur. In Wittiano est *lustrasse* : ut tantum notet canem loro retentum investigasse cubile, eaque re contentum esse. In Vossiano sec. pro var. lectione *laxasse*. De taciturnitate canis investigatoris consulendus Plinius VIII, 40 : « Scrutatur vestigia, atque persequitur, comitantem ad feram inquisitorem loro trahens : qua visa, quam silens et occulta, quam significans demonstratio est, cauda primum, deinde rostro, etc. »

446. ... *Quo tempore primas Impulit ad noctem jam lux extrema tenebras.* Durum hoc et plane ferreum, *lux impellit tenebras ad noctem*; certe *detinet* potius quam *impellit*. Codices alii *Impulit*, alii *Impedit*, quidam *Impetit.* Miror vero cur illud Grotius primus in textum receperit; nec tamen vel verbo explicaverit. In prima editione hoc ponit : *Impulit ad noctem :* sic legendum, non *Impedit* aut *Impetit :* in tertia vero omissum hoc est; neque eo minus *Impulit* in textu retinetur. Nos revocemus priorem

lectionem *impedit*, hoc est, detinet, tardat, demoratur. Bentl. — Burmanno *impedire tenebras* non videtur dici posse, nisi dure admodum, quum lux extrema non efficere possit, quominus tenebræ se intendant. Inde cogitabat *inlicit* vel *elicit*, ut deficiens lux evocet quasi tenebras; vel *implicat*, ut ita lux extrema *implicet* tenebras, se misceat tenebris incipientibus, quem sensum vidit Marmontel. Audacius vero Cortius refingit: « quo tempore primas *Impedit* ab nocte jam lux extrema tenebras, » quo nec sensus melius constat. Ut *Impedit* recipiatur multum facit Priscianus, qui hunc locum adducit, cap. 1166, 1175, ut probet *impedire rem* latinum esse. Ed.

459. *Restituit rupes tectum mare*. Sensus erat commodus, nisi refragarentur MSS. qui *raptus* habent. Gr. — Emendationis *rupes* nec sensus commodus est, nec ad alterum comparandus. Cæterum pro *tectum mare*, quod sine manuscriptis non sollicito, dedissem equidem moralem huic sententiæ affectum: « ... restituit raptus *justum* mare. » — *Mare*, i. fluctus suos, quos invehendo in cavernas texerat. Scholiastes putat, melius legi *ruptus*, quod notaret vulgari magis verbo *fractus*, elisus in scopulos, et sic repulsus. Utrum placuerit, mihi perinde: modo *raptus* sumatur nominative, nisi præferres in hac re ingeniosam viri docti conjecturam *ructus*, quod optime responderet τῷ *evomuere*. Scopuli revomere æquor dicuntur VI, 24, et similia passim ludunt in hoc negotio poetæ. Adi Silium II, 306:

Nos ratibus laceris Scyllæa replevimus antra,
Classibus et refluo spectavimus æquore raptis,
Contorta e fundo revomentem transtra Charybdin.

Propius accedit Sidonius Apollin. Carm. IX, 162:

Vel Tauromenitana quos Charybdis
Ructato scopulos cavat profundo.

Val. Flacc. IV, 345: « Qua rigidos eructat Bosporos amnes. » Oud. — Maluit Oudendorp. græce *Charybdin*, quam ut circumfertur per *m*. *Tectum* tamen *mare* in accusativo casu sumendum esse, docent sequentia *quumque cavernæ Evomuere fretum*. Hinc videtur etiam esse motus ὁ πάνυ J. F. Gronovius, qui *raptus* adjective in nominativo accipit casu, id est, pontus reciprocante æstu relatus et revocatus. Ed.

472. ... *Nam condidit atra Nox lucem dubiam*. Friget et sordet hoc præ illa aliorum codicum lectione: « nam condidit *umbra* Nox lucem dubiam. »

480. ... *Admoto occurrere fato*. Hic multum se torquet Bentleius. Non attingit ad loci sententiam Grotius, inquit, quæ mihi primum per vestigia sua indaganda erat, atque ea reperta, mox loci non sani emendatio sponte

sua se obtulit. Vulteius dux, ipse senior, juvenes milites alloquitur; et ipse moriendi certus, ad societatem mortis illos hortatur:

> Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
> Quærendæ sibi mortis habet: nec gloria leti
> Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.

In hac oratione duo opposita sint, necesse est: id flagitat disjunctio *nec*, et comparatio *Inferior*. Nulli, inquit, quantumvis *seni*, parum vitæ superest, (nota, brevis *superest*, non brevis *est*) cui in illa brevitate copia mortis sibi inferendæ est: et par gloria *juvenis* est, si admoto et non effugiendo fato, sponte et obvius occurrat. In hac ergo laude pares sumus ego senex, et vos juvenes. Repone igitur: « ... nec gloria leti Inferior *juveni est*, admoto occurrere fato. » Tum eamdem sententiam variat et exaggerat in illis, quæ sequuntur: « Omnibus incerto, etc. » Et in his itidem duo sunt opposita: quod satis indicat comparatio *Par laus*. Quum et seni et juveni tempus vitæ incertum sit, par animi et fortitudinis laus est, seu juvenis mortem sibi consciscens multos vitæ annos perdat, sive senex jam morti proximus ultimum lucis momentum sibi abrumpat, dummodo manu sibi mortem acceleret. Rursus ergo vos juvenes et ipse senex pares sumus. BENTL.

482. *Speraveris annos perdere*. Minime damno, sed præfero hanc lectionem, plurimis MSS. et Prisciano c. 691, firmatam. Forsan tamen non male in Vossiano primo a manu prima est *spiraveris* i. e. optaveris magna cum confidentia tamdiu vivendi. OUDEND.

484. ... *Non cogitur ullus Velle mori. Fuga nulla patet*. Nec hic melius explicat Bentleius: Non igitur jubeo hoc, non impero, ut manu mortem arcessatis: res ipsa satis hoc præstat: *fuga enim nulla patet*; aut vestra manu aut hostili, certe vobis moriendum est.

485. ... *Stant undique nostris Intenti cives jugulis*. Apage illud *cives*: veniam potius promitteret illud vocabulum, quam, quod hic quærit Vulteius, desperationem adferret. Corrige certissime: « stant undique nostris Intenti *Cilices* jugulis. » *Cilices*, piratæ illi et latrones, sanguinis avidissimi: qui in classe hostili erant. Supra 449: « At Pompeianus fraudes innectere ponto Antiqua parat arte *Cilix*; » sed hanc emendationem a Rutgersio præreptam esse postea deprehendi. Ipsum vide Var. Lect. I, 12. BENTL. — Sed non video quare hostes non licuerit Vulteio *cives*, i. e. membra ejusdem reipub. vocare in hoc civili bello ad augendam invidiam, et quia in civilibus bellis crudelius exercere victoriam solent cives, et in primis Pompeiani, quam externi hostes. Plures certe in illis erant cives Romani, licet adessent auxiliares ex aliis gentibus, inter quos præcipue v. 529 infra Histri et Liburni nominantur. Non tamen Vulteium recte Opiterginos cives vocasse putat

Dorvillius, quos *comites* vocat v. 516, sed cives dici Histros et Liburnos respectu Opiterginorum, et, si qui inter hos Romani, eos dici cives respectu Vulteii puto. BURM.

487. ... *Metus omnis abest.* Codices Bersmanni, Pulmanni nostrique omnes habent, *Et metus omnis abit*, vel *abest.* Prior vera lectio est. Noster ubique est Stoicus, quorum illud κέκριται notissimum est. Κρίνετε, decernite, statuite mori; et ipso illo decreto metus omnis evanescit: pro metu subit audax et obstinata desperatio. Dido apud Virgilium, Æn. IV, 474:

> Ergo ubi concepit furias evicta dolore,
> Decrevitque mori; tempus secum ipsa modumque
> Exigit, et mœstam dictis aggressa sororem,
> Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.

Cæterum *abest* ideo prætulimus τῷ *abit*, quia mox v. 491 redit hoc, et in cæsura quoque: « In medium mors omnis abit. » Ovid. Amor I, 10, 9: « Nunc timor omnis abest, animique resanuit error. » Virgil. Æn. XI, 14: « Maxima res effecta, viri, timor omnis abesto. » Iterum Naso Trist. I, 1, 43: « Carminibus metus omnis abest. »

488. ... *Cadendum est.* Aufer illud *est*, quia et prior versus sic exibat, *necesse est.*

489. *Ut quum.* Ita restituimus, pro *Aut.* GROT. — Recte Grotius, ut ex Bersmanni codice patet. Sed quid illud, quæso, «sua tela involvunt acies permixtis tenebris?» Non capio illud *permixtis:* quo enim modo, quave re? Codex quidam *permixtas acies.* Melius profecto: hoc est, pugna permixtas. Sed adhuc aqua hæret, illo enim tempore non *telis*, pilis, sagittis, quæ tenebras inducunt, res geritur; sed ad gladios perventum est. Restitue: « Ut quum *commissas* acies sua tela tenebris involvunt. » Propertius IV, 4, 59: « *Commissas* acies ego possum solvere. » Noster VII, 519: «Stetit omne coactum Circa *pila* nefas: ferro subtexitur aer Noxque super campos telis conserta pependit. » BENTL. — Verum commodo sensu *aut*, quod habetur in cæteris scriptis, et editis, retinere possemus. Dicit scilicet, non cadere debemus in bellorum nube, et confuso tumultu (quasi per expositionem sui dicti) quum præ crebro telorum jactu acies adversæ tenebris involvuntur, et inter se commiscentur. Tunc enim, quum cadavera mixta in campis jacent, in medium mors abit, et virtus frustra perit, et conspici singillatim nequit. Paullo ante pro *nube* Omnibonus *nocte* videtur legisse. OUD.

490. ... *Conserta jacent quum corpora campo.* Placet aliorum codicum lectio, *conferta.* — MS. *constrata;* et alter *conferta.* Præferendum autem hic *conserta.*.

496. *Nescio quod.* Stephanus, Micyll. et Gryph. cum Maittaire edunt

quid. Cave vero, hoc profectum esse a Lucano, credas. Non enim est latinum. *Nescio quid* usurpant scriptores simpliciter positum, vel adjuncto adjectivo, sive genitivi casus substantivo. Cum illis *nescio quod*, *quem*, *quos*, etc. jungunt substantivum ejusdem generis et numeri, ut hic. Ovidius, Metam. I, 460: « Tu face nescio quos esto contentus amores Irritare tua. » Tibull. I, El. VII, 61: « Et mihi nescio quas dixit mea Delia pœnas. » Virgil. Æn. II, 72: « Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum. » Et passim. OUDEND.

499. *Transibit.* I. superabit, ut bene explicant interpretes; sed an mors, quam intulerunt sibi obsessi sine libertatis spe, tantum in se habet laudis, ut superet omnia historiarum monimenta, quæ per fidem, et pietatem sunt umquam exhibita? Non puto: præsertim quum ante Vulteium toti populi sibi manum consciverint, ne in potestatem hostium venirent; conf. Silium, II, 579, et alios. Non potuit itaque Vulteius dicere, suam juventutem superaturam, voluntaria morte, omnia præclara facinora, quæ olim fides, et pietas præstitit. Sed excusat se Cæsari Vulteius, ut ex sequentibus patet, quod non majora ipsi fidei et pietatis pignora dare potuerit, quam voluntariam mortem, unde patebat tamen satis, hanc juventutem fuisse superaturam sua virtute omnes res antea gestas; nisi perpauci a plurimis obsessi, et inclusi fuissent. Quare audenter rescripsi *transisset*, cum vetustissimis libris Vossiano primo, et Regio primo. OUD. — *Transisset.* Sensus est, transisset, et tolerasset, vel peregisset nostra juventus pro Cæsare, quodcumque fides promissa reipublicæ, et pietas militiæ servata ferro exhibere potuit per ullum ævum. Sed nihil est aliud, quod facere possumus, nisi moriamur. SCH. — Voss. pr. Vulgata mihi sana videtur. *Transisset* si legendum foret, deberet sequi, *si* majoris pietatis exhibendæ occasio daretur, an simile quid; sed in his angustiis, in hac obsidione edemus specimen fidei et pietatis, quod omnia vetera superet exempla. Amplificat certe Vulteius, sed hæc non ad vivum sunt resecanda, et Lucani magniloquentiæ ratio est habenda, qui hoc virtutis specimen supra omnia extollere voluit. Denique *transibit*, idem potest notare, quod *transisset:* da modo locum virtuti, transibit nostra juventus omnia exempla. BURM.

503. *Abscidit.* Ut edidi, exhibent Vossian. prim. cum duobus aliis Reg. prim. et alii multi a *cædo* scilicet. Consule J. F. Gronov. ad Senec. Phœn. 193: « Qui fata proculcavit, ac vitæ bona Projecit, atque abscidit. » Vulgo *abscindit.* OUDEND.

511. *Ne nos, quum calido fodiemus viscera ferro.* Meliores codices *fodiamus.*

520. ... *Sic cunctas extulit ardor Nobilium mentes juvenum.* Sic codices, sed legendum esse *mobilium*, probat quod mox sequitur. Ante hæc verba horrebant mortem et diem crastinum, postea exoptabant. Sane cur *nobiles* dicuntur rusticorum filii, non video. Ovid. Heroid. IV, 109: « Mobilis, Æsonide, vernaque incertior aura. » Quod apud Horatium est, Carm.

IV, 12, 15 : « *Juvenum nobilium cliens,* » ubi plura afferemus, non ejusmodi est, ut receptæ Locaoi lectioni patrocinetur ; aut ut coborti Opiterginæ juventutis id epitbeton inde donandum sit. Bentl. — *Extulit.* Sic plures scripti, quod probat Bersmannus. Alii dant, *Sustulit*, idem quod *erexit*, ut alibi dicit Locanos, cæterique passim. Plinius Panegyr. c. XI : « Ergo sostulerant animos, et jogum excusseraot. » Veterrimi tamen codices scribi jubent *extulit*, eodem sensu. Sic passim gaudio dicitur quis *efferri*, et *extolli*. Vide Cic. Ep. ad Div. II, 10. Inf. VIII, 345 : « Extolletque animos Latium vesanus in orbem. »

521. *Nobilium mentes juvenum.* Bentleius potat ipsios loci, et seotentiæ ductu contra omnes MSS. scribendum esse *mobilium*, ad Horat. carm. I, 1, 7 : « Honc si mobilium turba Quiritium Certat tergeminis tollere honoribos; » maxime motus Virgilii loco Georg. III, 165 : « Dum faciles animi juvenom, dum mobilis ætas. » Sed ad innatam juvenili animo levitatem respexisse auctorem nostrum, non credo, quippe quæ in re tam gravi non cooveniret. Verum ad nobilem animi virtutem, et generosum mentis ardorem, quo juvenes hi, qui Vulteio statim adsentiebant, debueront esse ioflammati : qoo sensu Rutilios Itiner. I, 76 : « Factus et Alcides nobilitate Deus. » Propter virtutem, inquit Phædrus fab. 69 ; sæpe *nobilis ardor, nobilis ira*, ut III, 614, sic dicitur. Eleganter Velleius II, c. 112 : « Vir animo etiam, quam gente nobilior. » Seneca Hippol. 460 : « Ingenia melius recta se in laodes ferunt, Si nobilem animum vegeta libertas alit. » Ouden.

525. ... *Nec segnis mergere ponto Tunc erat astra polus.* Plerique omoes codices *vergere*.

528. *Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.* Omnes ubique codices, *quum*. Recte : cootinuata oratio, *quum lux*, etc. *quum nox*, etc. — *Nox tum Thessalicas.* Hunc versum cum præcedentibus non satis cohærere visum Gujetus pro spurio babuit. Lucaous hic quoque doctrinam suam in rebus astrooomicis ostentans, ex more poetarum inter diem et noctem oppositionem facit, ita ut verba *sol*, *sidera*, verbis *nox*, *sagittas*, respondeant, et verba *vicino... est* priora accuratius definiant. Male itaque *quum* pro *tum* defenditur, qnod boc loco stare non potest. Web.

530. *Graia cum classe.* Corcyræa. Nam, ut Strabo docet, Chersicrates Archiæ, qui Syracusas condidit, socius, ad deducendos Corcyram accolas, ex Heraclidarum genere procreatus, expulsis Liburnis iosulam habitatorum frequentia refersit. Sulp. — Sed bæc Strabo de Corcyra Phæacum, quæ *Scheria* aliquando dicta fuit. Omnibonus autem *Graiam classem* eas naves exponit, quas Pompeius ex diversis locis accitas, ac pluribos legionibus stipatas usque ad sexcentarum oumerom compleverat, teste Appiano. Et ipse poeta quoque supra, lib. III dixit, plerosque Græcoromi Pompeii partes sequutos fuisse. Pompeiana auxilia tota Græcia eraot contracta, onde et ex Italicis classem validam sexcentarum navium confecerat. Tenebat passim omoia maria, maxime

circa Epirum, et Liburniam, et insulas Creteas contra Liburniam. Cæsar enim paulo post e Brundusio per medias hostium stationes in oram Macedoniæ transmisit. HORT.

542. *Et quis*. Msc. *En quis*. BERSM. — *Enquis* scribitur quoque in duobus Vossianis, et Oudend. omnibusque editionibus ante Sulpitium. *Et quis* vero in Vossian. sec. et tertio ac Wittiano.

545. *Transigit*. Vossianus quartus *transiit*, quod non ineleganter notaret celeritatem juvenum in exsequenda voluntate Vulteii. Passim *transire* corpus dicitur adactus ensis. Ovidius Epist. Heroid. III, 126 : « Transeat Hectoreum Pelias hasta latus. » Silius X, 253 : « Ilia cornipedis subrecta cuspide transit. » Idem, lib. XIII, 166 : « Mediam tunc transiit ictu Parmam, sed grato fraudata est sanguine cuspis. » Prudent. Psychom. 154 : « ...calido pulmonem vulnere transit. »

554. ... *Tantos implerunt sanguine sulcos*. Manuscripti *tantos*, *totos*. An legendum *latos?* Juvenalis, I, 157 : « Et *latum* media *sulcum* deducit arena. »

557. *Minimumque in morte virorum est*. Ita ex MS. restituimus. Antea fuit *nimiumque*. Sensus hic : Minima pars fortitudinis erat mortem oppetere, in ipsa morte militariter pugnare, id vero plus erat. GROT. — Si præferas *nimium* sensus fore videtur : Mors habet nimium virtutis in morte virorum : quia non solum vulneratus moritur; sed eo ipso momento alium quoque mori facit. Vitiose vero pro *morte* Hortensius dedit *nocte*. Ludit auctor in repetitione ejusdem vocis. OUDEND.

562. *Et jugulis pressere manum*. *Quum sorte cruenta*. Deest versus in duobus Vossianis et varietate lectionis suspectus est. Sed neque sensus verborum, neque verba singula displicent, modo recte scribantur : præterea ratio qua versus ab interpolatore ortus sit non apparet; immo excidere potuit, quia sensus reliquorum sine eo constabat. Scribendum autem est *jugulo pressere manum;* amat enim Lucanus in his et similibus singularem, ubi pluralis exspectatur : conf. antea *vulnus* « et, percussum est pectore ferrum. » *Jugulo premere manum*, est, urgente et obnitente jugulo, manum percutientis sive ensem immittere et recipere. Inde *ensis pressus*, apud Nostrum VII, 562 : « Quæ presso tremat ense manus. » Et Silius II, 615 : « Pressit ovans capulum cunctantemque impulit ensem. » *Quum* denique neque *quando* significat, neque *quamvis;* sed positum est pro *etiamsi*, *adeo si*, ut ratio totius loci, et sequens *tamen* docet; indicat enim sententiam præcedente superiorem et potiorem, atque recte conjunctivo jungitur. WEB.

571. *Bustisque remittunt Corpora victores ducibus mirantibus ulli Esse ducem tanti*. Verba « ducibus...tanti » Gujeto suspecta sunt, sed non vidit Lucanum repetitione acumen captasse, mihi tamen minime probatum. Quod sensum loci attinet, *ducibus* non de Pompeio et Cæsare intellexerim, quod nimis exquisitum foret; sed, ut verba præcedentia, quibuscum recte conjun-

guntur, docent, de ducibus qui ibi fuerunt, de *Antonio, Octavio*, et si qui alii. Unde Schol. Lips. « Mirabantur enim duces ibi præsentes, quod dominus a militibus adeo diligebatur. » *Ulli* sine dubio recte habet, quod Lucanus amat, cf. IX, 595; X, 295. *Ullis* præcedenti *ducibus* conjungi non potest; neque *ullum*, quod in uno tantum Rottend. sec. a man. sec. legitur, placet, quum non *ducem*, sed illos, qui ducem tanti faciebant, de quibus h. l. sermo est, mirati sint. *Ducem* denique in universum intelligo, ut solet Noster in ejusmodi sententiis, non de singulo Cæsare.

579. *Ignorantque datos*, etc. Ita rescripsi pro *ignoratque* auctoritate vetustissimi Vossiani primi cum sexto, Regio primo, et Wittiano pro varia lectione. Gentes seu mentes ignavæ non percipient, facile esse manu propria servitutem effugere, quia regnum patiuntur metu ferri, et armorum, quibus armati sunt tyranni, libertatem opprimentes, et quia illæ ignorant, enses hominibus datos esse, ut se servitute per voluntariam mortem eripere possent. Solennis est ellipsis, ἀπὸ κοινοῦ repetendo nominativum, vel generale τὸ *homines*, etc. subintelligendo. Vide etiam lib. VI, 252; VII, 153, etc. et sexcenties.

588. *Bagrada lentus agit.* Mire facit ad illustrationem hujus loci, quod notatum pridem fuit nomen *Bagadræ* seu *Bagradæ* (utrumque enim legitur) deduci ex Hebræa voce *Braca*, significante stagnum: nempe quod et sua natura hic fluvius adeo lentus, ut placidæ paludis speciem referat, talisque sit, quale depingitur mare Pharsal. V, 435:

> Pigrius immotis hæsere paludibus undæ...
> Sæva quies pelagi, mœstoque ignava profundo
> Stagna jacentis aquæ.

Tum quod alveo suo excedens, circa ostia in stagni morem longe lateque diffundatur. Unde Sil. III:

> Turbidus arentes lento pede sulcat arenas
> Bagrada, non ullo Libycis in finibus amne
> Victus limosas extendere latius undas.

Et de hoc eodem flumine Buchananus: « Bagrada Marmoricæ lentus sulcator arenæ. » Cf. Bochart. Geog. Sacr. lib. I, c. 24. PALM. — *Siccæ sulcator arenæ.* Silii locum VI, 140 e nostro haustum esse, et *siccas, arentes arenas* dici, pluribus exemplis docet Bentl. ad Hor. Carm. III, 4, 31. WEB.

589. *Tumulos.* Sive colles, sive sepulcrum Antæi intelligit, in quo, auctore Strabone, inventum est a Sertorio σκελετὸν, sexaginta cubitis longum. Apud Strab. lib. ult. ita legitur: καὶ Γαυίνιος δὲ ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς, οὐκ ἀπέχεται τῆς τερατολογίας τῆς περὶ τὴν Μαυρουσίαν πρὸς τῇ Λυγγὶ (Τιγγὶ potius scribendum) Ἀνταίου μνῆμα ἱστορεῖ. καὶ σκελετὸν πηχῶν ἑξήκοντα, ὃν Σερτώριον γυμνῶσαι, καὶ πάλιν ἐπιβαλεῖν γῆν, etc. Quo loco interpres σκέλος, pro σκελετὸν legisse videtur, quando *tibiam*, pro corpore, sive ossea corporis compage vertit. Plinius autem libro V, c. primo, de Mauritania loquens, ita inquit: « Oppida fuere Lissa, Cotes, ultra columnas Herculis, nunc est Tingi, quon-

dam ab Antæo conditum, postea a Claudio Cæsare quum coloniam faceret, appellatum Traducta Julia, etc.» Verum poeta hic ausam sibi dare voluit fabulandi de Herculis et Antæi palæstri certamine; ergo neglecta, ut videtur, loci regione, ac situ, fabulam ad suum institutum accommodavit, præsertim quando et Tingitana Mauritaniæ pars est, et idem Juba Maurorum et Numidarum rex fuit. MICYLL.

590. *Antæi quæ regna vocat non vana vetustas.* Vere Lucanus narrat Curionem, transmisso in Africam exercitu, càstra col'ocasse ad Bagradam: sed ad hujus fluvii mentionem, ut se etiam historiæ fabulosæ peritissimum ostenderet, interjecit Antæi fabulam quæ huc nihil pertinet, quum omnes quantum noverim eum longe hinc in Mauritania, ad oppidum Tingi sedem habuisse tradant. Vide modo P. Melæ lib. I, c. 5. Hanc autem fabulam omnibus eloquentiæ suæ coloribus exornandi partes dat *rudi* (vel *ruris* ut Burmannus legit: *ruris docet*) incolæ, quem ex ultima antiquitate et remota a vulgo scientia repetentem omnia, et ita multis fabularum scriptoribus apud Romanos et Græcos eruditiorem inducit. Quanto faciliuset verisimilius finxisset, Curionem, si ille hæc ignoraret, aliquem ex Africanis, vel desertorem vel captivum ex illustribus Mauritaniæ viris, qui inde oriundus sub Juba militaret, hanc fabulam narrantem patienter auscultasse. Huic tam intempestivæ fabulæ centum fere versus impendit, et eadem opera situs locorum ignoratione, Jubæ regni amplitudinem ultra verum modum extendit, et ad occidentem Atlante, vicino Gadibus, unde tamen longius distat, a meridie Hammoniaca regione et syrtibus, etiam inter se longius distantibus, terminat. BURM.

594. *Terribilem Libycis partum concepit in antris.* Quid sibi vult illud *concepit?* An post hæc Curioni narrata conceptus est Antæus? Corrige: « Nondum post genitos Tellus effeta Gigantes Terribilem Libycis partum *conceperat* antris. » Sic ubique : Virg. Æn. IV, 698 : « Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco. »

595. *Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon.* Vide modo orationis filum. *Tellus* concepit partum in Libya, nec Typhon tam justa erat *terrarum* gloria, et *pepercit* cælo, quod etc. Cernis, ut illud *terrarum* et sensum et dictionem labefactet. Quis *terras* dixit, quum unam Terram matrem intellexerit? si *terrarum*, utique dicendum erat, *pepercerunt*, non *pepercit*. Sed et repetitio illa *telluris*, *terrarum*, et otiosa et odiosa est. Fallor, an unius verbi admonitu veram lectionem erui. Tellus, ait, post genitos Gigantes *effeta* : ergo illos, numerosam turbam, fecunda peperit, Antæum effeta, et solum. Scribo ergo : « Nec tam justa fuit *fecundæ* gloria Typhon. » Typhon cum cæteris fratribus non tam justa fuit gloria Telluris fecundæ, quam Antæus effetæ. Noster III, 603: «Stant gemini fratres fecundæ gloria matris.» — *Typhon.* Qui et dicitur *Typhœus*. Lib. VI, 92, *letiferum Typhona* vocat quoque Noster. Notandum, quod in Vossiano primo, scribatur *Python*, ut intelligatur serpens ab Apolline occisus : de cujus creatione Ovidius Met.

I, 437: « Terra quidem nollet; sed te quoque, maxime Python, Tum genuit. » Ex præcedentibus, et iis, quæ sequuntur, clare satis patet, Lucanum loqui de solis Gigantibus, qui in Phlegræis campis Jovi bellum intulerunt. OUD.

596. *Tityos.* Sic in scriptis optimis, non *Tityus;* ut ex aliis Micyllus, Hortensius, aliique edidere. Dein in quibusdam est *Tichios*, vel *Ticios*, *Titheus* in Hulst. *Cottos* olim legendum esse, unice putabam. Quia *Tityos* vulgo non recensetur inter Gigantas contra Jovem bellantes, sed ut *terræ filius*, et *alumnus* (Vide Apoll. l. I, c. 4; Stat. Theb. I, 710. Serv. ad Virgil. Æn. VI, 595.) qui in inferna detrusus ob Latonam de stupro interpellatam, et vim ei illatam, et per membra erat distentus. *Tityon Coco*, Phlegræo Giganti jungit quidem Valer. Flacc. III, 226. Sed et *Saturno*, scilicet propter vincula, quibus illi quoque apud inferos tenebantur. Huc accedit quod *Cottos* et *Briareus* passim se comitantur apud poetas; uti apud Hesiod. in Θεογον. Sic vs. 149: Κοττός τε, Βριάρεώς τε, Γύγης θ' ὑπερήφανα τέκνα. Plura exempla vide in notis Bentleii ad Horat. carm. II, 17. Sæpe quoque hoc nomen depravatum fuit. Hic tamen nunc nihil muto. Nam, præterquam quod potuerit fuisse aliquis scriptor deperditus, qui Gigantea condens inter Gigantas *Tityum* recensuit, unde hoc hauserit Lucanus; non obscure illum adnumerat Gigantibus Seneca, Thyest. 805: « numquid aperto Carcere Ditis victi tentant Bella Gigantes? numquid Tityos Pectore fesso renovat veteres saucius iras? » OUDEND.

603. *Ad somnos non terga feræ præbere cubile.* In aliis scribitur *cubili.* Ut sit ordo; feræ non adsueverunt præbere terga sua cubili, i. ad cubile inde faciendum. Qui ordo placet Asceosio, retinenti tamen *cubile.* Rectius per appositionem, ut versu præcedente *epulas leones.* Nam male quidam *epulis.* Valer. Flacc. VI, 333: « Ast epulæ, quodcumque pecus. » Posses etiam melius, meo judicio, hunc locum ita digerere: « Terga feræ non adsueverunt Antæo præbere cubile, » id est, non solet Antæus cubare in pellibus ferarum. *Resumsit* scripsi pro *resumit.* Nam in præterito dixit *latuisse, habuisse.* OUD.

613. *Antæus Libyci.* Pro *Libyci* in aliis est *Libyco.* Omnesque hi codices jungunt *Libyco liquore* cum Scholiaste, qui notat hæc verba: « Arenis pro olivo usus est, ut vires terra firmaret. » Sed potius hæc errore librariorum traducta sunt a versu 616, quo pertinent. Illic enim dicitur Antæus sibi infudisse arenas, ut Hercules oleum, more Græcæ palæstræ. Mirum tamen in tot optimis codicibus scribi *Libyco*, quod aperte est falsum. Opponuntur enim Hercules, et Antæos in occidendis leonibus primo, dein in perfundendo membra oleo per Herculem, et arenis per Antæum. Possetne legi *Libycos?* scilicet leones. Nam plures una projecit leones Antæus: v. 602, « epulas raptos habuisse leones. »

634. *Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis.* Codex Academiæ et Coll. Caii *in arvis*: quod omnino recipiendum. Sic *Rheni arvis*, *Nili arvis*.

635. *Defectam timuit reparatis anguibus hydram.* Immo longe melius duo ex nostris *desectam*. Res notissima. Horat. Carm. IV, 4, 61: « Non hydra *secto* corpore firmior Vinci dolentem crevit in Herculem. » — *Hydram.* Hydra erat serpens L habens capita, vel, ut quidam dicunt, VII, quæ omnem regionem devoravit. Quod quum audiisset Hercules, adiens eam debellavit, et pro uno capite inciso tria insurgebant, quæ postea igne vicisse dicitur. Re autem vera palus fuit, quæ totam regionem devastavit, quam quum Hercules exsiccare vellet, pro uno fonte exsiccato tres emergebant. Sed Hercules cum grandi labore eam desiccavit, et eam habitabilem fecit: etenim L vel VII fontes habebat. Alii, pro septem, octo vel novem capita hydræ adscribunt. Immo alios illi adsignasse quoque VII capita, notat Delrius; quo vero auctore non addit, ad Senecæ Herc. Fur. 240. Sed jam super his nugis nimis multa: pro lubitu hæc variasse fabulatores, ut cætera fabulosa, certissimum est. Notandum putem, quod hydra illa non tantum habuerit tot anguinea capita, sed tot angues pro capitibus, ut clare videre est in nummo, per Spanhemium prolato. Quare Noster etiam dicit, *reparatis anguibus*. Sic etiam Virgilius Æn. VII, 658: « Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram. » Seneca Herc. Œt. 1193: « centum anguibus Vallatus hydram tabe pavissem mea. » Silius Ital. III, 33: « Lernæa recisis Anguibus hydra jacet. » Hinc Propert. l. II, 19, 9: « Lernæas pugnet ad hydras. »

638. *Plus licuit.* Quidam *libuit*, quasi in prioribus certaminibus non tantum periculi subierit: sed hic vix convenit τῷ *rudi* et iis quæ de Olympo addit, quæ omnia posteriora hydræ ablo fuerunt.

639. *Siccam quum ferret.* Heinsius legit *ceu*, qua lectione cessaret dubium an ante, an post Hydram tulerit cælum; sed hoc vix convenit cum *exhaustis sudoribus artubus*. Alius dat: « Cervicemque viri sicut quum ferret Olympum. »

643. *Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus Egeritur.* Alii codices *erigitur*. Quo sensu *erigitur* notaret, spiritum, et vim terræ surrexisse in membra Antæi. Nihil tamen muto. Copiam omnis spiritus, quisquis terris inest, exprimit optime Lucanus hoc verbo. Justin. l. IV, 1: « Ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. » *Dirigitur* suprascr. in Reg. Eadem perturbatio VI, 295: « Quum tota cavernas Egerit. » Codex Academiæ pro varia lectione *ingeritur*. Hoc recipere mavult Bentleius.

647. ... *Sternique vetabere terra.* Placet aliorum codicum lectio *terræ.* MSS. duo *terræ*, poetica casus ἐναλλαγῇ probe. Bersm.—Quod licet placeat, nihil temere muto. Virgilius, Æn. l. XI, 87: « Sternitur et toto projectus corpore terræ. » Statius, Theb. VII, 755: « Sternuntur terræ. » Noster V, 360: « procumbite terræ. » Sic *demittere*, et *deponere terræ* Ovidio Amor. l. III, El. 2 et 3, quamvis *terra* in illis locis malit N. Heinsius. Oud.

651. *Permittere vires.* MS. duo *promittere*, quasi porro mittere, non inscite. Multi *submittere.* Verissima est Grotii emendatio, quam idcirco non tam in textum admisi, quam restitui. Eodem sensu usus hac voce est Ovidius Metam. XII, 282: « Inque humeros limen tellure revulsum Tollit, onus plaustri, quod ne permittat in hostem Ipsa facit gravitas. » Id est, gravitas prohibet, ne ita mittere posset, ut tangat hostem. Seneca de Const. Sapient. c. 3: « Eo loco ponere, quo nulla permittatur injuria. » De Clem. c. 6: « Etiam ad calamitosos bonitatem suam permittet. » Non raro hoc sensu etiam vocem adhibuit Lucretius. Silius, l. III, 534: « Quacumque datur permittere visus. » Eadem vis est in voce *perferre*, de qua conf. vs. 763, V, 674. Oud.

669. *Excivit Libycæ gentis.* Omnino rectius *Libyæ gentes*, ut sit expositio ejus quod præcessit, regis vires, et cohæreat cum sequentibus. Grot. — Recte hoc Grotius, modo pro *Libycæ*, quod nostri omnes habent, *Libycas* dedisset, non *Libyæ* « ...regis tamen undique vires Excivit, *Libycas gentes.*» Virg. IV, 320: « Te propter *Libycæ gentes* Numidumque tyranni Odere. » — De Africa consulendum est Edrisii opus; videndus quoque ad Sallust. Gug. 8, De Brosses, p. 33 sqq. Ed.

673. *A medio confinis Syrtibus Hammon. At qua lata jacet.* Libentissime fateor, me nequaquam capere posse hunc locum, ut vulgo editur, et ego non temere mutare quid ausus, retinui. Ut verba sonant, et explicant etiam interpretes, debet intelligi finis regni Jubæ a meridie. Sed quid hoc? anin longitudinem terræ ponitur meridies? nam latitudinem hic non potest innuere Lucanus, quia statim sequitur: « At qua lata. » Præterea, quomodo Syrtes, vel Hammon iis vicinus juxta Lucani mentem trahi possint ad meridianos regni Jubæ terminos, supputare nequeo: debuisset ob utramque rationem, longitudinis scilicet, et Syrtium, sive Hammonis oraculi situm dixisse *ab ortu.* Quare, sit mirus licet Geographus auctor noster, quod non nego, et tam hoc ipso, quam multis locis patet, numquam tamen ego credam, tam puerilem errorem ab ipso commissum esse, præsertim, quum medicina ægerrimo huic loco præsens adhiberi possit. Nempe ex sequentium populorum coacervatione, et toto hujus descriptionis apparatu, satis patet, a Lucano sub regno Jubæ comprehendi totam Africam sive Libyam in longitudinem, usque ad Ægyptum, et in latitudinem infi-

nitam, ac veteribus incognitam sub zona torrida, et ultra. Filius tamen ejus, Ptolemæi pater latius regnavit, quam ille Pompeii studiosus. Vide Plinium lib. V, c. 2. Jam vero pro *a medio* aliis *et medio*, pro *at qua* exhibetur *et qua*, pro *jacet*, *jacent*. Minima igitur mutatione scribo : « Terminat : at medio confinis Syrtibus Hammon, et qua lata jacet. Vasti, etc. » Hoc sensu : In longitudine Atlas terminat regnum Jubæ ; at in medio regni, ubi latissimum est, jacet Hammon. Inculta vero pertinent ab Oceano occidentali ad Oceanum Indicum, sive orientalem, in longitudinem ; et *exusta* torridæ *Zonæ* sufficiunt immensum spatium in latitudinem, vel prius *et*, ac deinde *at*, scribendum. Hanc sententiam confirmat locus III, 294 : « Quidquid ab occiduis Libye patet arida Mauris, Usque Parætonias Eoa ad litora Syrtes. » — Oud. Tres versus a *Cardine* usque *regni*, leguntur in margine cod. Lips. exciderant enim, quia v. *regna* vs. 671 et *regni* vs. 674 librarium in fraudem induxisset ; sed sensus docuit, necessaria esse omissa. Neque causa adest, cur versus pro spuriis habeamus, quod Gujetus vs. 674 fecit, male intellectis vv. *a medio* et *plaga fervida*. *A medio* enim non idem est, atque a *meridie* ; neque recte dicitur *Hammon distinet Oceanum*, quod ille vult. Locus sine dubio inter difficiliores referendus est, sed bene a Dorvillio explicatur (cujus explicationem sequimur in notis. Ed.) Jam Scholiast. Lips. quodammodo vera vidit, ita habens : « A meridiana plaga, ibi tamen ubi dividitur Africa ab Asia, dividit Hammon. » In singulis hæc notanda sunt. *Cardine ab occiduo* dicitur, ut V, 71 *Hesperius* et *Eous cardo*, pro plaga occidentali ; et *medius cardo*, non est plaga meridiana, plagæ septemtrionali opposita ; sed medium illud, quod inter Orientem et Occidentem est, orbe terrarum in æquas partes diviso. Quem h. l. medium cardinem, eum medium mundum supra vs. 69 dixit ; itaque de Hammonis oraculo IX, 531 : « Deprensum est hunc esse locum, qua circulus alti Solstitii medium signorum percutit orbem. » Et paullo post v. 542 : « procul axis uterque Et fuga signorum medio rapit omnia cælo. » Aliter in alio codice explicatur : « Ab oriente dicere debebat, quia Hammon, i. e. Jupiter arenosus finiebat ejus regnum versus orientem. Est autem ipsis Romanis etiam versus austrum, non versus septemtrionem ; ipsi autem regi prædicto recte ad Orientem. » Denique *regni* non commutari debet cum verbo *mundi* : *vasti* enim melius quadrat, ut ostendit, v. 670 : « fusior terra. » Web.

677. *Semperque paratus Inculto Gætulus equo.* In quibusdam absunt hæc verba, et quidem locus talis est, quo librarii sua addere soleant : sed hæc optimi et plurimi MSS. agnoscunt, nec quidquam Lucano habent indignum. Immo ratio, cur exciderint, apparet ; etenim, quod Burmannus putat, propter v. 682 ubi eadem fere repetuntur librarius versum delevit, sed aberravit quum sensus reliquorum sine eo salvus esset. Web.

681. *Mazax.* Nescio an rectius *Mazux*. Stephanus Μάζυες, οἱ Λίβυες Νομάδες. Sueton. in Neron. c. 30 : « Armillata et pharetrata Mazucum

turba. » Sed *Mazax* recepimus ad Nemes. Cyneg. 261. Poet. Min. tom. I, p. 123. Ed.

682. *Massylia.* Ab equitandi ritu. *Massyli*, qui et *Massæsyli*, sive *Masyli*, et *Masæsyli* simplici *s*, et per *y*, partes sunt Numidiæ, quorum populi nobilitate celebres inter Afros. Hujus gentis urbs præcipua est Cirta, opulentissima tum temporis non solum, verum etiam superioribus ætatibus, domus Syphacis et Jubæ, quorum ille secundo bello Punico, et captus, et regno exsutus fuit a Scipione superiore, hic præsenti bello periit. Strabo tradit, Cirtam opera Mirypsæ, filii Masinissæ munitam maxime, et frequentissimam factam fuisse. Porro autem hos Numidiæ partem fuisse, testantur Dionysius et ejus interpres Priscian. Sunt vicini Mauritaniæ in Numidia, quamvis non ignoro, eos a Plinio in Tingitana collocari. De eorum moribus, et victus ratione Dionysii interpres Priscianus :

> Saltibus hos duris asper, silvisque vagantes
> Victus alit, sævo quæsitus more ferarum.
> Scilicet ignaros terras proscindere aratris
> Argolicasque boves plaustris domitare sonoris,
> Namque errant nemorum per dumos more ferarum.

Quo loco Dionysius, *Masæsylios*, a *Massyliis* distinguit, et diversos facit, sed tamen utrumque nomen *v* habet. Nonnulli *ll* geminato, *Massyllos* eos vocant. Porro autem non in extrema Numidia eam gentem Maro, sed circa Æthiopiam statuere videtur, Æn. IV, 483 :

> Oceani finem juxta, solemque cadentem
> Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas
> Axem humero torquet stellis ardentibus aptum,
> Hic mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos.

Sed sunt auctores, qui *Masylos*, *Masules* a Polybio dictos, diversos esse arbitrabantur. Utut res habet, constat, eam gentem quondam, ut Thessalos, maleficiis infames fuisse, qui de se mollitiei proverbium reliquerunt, πλεύσειας εἰς τὴν Μασσαλίαν, *naviga Massyliam.* Fuerunt et malis artibus, et luxu infames, ut testatur Athenæus. Iidem in proverbium cesserunt de cultu viris indecoro, ἐκ Μασσαλίας ἥκεις, *e Massalia venis.* Atque hinc apparet perspicue, *Masæsylios*, *Masylosque* diversos fuisse, a *Massaliis.* Luxu hi perditi muliebri ornatu incedebant, capillis unguento delibutis religatisque. De Gallica Massilia alibi diximus. Hort. — *Massylorum* nomen per *v*, vel *y* scribendum esse, operose jam monuit Servius ad Virgil. loco cit. *Massæsylos* autem a *Massylis* distinguit cum Dionysio Plinius, lib. V, c. 2 et 4, aliique veteres. Verius puto ego, Græcos vocasse gentem illam *Massæsulos*, Romanos *Massylos;* unde ex una duæ gentes fabricatæ sunt. Errori ansam dedit varia regionis, quam inhabi-

tassent, positio, quum hic eos ad Orientem, ille ad Occidentem, alius propius ad mare, alius introrsum magis collocaret: ut erant veteres horum tractuum valde ignari. In equitandi arte iis adscribenda omnes conveniunt. Apposite Strabo lib, XVII, p. m. 828: Μασσαίσυλοι καὶ κοινῶς Λίβυες κατὰ τὸ πλέον μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ καὶ εὐπειθέσιν, ὥς' ἀπὸ ῥαβδίου οἰακίζεσθαι. De regimine equorum per virgam a Numidis plura adfert Tennul. ad Frontini Strateg. l. I, c. 5, § 16. Cæterum, quod attribuit Hortensius proverbia illa Massylis, in eo Hecatæum, et commentatorem Thucydidis sibi suffragatores habet. Athenæus tamen, quem citat, Gallicam Massiliam debuit intelligere, quum Μασσαλιῶτας vocat.

688. *Privatæ sed bella dabat Juba concitus iræ.* Valerius Maximus VI, 5, 3: « Rutilius tribunus plebis, præter communem consternationem, privata etiam ira accensus. » An hic legendum: « Nec solum studiis *communibus* arma parabat, Privatæ sed *vela* dabat Juba concitus iræ. » *Vela dabat.* Plin. Ep. VI, 33: « Dedimus vela indignationi, dedimus iræ, dedimus dolori: et in amplissima causa, quasi magno mari, pluribus ventis sumus usi. » Lactantius VI, 18: « Iræ fræna permittere. » — *Concitus iræ.* In Vossiano *conscius,* sed male, et vulgato librariorum errore. *Privata concitus ira,* conjicit Oud. ut apud Virg. Æn. IX, 695: « Immani concitus ira. » Ovid. Metam. VII, 413: « rabida qui concitus ira Implevit pariter ternis latratibus auras. » Verum tunc offendit nimia repetitio literæ *a.* Talia enim extra necessitatem non sunt intrudenda, quamquam scio, plus semel in Ovidio id occurrere. Nec raro apud Nostrum. Sic III, 483; IX, 500.

705. *Eripe consilium pugnæ.* Id rectius, quam *pugnæ.* Omnibonus sic distinxit: « Eripe consilium, pugnæ quum, etc. » In hunc sensum intelligendus locus J. Cæsaris B. Civ. II, 30: « Erant sententiæ, quæ conandum omnibus modis, castraque Vari oppugnanda censerent. Quod hujusmodi militum consiliis otium maxime contrarium esse arbitrarentur. » — *Quum dira voluntas.* MS. *dum dira voluptas,* quum pugnandi cupiditas armis correptis animum incessit, non pudet eos manum cum civibus conserere. Bersm. — Putat Oud. melius scribi *voluptas,* quam *voluntas;* quod hic locum fere nullum habet; quum intelliguntur milites jussi pugnare, sed qui pro militum indole pugnare gaudent. Bentl. corrigit: « Præripe consilium. Pugnæ quum dira voluptas Ense subit presso. » Illud *præripe* ex conjectura reposuit cætera ex aliis codicibus sunt. Cicero de Officiis I, 30: « Callidum Hannibalem accepimus; facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, *præripere* hostium *consilia.* » Seneca, De Benef. II, 6: « Gladius idem et stringit et transforat: quam presso articulo venerit, refert. » Noster VII, 562: « Quæ presso tremat ense manus. » Cæterum alii codices, « *et* galeæ texere pudorem, » quod ipsa sententia postulat. Presso, i. e. firmiter præ ira, et pugnandi ardore adprehenso, et stricto. Silius Ital, I, 515: « Sic Pœnus, pressumque ira simul exigit ensem, Quæ capuli statuere moræ. » II, 615: « Pressit ovans capulum, cun-

clantemque impulit ensem. » V, 670 : « premit omnis dextera ferrum, Armatusque jacet servans certamina miles. »

719. Olim, *incautus ab hoste videri.* Alii fere omnes, *timeri.* Quæ lectio genuina mihi videtur, ut vel ad Jubam referatur, vel ut sit hypallage, *incautus*, pro incauto hoste Curione. Itaque hoc Jubæ consilium erat, ut incautum opprimeret. HORT. — MSS. quatuor : *incauto ab hoste*, repugnante metro. Videtur *incautus* hoc loco usurpari pro : valde cautus, præpositione significante incrementum. Vel est hypallage, pro *incauto hoste*. BERSM. — *Metuens incautus ab hoste timeri.* Improvisus hosti hactenus, hoc solum timebat, ne ab hoste timeretur, atque ita prælii negaretur occasio. Sic Latinus Pacatus : « Quo quidem tuus maxime gaudebat exercitus, quum se videret ultro lacessi, qui nihil magis timuerat, quam timeri. » GROT. — Valde hic sudant interpretes, et merito. Ut enim vulgo hæc verba leguntur, vix intelligi possint, vel sana non sunt. Neque juvat nos Scholiastes exponens : « I. e. timebat, se *timeri ab incauto hoste*, i. ne metu ille cautior fieret, si venturum ante timuisset : » adeoque *incauto* videtur recipere, quod refert ad Curionem. Ridicula est illorum solutio, qui *incautus* legentes, hypallagen a Lucano adhibitam esse statuunt. Optime omnium perspexit sensum Grotius, *incautus* sumens passive pro improviso; quo sensu accipitur a Nostro, V, 500 : « Sponte per *incautas* audet tentare latebras. » Atque id frequenter aliis adjectivis accidere notum est. Verum quomodo tum Juba esse incautus et simul timeri poterat? Nam quod Grotius sensum fulciat voce *hactenus* mihi non placet. Immo licet hoc modo sibi constet sensus, admitti hic nequit, quum tot editi habeant *incauto*. Quod defendi posset, ut jam fecit Ascensius, exemplis poetarum, qui non elidentes longam vocalem, brevem faciunt, ut *Pelio Ossam*, *Ilio alto*, *An qui amant*, *Servant te amice* apud Virgilium, et Ovidium, aliaque apud alios. Sed eadem tunc manet tamen difficultas, quam esse in Grotii interpretatione dixi, et sensus τῷ *hactenus* fulciri debet. Quid multa? J. Wasse in Ind. Sallust. monet in MS. Anglicano scribi *incauto ex hoste videri.* Unde legendum omnino est *incauto ex hoste timeri.* Hoc sensu : Metuebat Juba, ne accideret per famam adventus sui, ut timeretur a Curione, et fieret hostis formidabilis ex hoste, sive loco hostis incauti, sive improvisi, de quo nihil audiens Curio securus erat. OUD. — Ex lectione quoque a J. Wasse producta Bipontina lect. traxit, quam nos deseruimus ut nimis frigidam. In loco dubio, quæ arrideat, eligat lector. Grotianam sequi malui, sed non eadem interpret. *Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri.* Hoc tantum metuens, ne timeatur ab hoste; *incautus*, id est, quod non satis providerit, ne adventus sui fama spargeretur. ED.

724. *Solertior hostis.* Adscenso foramine cubilis aspidis protendit caudam suam in initio autri, ut quando aspis viderit umbram, suoque proruperit de antro volens caudam tenere, ille ichneumon ei immineat; priusquam

venenum de ventre emittat, et adprehenso ejus gutture strangulet eum. SCHOL.—Ichneumon, enydros bestiola est nuncupata, ex eo, quod in aquis versetur. Græce autem vocatur *pneumon* (sic MS), eo quod odore suo salubria ciborum, et venenosa prodantur. Serpentes autem insequitur, qui, quum adversus aspidem pugnat, caudam erigit: quam aspis maxime incipit observare, quasi minantem. Ad quam vim suam transferens decepta corrumpitur. ID.— Eadem legas apud Isidor. Orig. l. XII, c. 2. Dracontius, Hexaemero, vs. 326, *Psyllum* hunc dicit: « Prædicit Psyllus vim cujuscumque veneni. » OUDEND.

726. *Obliquusque caput.* H. e. obliquus capite: poetica ἐναλλαγῇ, ut *nuda genu*. BERSM. — Male alii *obliquans*. Ichneumon enim non obliquat caput, quum fauces invadit aspidis; sed obliquo capite speculator, donec occasionem opportunam nactus hostem invadat. Clare id patet ex Plinii et aliorum locis. Sic *spatiosus guttura*, *præsignis faciem*, apud Ovidium, Met. II, 735; XII, 217, et passim apud poetas. OUD. — *Vanas serpentis in auras Effusæ.* Quid illud est, *serpentis effusæ in auras?* quid porro *vanas auras?* Hæc numerosa sua suavitate fallunt docentque lectorem: ubi vero excusseris, nihil intus habent. Codex Academiæ pro varia lectione *in iras*. Deus plane ex machina: sed tum aliud restabit ex ingenio corrigendum: præcasserat enim in priore versu: « et *iratas* incerta provocat umbra. » Jam vero *iratas*, et mox *in iras* ne tolerabile quidem. Quid vero est *provocare iratas?* Provocare ad iram, scio quid sit: at jam *iratas* quid opus erat *provocare?* Egregia hæc descriptio, duplici mendo commaculatur; quorum utrumque sic legendo tolles:

> Ludit, et *irritans* incerta provocat umbra,
> *Obliquusque* caput, vanas serpentis in *iras*.

Ludit aspidas ichneumon *cauda*, quam scilicet longam habet, ac squamis obtectam, nec serpentis dentibus obnoxiam. Vide Oppian. Cyneg. III, 435. Jam vero *irritans* quanto melius, quam *iratas?* et quis dubitet sic dedisse Lucanum? Ovid. Metam. VIII, 418: « Vulneris auctor adest, *hostemque irritat ad iram*. » *Obliquusque caput* complures codices habent, non *obliquans*. Illud vero recipimus, quum ob hellenismum, tum quia per totam pugnam obliquo capite est ichneumon; ut Plinius, VIII, 24, Grotio hic citatus: « *Donec* obliquo capite *speculatus invadat in fauces*. » Postremo, illud extra omnem aleam est, *serpentis effusæ in vanas iras*. Statius VII, 322: « stetit audaces *effusus in iras* Conseruitque manus. » Val. Flaccus VII, 34: « inque ipsa morantis Prosilit ora viri, talique *effunditur ira*. » Idem *vanas iras* firmat VIII, 374: « Abscessit tandem, *vanaque* recedit ab *ira*. » BENTL.

737..... *Leti fortuna propinqui Tradiderat fatis juvenem.* Hæc optime

explicat, quod Noster habet VIII, 568: «Quod nisi *fatorum* leges, intentaque jussu Ordinis æterni miseræ *vicinia mortis* Damnatum leto *traherent* ad litora Magnum.» Ex his tamen vides *fortunæ* nullum hic locum esse; quum omnia *fatis* et æterni ordinis legibus obediant. Et quid est *fortuna leti?* Corrige: « ..... leti *sors dura* propinqui Tradiderat fatis juvenem. » BENTL.

741. *Quum procul e summis conspecti collibus hostes.* Locus mendi manifestus; redit enim versu insequente *colle relicto*. Reponendum videtur, vel *montibus* in priore versu, vel in posteriore *monte*. ID.

745. *Medios aciem dejecit in agros.* Non temere damnarem, immo præferrem *projecit*, quum ejusdem, sed rarioris sit usus, quam *dejecit*. Frontin. I, c. 1, § 6: « Adseverabat se opportunitate collium usurum ad eludendos sagittarios. Omnia autem vereri, si se in patentes campos *projecissent.* » Ovid. Ep. II, Her. 135: «.Ad sua me fluctus *projectam* litora portent. » *Projecta Mevania*, pro *depressa*, *humili*, Silius, VI, 646. « Regna *projecta* sub Austro » Noster habet, VIII, 442. Adde IX, 432. Præterea hoc verbum injuriam quamdam, et negligentiam designat, quam in Curione reprehendit Lucanus. Virgil. Ecl. VII, 42: « *Projecta* vilior alga. » Supra, 516: « *Projeci* vitam, comites. » Pro *medios* unice verum arbitror *mersos*, id est, depressos, humiles. Ejus vocis glossa est *planos*. Quare eam eruditiorem certe, et reconditi magis sensus, quam ut ex librariis nata esse possit, recepi. *Mersum* dicitur omne id, quod depressum, sive demissum est. OUD.— Pro *aciem* codex Academiæ *acies;* quod eo placet, quia *aciem* jam v. 743 habuimus. Sic infra 777: « Ergo *acies tantæ* parvum spissantur in orbem. » BENTL.

747. *Undique completis clauserunt montibus agmen.* Versum hunc non habet Regius codex sec. rarissime vitiosus in hac re: sed librarius aperte in errorem delatus est, conjungendo *patuere doli* et *Numidæ fugaces*. Verba *patuere doli* ex more poetæ explicantur v. 747, ita ut eo carere non possimus. Sed alia est difficultas in verbo *completis*, quod Burmanno h. l. male dictum videtur. Heinsius invenerat in quibusdam *repletis*. *Re* in verbis compositis, ubi muta cum liquida sequitur, certe ante *cl*, *fl*, *pl* in Lucano fere semper corripitur, exceptis duobus locis, III, 630 « *Ad summos* repleta *foros*, » ubi tamen cod. Bersm. habet *completa*, et IX, 998, si genuinus est, « *Constituam sparsas arces*, replebo *ruinas;* » in aliis autem poetis v. *replere* primam productam habet, cf. Intpp. ad Ovid. Met. VII, 628. Quare h. l. *repletis* recipere nolim, licet per arsin melius quam in thesi stare possit. *Completis* recte habet; poeta enim per *Numidas fugaces* Jubæ et Saburæ copias conjunctas intelligit, ita ut partem montes complevisse, partem Romanorum agmen a tergo cinxisse dicat. *Completi montes* itaque sunt montes militibus, multitudine militum completi; et dicitur absolute, cf. I,

468 de Cæsare, *vicinaque mœnia complet. Complexi*, quod Burm. voluit, in v. *clauserunt* quodammodo inest; *undique completis* vero magnum hostium numerum, cf. supra v. 676, simul et dolum eorum notat. WEB.

751. *Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos Ora terens.* Verba *pulsu... terens* Gujetus pro spuriis habet, causa tamen non addita, quæ in repetitione v. *Ora* vs. 755, et in sententia ex vers. 755 vel 758 hausta, fuisse videtur. De repetitione nunc non est quod moneam; versus laudati autem nostrum locum potius tuentur. Etenim singula singulis in toto loco respondent, ita ut, verbis *pulsu... terens* omissis, aliquid deesse videatur. Fortasse quoque virum doctum varia lectio movit, quæ tamen ex soleuni librariorum errore orta est. Bene *terens* ab Oudend. defenditur, quod v. *rigidos* quodammodo flagitat; *tenens* h. l. languet. IDEM.

760. *Calcaribus*. Lege, *clamoribus*. BENTL.—*Calcaribus*. Quasi non satis dixisset *verberibus*, *stimulisque* (quæ jungit quoque V, 175, ut Statius VI, 460) addit etiam *calcaria*: quomodo solet Noster bis idem, et omnia exaggerando, ne quid prætermittat, nimis multa dicere, non magna ejus laude. Quamvis excusari quoque Lucanus possit; si credamus, illum vel iterata editione, ut putabat Grotius, quosdam versus emendasse, qui una cum cæteris dein in textum irrepserint, vel potius eum quosdam diversos ejusdem sententiæ versus præ divite ingenii vena composuisse, et adscripsisse, ut dein accuratiore judicii lima eos perpoliret, et superfluos eraderet. Quod per immaturam mortem ipsi non licuit. Examinet attentus lector inprimis hæc loca: lib. IV, 299, etc. V, 434, 435; VI, 187, 208, 554, etc. IX, 632, etc. X, 123, 127, et alia. *Addere gradum*, ut hic, Livius quoque habet, lib. X, 20; XXVI, 9. Sed etiam sine substantivo *gradum*, Virgilius, Georg. I, 513; et Silius, XVI, 374, *addere in spatio* dixit. *In campum accipere habenas* supra legimus III, 500.

762. *Neque enim impetus illis*, etc. *Ullis* unus Bersm. item *ulli*. Scio, sæpe auctores a singulari transire ad pluralem numerum, et contra. Hic tamen maxime arridet lectio veterrimi Vossiani secundi *ille*. Motus ille, sive morarum interruptio, quam equi per vulnera fecerant, non fuit impetus, et incursus, sed tantum accessus propior ad hostes, quo facilius vulnerari possent. OUD.—Lege *ille* vel *illud*. Virgil. Æn. III, 173: « Nec sopor *illud* erat. » Quintil. Declam. IV: « Non fuit *illud* pugna, non acies. » Sic alii passim. BENTL.

763. *Profertur*. Bersm. unus *perfertur*. Quod notaret accessum plenum ad hostes, ut cominus venerint. Male.

775..... *Non vulneribus, nec sanguine solum*, etc. Prava distinctio ple-

rasque editiones obsedit; tu interpunge: « nec sanguine solum Telorum nimbo peritura *ac* pondere ferri. » Prior negat vulneribus perituros, quod falsum; quum *et cominus et eminus* obruantur: posterior affirmat, et vulneribus et ipso telorum pondere perituros. Omnes nostri *ac pondere*. BENTL. — *Non sanguine solum*, *Telorum*, etc. Sic vulgo. Quod ortum est ex edd. Micylli et Pulmanni. Sed non vult Lucanus, juventutem tantum fuisse perituram telorum nimbo, et ferri pondere, non vero vulneribus sanguinolentis. Quod absurdum foret. Verum ait, eos non solum acceptis per hastas, gladiosque vulneribus, ex quibus sanguis profluit, perituros; sed etiam telorum nimbo et pondere, quæ, velut nubes, in confertos jaciebantur, et desuper cadentia irrita non esse poterant. Quam hujus loci explicationem res ipsa flagitat. Aldus, Colin. et Steph. ediderunt: « nec sanguine solum Telorum nimbo peritura, at pondere ferri. » Sed male, et contra MSS. Disjunctiva particula *sed* subintelligenda est ante *telorum nimbo*, quæ ellipsis in Lucano frequens. Similis autem est locus Statii, Theb. VIII, 414: « Hi pereunt missis, illi redeuntibus hastis, etc. Nec locus ad terram telis; in corpora ferrum Omne cadit. »

778. *Ac, si quis metuens medium correpsit in agmen, Vix impune suos inter convertitur enses*. Hi duo versus suspecti sunt Gujeto, et fortasse inde nati, quod interpolator sententiam præcedentis versus amplificet. Sed Lucanus, ut solet, prius dicta variando explicat, spissatas acies in his ostendens, eodem modo, quo infra per verba *non arma*, etc. densatum virorum globum exponit. Utraque membra sibi respondent, ita ut vel hanc ob rem hi versus deleri non debeant. Neque Scholiastes Lips. in hac re aliquid probat, quia sententiam tantum in universum explicat. Neque variæ lectiones versum suspectum reddere valent, neque habent singula verba quidquam Lucano non dignum. Male Cortius positionem verborum *metuens medium* mutavit, regulam illam, ni fallor, sequutus, secundum quam Lucanus adjectivum loco a substantivo remotiori ponit. Quod licet in pluribus locis verum sit, maxime ubi duo adjectiva conjuncta sunt, minime tamen sensu adversante fit. Etenim hanc sibi legem meliores poetæ Romanorum scripserunt, ut verborum ordo in versibus quoque is esset, quem sensus flagitaret, de qua re alibi accuratius dicemus. Quæ lex, etiasi a Lucano, utpote a meliori poeseos ratione jam alieno, non ubique servata sit, tamen iis in locis, ubi MSS. ope melior et rectior verborum ordo restitui potest, a nobis respici debet. *Medium metuens* h. l. facile, sed male conjungi possunt; itaque probandum est, quod plurimi et optimi libri habent, *metuens medium*.

780. *Densaturque globus*. Citat Servius (ad Virgil. Æn. X, 432) *denseturque*. Et ait similiter scriptum Virgilio: *Extremi addensent aciem*, secunda conjugatione, quod apertum ex Lucretio, I, 393: « quia se condenseat aer. » Quod autem idem Servius in fine hujus versus *relicto* habet

pro *relato*, aut memoriæ ipsius, aut exscribentis est culpa. Grotius. — Festinabat vir magnus, quum hæc scriberet : non enim citat Servius *Denseturque :* ad rem ipsam ille respicit, non ad verbum : neque omnino priorem hujus versus partem memorat, quin et *relecto* habet in postremis editionibus, in vetere Rob. Stephani *relato*. Sed Priscianus, p. 838, hunc Lucani locum ea gratia laudat, ut diversam conjugationem probet; nempe quum Virgilius dixerit *addensent* secundæ conjugationis; Lucanum in prima dixisse, *Densaturque globus :* et sic codex Prisciani manuscriptus, et res ipsa firmat. Quare accipimus *Densaturque;* ut et omnes nostri codices jam præferunt. Idem Priscianus *relato* habet, et cum Servio v. seq. *Constringit;* ut et aliquot Lucani codices. Bentl.

783. *Frangitur armatum colliso pectore pectus*. Quid ad rem facit, *armatum ?* Repone *artatum*, sive stipatum, compressum. Silius, IV, 555 : « nec *artatis* locus est in morte cadendi. « Et IX, 322 : « nec morte peracta *Artatis* cecidisse licet. » Livius, XXIII, 27 : « Undique *pulsi* coire in orbem, et dum corporibus applicantur, armaque armis jungunt, in *artum* compulsi (lege *compressi*), quum vix movendis armis spatii esset. » Bentl.

803. *Ante jaces, quam dira duces Pharsalia confert.* Amstel. codex, quem sæpius in hac re notavimus, versum omittit; negligenti enim librario sensus sine eo perfectus erat, licet ratio totius loci, et seq. *spectandumque* errorem admissum potuerit docere. Versus ironice dictus est, ut multa in Nostro, neque auctoritate cod. pejoris damnari debat. Pro *jaces* legitur corrupte *acies; jacere* proprie de mortuis dicitur, cf. VII, 793; VIII, 102; IX, 229, et Burm. ad IV, 358. Denique Rottend. pr. *dura* pro *dira* habet, quæ sæpissime in libris confunduntur, cf. Oudendorp. var. lect. ad III, 312; V, 372; IX, 820; sed, quamvis *durus* de bello dicitur, cf. V, 265, 723, h. l. tamen non probarim, præsertim quum Noster de bello civili et maxime de pugna Pharsalica epitheton *dirus* amet, cf. I, 58; III, 150; VII, 689. Web.

805. *Has urbi miseræ vestro de sanguine pœnas Ferre datis : luitis jugulo sic arma, potentes.* Hi versus in cod. Laurent. variato ordine leguntur; causa mutationis non apparet, sed verba genuina esse, Lucani mores et verba sequentia, quibuscum cohærent, ostendunt. Vulgatum autem ordinem commutari non debere, nisi sensu verborum turbato, apertum est. In singulis, excepto v. *Ferre*, nihil est, quod moneam; etenim *nostro* et *petentes* ex solenni errore orta sunt, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. XI, 117; Burm. ad Lucan. II, 230. Pro *Ferre* vero legitur *Nempe* in Voss. pr. quod a Cortio receptum mihi quoque se probat; etenim non intelligitur, cur *Nempe* a librariis h. l. additum sit, quum *ferre* facilius ex glossa ad v. *datis* oriri posset. Deinde *Nempe*, cum indignatione vel iro-

nia dictum et præcedentia affirmans, sententiæ totius loci convenire, et verbo *sic* in sequentibus optime respondere videtur, melius quam *ferre*, quod quodammodo abundat. Ita *nempe* cum indignatione legitur IV, 228; V, 775 et VIII, 352; cf. Burm. ad Propert. I, 3, 37, et ad Val. Flacc. III, 513; VI, 282. WEB.

813. *Digna damus, juvenis, meritæ præconia vitæ.* Illud *meritæ* non placet. Lege: « Digna damus, juvenis, *primæ* præconia vitæ. » BENTL.

816. *Perdita nunc Urbi nocuerunt secula, postquam.* Versus in uno MS. Cortii non nisi a sec. manu legitur, et salvo sensu abesse potest; sed hoc ipsum in causa fuit, ut librarius errarit, neque errorem senserit. Sine dubio enim negligentiæ hoc tribuendum est, quum nulla ratio appareat, qua talis versus ortus sit, nisi quis cum Gujeto hunc, præcedentes et sequentes versus, qui librum finiunt, pro spuriis habeat, permotus fortasse sententia, quæ ex libr. I, 160 sqq. hic repetita sit, vel quia Lucanus, Curionem perosus, talia non facile additurus fuisset. Neutra tamen causa satis justa videtur: neque illa, quia hæc a prioribus longe diversa sunt, et Lucanus, patriæ amantissimus, talia, licet diversis modis, repetere solet; neque hæc, quia v. 813 dicit: « Digna damus, juvenis, meritæ præconia vitæ; » versus sequens autem præconium dignum non continet. Denique in toto loco, sive sententias, sive singula verba spectes, nihil offendi potest, quod Lucano indignum deleri debeat. Relinquamus igitur Gujeto suum, nos nostrum servabimus poetam. Quod singula vers. 816 attinet, Burm. *nunc* pro *tunc* ex Rottend. tert. et Turr. voluit, neque negari potest, poetas epicos interdum in narrandis rebus hac particula uti, quod tamen non in hujusmodi locis fit, cf. IV, 189: « Nunc ades, » in allocutione; VII, 40: « Nunc quoque flebunt, » ubi oratio commota est; VIII, 724: « nunc Exspectat fluctus, » ubi tota res pro præsenti narratur. Sed aliis in locis a Burm. laudatis res dubia est, ut I, 217, ubi solus Hamb. pr. *nunc* habet, quod ad v. *præbebat* et *auxerat* non quadrat, præsertim quum poeta simpliciter, id quod semper fuerit per præsens *cadit*, *impellitur*, *serpit*, sed id quod raro factum sit per tempus historicum, exprimat. Eodem modo *nunc* V, 625 non probarim; procella enim, quæ tunc erat, comparatur eum priori procella, poeta rem simpliciter narrante. Multo minus autem *nunc* in nostro loco aptum est, ubi causa rei præteritæ a poeta additur, ita ut recte quæ nunc facit, *damus præconia*, illis quæ tunc fiebant, *tunc nocuerunt secula*, opponat, ut jam tempus præteritum indicat. Magis placet, quod Burm. vult, *urbis* pro *urbi*, sed conjectura non opus est, quum Curio melius excusari posse videatur, si omnes in eadem causa sunt; præterea solet Lucanus de Roma in universum ita loqui, ipsaque verborum positio dativum probat. *Secula* denique, quod Burmann. recte de moribus hujus temporis explicat, sæpius ita legitur: cf. X, 110; « Explicuit—Cleopatra—Nondum translatos *Romana in*

secula luxus; » Consol. ad Liv. 45 : « Quid tenuisse animum contra *sua secula* rectum? » Burm. ad Propert. I, 16, 12. Quare male variæ lectiones Stephani *fœdera* præbent, quod fortasse a docto scriba ex I, 86 haustum est.

821. *Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense.* Non improbanda hæc lectio : at MS. Putean. « Jus licet in jugulos *nostro* sibi fecerit *ense* Sulla potens. » Quasi dicat, Romanos Romanis armis subactos, sicut alius dixit, provincias provinciarum sanguine vinci. GROT.—Placeret hæc lectio et non dissimile illud X, 352 : « Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento, In cunctos, in seque simul; » nisi veriorem, sed ejusdem sensus, suppeditarent nobis optimi libri *ensis*. « Sulla potens *ensis* nostri, » ut elegantissimum restituit Oudend. Sic I, 83, *pelagi terræque potens*, V, 50; VIII, 554 : *Regum potens.*

823. *Domus series.* Vitiose in variis Stephani lectionibus *acies* exhibetur. *Series* continuam notat familiam, ut bene interpretes. Claudian. in Eutrop. I, 456 : « gens Claudis surgit, Et Curii *series.* »

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM

LIBRI QUINTI

E SULPITIO DESUMPTUM.

Quintus in Ægypto narrat te, Magne, senatum
Constituisse ducem : tum Delphica consulit antra
Appius, et domitis rediens jam Cæsar Iberis,
Componit sævos intra sua castra tumultus.
Et dictator abit, nec non et consul ab urbe
Brundusium, classem recipit; Pharsalia cymba
Pæne ducis periit temeraria : navigat inde
Marcus, et in Lesbum te vir, Cornelia, mittit.

M. ANNÆI LUCANI

PHARSALIA.

LIBER QUINTUS.

ANALYSIS.

Ineunte hieme senatus in Epirum convocatur, de rebus præsentibus deliberaturus; 1 — 14. Lentuli consulis oratio. Ducem belli Pompeium eligendum censet; 15—47. Adsentit senatus et in reges populosque merentes decernit honorem; 47 — 64. Pro explorando belli eventu Appius Delphicum oraculum jamdudum tacitum consulere vult; 64—70. Oraculi descriptio; 70 — 120. Phemonoe sacerdos Appium dissuadere tentat ne se interroget; 120—140. Ab Appio coacta falsum oraculum refert; 141 — 157. Sed minis Appii conterrita, Deum concipit, et vocibus ambiguis futurum belli eventum denuntiat; 158 — 236. Interea Cæsariani milites seditionem movent; 237—261. Eorum minæ et querelæ; 261 — 296. Seditiosis obvius fit Cæsar audax et intrepidus; 297—318. Eos alloquitur; 319—364. Paucis contumacioribus supplicio adflictis, tumultus sedatur; 364—373. Brundisium ad naves cogendas exercitum mittit, dum ipse sine milite repetit Romam, ubi dictaturam et consulatus honores ei

contingunt; 374 — 384. Comitia finguntur, sed cælum servare vetat et sub imperatoris nomine summam rerum occupat; 385—402. Revertitur Brundisium : ibi collecta classe, copiarum partem in naves conscendere jubet, etsi procellam cælum denuntiet; 403 — 411. Milites oratione erigit; 412 — 423. Subito torpore ventorum jacet mare, et in medio classis detineri timet: sed tandem in Epirum adpellit; 424 — 460. Stant tandem in conspectu ambo exercitus; 461 — 475. Cæsar Antonium sollicitat, ut reliquas copias ad se adducere properet; 476—497. — Tandem moræ impatiens, ipse ad eum proficiscitur; 497 — 503. Per noctem solus egreditur castris, et cymbæ cujusdam rectorem excitat, modica ex casa, Amyclam, quem rogat ut se in Italiam trajiciat; 504—537. Ille benigne respondet; 538—560. Ingruente procella timet cymbæ rector; 561 — 576. Verba Cæsaris; 577—593. Procellæ descriptio; 593—653. Verba Cæsaris; 654—671. Incolumis in Epiri litus revehitur; 672—681. Temerariam virtutem ducis milites blande accusant; 682—702. Venit cum classe Antonius; 703—721. Ubi jam pugnæ instat discrimen, Corneliam uxorem Pompeius Lesbum amovere statuit; 722—739. Ejus ad Corneliam oratio; 739—759. Respondet Cornelia; 759—790. Ejus abeuntis et a Pompeio separatæ sensus; 790 ad finem.

Sic alterna duces bellorum vulnera passos
In Macetum terras, miscens adversa secundis,
Servavit fortuna pares. Jam sparserat Hæmo

1. *Sic alterna.* Commemorat inconstantiam Fortunæ, qua nunc hic, nunc ille victor evaserat. — *Duces bel. vulnera passos.* Pompeium, Italia pulsum, Massilia expugnata, et exercitibus, cum Hispaniis amissis: Cæsarem, navali clade in Hadriatico accepta, et Curione cum exercitu in Africa cæso.

2. *In terras*, i. e. usque ad.

3. *Servavit Fortuna pares.* Alternante tamen fortuna, reservati sunt pares de summa rerum dimicaturi in Pharsalia pugna. — *Jam sparserat.* Hiemis

Bruma nives, gelidoque cadens Atlantis Olympo:
Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis,
Quique colit primus ducentem tempora Janum.
Dum tamen emeriti remanet pars ultima juris,
Consul uterque vagos belli per munia Patres
Elicit Epirum. Peregrina ac sordida sedes
Romanos cepit proceres; secretaque rerum
Hospes in externis audivit curia tectis:
Nam quis castra vocet tot strictas jure secures,

notatio. — *Hæmo*. Thraciæ monte.

4. *Gelidoque cadens Atlantis*, etc. Cave illud *Atlantis* secundo casu accipias. Significat enim ex occasu Vergiliarum mensem Decembrem. — *Atlantis*. Sc. Maia, vel alia e filiabus Atlantis. Synecdoche singularis pro plurali. Sic II, 722: « Et jam Pleias hebet. » Atlantides, Pleiades occiderant cosmice, quod fit circiter III Id. Novemb.

5. *Dies, qui dat nova*, etc. Calendæ Januarii, quo die creati novi consules, eorumque nomina præfigebantur sui anni Fastis, id est, libris singulorum annorum descriptiones et gesta continentibus.

6. *Quique colit primus*, etc. Festus dies nomine Jani, choragi, patris docisque insequentis anni. Ovid. Fast. I; Martial lib. VIII, ep. 2.— *Ducentem tempora Janum*. Id est, novum annum, ut Tibull. Eleg. IV, 1, 123: « ducem anni » vocat Cal. Januarias.

7. *Dum tamen*. Nondum plane peracto potestatis suæ consolaris tempore. Mensis enim tunc Novembris agebatur, in quo apud consules jam pars est ultima dignitatis. Schol. — *Emeriti juris*. Id est, expletæ potestatis. Metaph. a militia; conf. lib. III, vs. 632.

8. *Consul uterque*, etc. Lentulus et Marcellus coss. in Epirum convocaverunt senatores. — *Vagos*. I. e. dispersos per provincias ad exercitum colligendum, *belli munia*, i. e. officia.

9. *Elicit Epirum*. Pro: in Epirum. Epirus, quæ et Molossis dicta, celebris olim regno Pyrrhi.

10. *Secreta rerum*. Arcana senatus deliberantis consilia.

11. *Hospes curia*. Curia enim jam in exteras terras translata erat. Hort.—*Hospes* dictum pro *hospita*, ut solebant hospes utroque genere et adjectivi modo dicere. Sic *hospita sacra*, Manil. I, 6. Hinc *hospes aurora* Ægyptos Statio dicitur Theb. VI, 279.— *Externis*. Non quia exteroi senatoribus mixti fuerunt, sed quia ipsa tecta, ædes, in quibus senatores conveniebant, essent externæ. Ed.

12. *Nam quis castra*, etc. Quidni enim appellem curiam potius senatorum, quam castra Pompeii, ubi tot simul legitimi magistratus cum insignibus suis, fascibus et securibus?

Tot fasces? docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.
Ut primum mœstum tenuere silentia cœtum,
Lentulus excelsa sublimis sede profatur :
« Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis, non qua tellure coacti,
Quamque procul tectis captæ sedeamus ab urbis
Cernite : sed vestræ faciem cognoscite turbæ ;
Cunctaque jussuri primum hoc decernite, Patres,
Quod regnis, populisque liquet, nos esse senatum.
Nam, vel hyperboreæ plaustrum glaciale sub Ursæ,
Vel plaga qua torrens claususque vaporibus axis

13. *Docuit populos*, etc. Et tot conspecti simul venerabiles senatores docuerunt populos et gentes quæ confluxerant, non convenisse senatum in partes Pompeii, sed et ipsum Pompeium sequutum partes senatus. Vult enim poeta curiam plus esse, quam Magnum. Invidiosius Florus IV, 2, 15 : « De successione Cæsaris senatus, id est, Pompeius, agitabat. »

15. *Mœstum tenuere*, etc. Hypallage. Cœtus mœstus tenuit silentia ; vel dictum, ut spes tenet aliquem, sic silentium tenebat omnes attentos et ora defixos in Lentulum.

17. *Indole si dignum Latia*. Si vera illa et prisca virtus Romana animis vestris insideat, nolite expendere ubi simus : sed ex tot senatorum ac civium præsentia, succurrat vobis, qui simus.

21. *Jussuri*. Jubere quidem, populi est, non senatus. Sed, capta urbe, comitia haberi non poterant ; quare nunc vires populi senatus subit, nec decernit tantum, sed jubet. Notandum utroque verbo Nostrum hic uti. Decernite, patres, primum nos esse senatum legitimum, et deinde quum justus sit declaratus, tum jussuri omnia, quæ olim in comitiis peragi solebant. Sic mox v. 46 : « Magnumque jubete Esse ducem. » BURM.

22. *Quod regnis*, etc. Facto a vobis senatusconsulto sciant populi, hic esse senatum, quem penes est totius orbis terræ imperium.

23. *Nam, vel hyperboreæ*, etc. Quem senatum si qua iniquæ Fortunæ procella raperet in oras Boreali Arcto vel torridæ zonæ subjectas ; commigratura tamen sit res omnis publica, et nos comitabitur imperium.

24. *Plaga qua torrens*. Circulus æquinoctialis æstu et caloribus constrictus, sub quo degentes perennem habent ἰσημερίαν.—*Claususque vaporibus*. Opponit plagæ frigidæ, intolerabilem æstum zonæ torridæ, quæ intra duos tropicos Cancri et Capricorni, quos medius dividit æquinoctialis, continetur et quasi clauditur : et æstum *vapores* vocat. HORTENS.—

Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes. Tarpeia sede perusta
Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit. Non umquam perdidit ordo
Mutato sua jura solo. Mœrentia tecta
Cæsar habet, vacuasque domos, legesque silentes,
Clausaque justitio tristi fora. Curia solos

Oudendorpius autem melius per *clausum vaporibus axem* intelligit plagam nimiis æstibus inhabitabilem et inaccessam. Sic plerumque mare tempestate vel hieme *clausum* dicitur. Noster v. 407: « *clausas* ventis brumalibus undas. » « Alpes hieme *clausas*, » scribit Livius XXVII, c. 36. Conf. Valerius Flaccus, lib. VII, 230. Ed.

25. *Nec iniquos soles*. Æquinoctialis circulus non patitur noctes ac dies inæquales esse. — *Crescere*. H. e. longiores noctibus esse.

26. *Summa*. Agit de jure senatus, quem dicit, quocumque loco cogatur, summam habiturum potestatem et imperium. Sic *summa* pro imperio Ovid. Her. VII, 12: « Nec sceptro tradita summa tuo. » Ut hic « summa rerum, » sic Terent. Phorm. II, 2, 3. Ed.

27. *Comes*. Hic et hæc *comes* facit. Adjungitur etiam neutro generi. Schol. — *Tarpeia sede perusta*, etc. Confirmat ab exemplo, ibi Romam et imperium Romanum esse, ubi augustus ordo senatorius. Hortens. — *Tarpeia sede perusta*. Lib. I, vs. 169. Urbe Roma Synecdoche. Neque enim Capitolium a Gallis incensum est.

28. *Veiosque habitante Camillo*. Camillus exsulabat Ardeæ: cui, inde evocato Veios, dictatura et rerum summa S. C. tradita est. Male quidam putant Lucanum hic errasse quasi dixerit Camillum exsulasse Veiis. Falsus autem videtur Florus qui, lib. I, c. 21, Camillum Veiis consenuisse ait. Ed.

29. *Illic Roma fuit*. Expressit acrius eamdem sententiam clarissimus vates P. Corneille, *in Sertorio*, Act. III, sc. 2: « Rome n'est plus dans Rome, elle est toute où je suis. » Ed. — *Ordo*. Senatorius.

30. *Mœrentia tecta*, etc. Urbem Romam occupavit Cæsar, vacuam, mœstam, oppressis legibus et in dicta juris dicundi intermissione tristem.

32. *Curia solos*, etc. *Illa*, quam Cæsar habet. Curia non videt alios senatores, quam eos quos ambitus, majestatis læsæ alteriusve noxæ damnatos, Cæsar urbi restitutos revocavit. Schol. explicat: « Curia nos solos videt et meminit senatores. » Male. Ait Lucanus: In curia sive senatu isto, quem Romæ coegit Cæsar, solos esse eos, quos fugavit antea curia sive senatus ex urbe tunc suis civibus plena, non ut nunc vacua: fugavit autem, in exsilium ejecit ob crimina ipsorum. Cave igitur ne *fugavit* de Cæsare

Illa videt Patres, plena quos urbe fugavit.
Ordine de tanto quisquis non exsulat, hic est.
Ignaros scelerum, longaque in pace quietos,
Bellorum primus sparsit furor : omnia rursus
Membra loco redeunt. En totis viribus orbis
Hesperiam pensant Superi : jacet hostis in undis
Obrutus Illyricis : Libyæ squalentibus arvis
Curio Cæsarei cecidit pars magna senatus,
Tollite signa duces : fatorum impellite cursum :
Spem vestram præstate Deis; fortunaque tantos
Det vobis animos, quantos fugientibus hostem
Causa dabat. Nostrum exacto jus clauditur anno :

intelligas, contra sensum et ipsa verba. Ed.

34. *Quisquis non exsulat.* Id est, exsilium non meruit, exsilio non mulctatur. Exsules enim dominantur Romæ : senatus hic est. Ed.

35. *Ignaros scelerum,* etc. Sub primo belli civilis motu et trepidatione consternati diffugiebant : huc tandem in Epirum convenerunt tamquam in corpus suum, senatores et alii ordines.

37. *Viribus orbis.* Quæ in auxilium nostrum advenerunt.

38. *Hesperiam pensant Superi.* Italiam a nobis relictam solantur adjunctis totius orbis viribus. — *Hostis in,* etc. Vulteius cum rate Opiterginorum. Cf. supra IV, 402, seq.

39. *Libyæ squalentibus arvis.* Hoc epitheton Libyæ sæpe adjungit Noster I, 205 : « Sic quum squalentibus arvis Æstiferæ Libyes. » Incultam et desertam regionem significat. Sic Virgil. Georg. I, 507 : « squalent abductis arva colonis. » Clades autem hic innuitur, quam descripsit Lucanus, fusissime quidem, IV, 581. Ed.

40. *Cæsarei cecidit pars magna senatus.* Cæsari intimus et summo in honore habitus, et quo cæso multum minuitur Cæsaris senatus.

41. *Fatorum impellite cursum.* Urgete fata, et, quo Dii faventes vocant, cum bona fiducia sequimini.

42. *Spem.* Id est, quia Dii nobis præstitere victoriam, ipsis debetis, ut speretis cuncta meliora. Sch. — *Fortunaque tantos,* etc. Successus det vobis fortes animos ad persequendum libertatis hostem, non secus atque justitia causæ dedit vobis animum relinquendæ urbis, illo invadente.

44. *Causa.* Tunc enim, quum fugeremus, spem evadendi habuimus, quod nos justiores partes sequuti esse videbamur. Nunc ideo speremus, quia et superiores sumus. Schol. — *Nostrum exacto,* etc. Potestatis nostræ consularis imperium cum anno exacto, i. e. finito, finem habet. Passim autem elapsum tempus dicitur *exactum*; II, 577 :

Vos, quorum finem non est sensura potestas,
Consulite in medium, patres, Magnumque jubete
Esse ducem. » Læto nomen clamore senatus
Excipit : et Magno fatum patriæque suumque
Imposuit. Tunc in reges, populosque merentes
Sparsus honos : pelagique potens Phœbeia donis
Exornata Rhodos, gelidique inculta juventus
Taygeti : fama veteres laudantur Athenæ;
Massiliæque suæ donatur libera Phocis.
Tunc Sadalen, fortemque Cotyn, fidumque per arma

« Exactum quam Cynthia conderet orbem. » Ed.

45. *Vos*, etc. Vos, senatores, quorum auctoritas non est annua.

46. *In medium, patres*. In commune. Quod vobis reique pub. honum, felix, faustumque sit. — *Magnumque jubete Esse ducem*. Declarate Pompeium belli ducem. Quod et prius Capuæ factum, sed adjunctis coss.

47. *Læto nomen clamore*. Summo omnium applausu ac suffragiis decernitur summa rei Pompeio. Hort.

48. *Fatum patriæque*, etc. Publicæ et privatæ rei fatum, fortunam et administrationem.

49. *Tunc in reges*, etc. Collandati reges et populi de republica bene meriti, iisque honores habiti, qui senatus auspicia sequuti auxilia attulerant miserantve, quorum nonnullos pergit enumerare.

50. *Sparsus honos*. I. e. divisus a senatu; collaudati sunt omnes, qui pro Magni parte faciebant. Schol. — *Honor* rescripsit Oudend. pro *honos*, ob nimiam repetitionem sibilæ literæ *s*. — *Pelagique potens Phœbeia*, etc. Rhodos insula Carpathii pelagi classe potens, dilecta Phœbo, cujus radiis semel die vel maxime nubilo lustratur ob amatam, ut fabulantur, Rhoden virginem, colosso et templo Phœbi clara, ut quæ Phœbo sorte cesserit. Pindarus, Olymp. VII; Horat. Carm. I, 7.

51. *Gelidique inculta*, etc. Lacedæmonii. Taygetus mons in Laconica Eurotæ fluvio vicinus. *Inculta* dicitur juventus, quia tristis et severis moribus.

52. *Fama*. Sapientiæne studiorum, an victoriarum? — Utraque scil. quia duplex Athenarum gloria. — *Athenæ*. Αὐτόχθονας enim se esse volebant, cujus rei insignia gestabant in verticibus, cicadas aureas.

53. *Massiliæque suæ*, etc. Et Phocis, Achaiæ regio, libertate donata ob Massiliam coloniam ejus, quam tamen a Phocensibus Asiæ deductam meminimus, III, 340.

54. *Tunc Sadalen, fortemque Cotyn*. Equites ex Thracia D dedit Cotys et Sadalen filium misit. Cæs. Civ. Bel. III, c. 4. — *Fidumque per arma*. Id est, Pompeio fidelem, quia ei mittit auxilia. Schol. — Sexcentos equites adduxit Galatiæ rex Dejota-

Dejotarum, et gelidæ dominum Rhascupolin oræ
Collaudant; Libyamque jubent auctore senatu
Sceptrifero parere Jubæ: pro, tristia fata!
Et tibi, non fidæ gentis dignissime regno,
Fortunæ, Ptolemæe, pudor, crimenque Deorum,
Cingere Pellæo pressos diademate crines
Permissum: sævum in populos, puer, accipis ensem:
Atque utinam in populos! donata est regia Lagi;
Accessit Magni jugulus; regnumque sorori

rus, pro quo exstat oratio Ciceronis.

55. *Gelidæ dominum Rhascupolin.* CC equites misit Rhascupolis, ex Macedonia cui præerat, et quæ ob Thraciam vicinam, *gelida ora* dicitur.

56. *Libyamque jubent auctore senatu.* Ex auctoritate senatus decernitur Africa Jubæ.

57. *Sceptrifero.* Significat ei *regis* nomen esse delatum. — *Pro, tristia fata.* Quoniam autem Africæ meminit, quam senatus præsidiis contra vim Cæsaris firmavit; per occasionem in perfidiam Ptolemæi pueri exclamat: qui quum eum tractum defendere debuisset, quod a senatu in regnum confirmatus, Pompeium tutorem accepisset, eum postea ad se fugientem, scelerate trucidavit, parricidium cum perfidia conjungens, HORT. — Quingentos autem equites ex Gabinianis miserat Ptolemæus.

58. *Non fidæ gentis*, etc. Indigne regno fidæ gentis; vel melius, digne regno non fidæ gentis, Ægyptiæ scil. quæ erat infida et fraudulenta. Unde in eam invehitur Lucan. lib. VIII et X. Hac gente dignus erat Ptolemæus, ipse perfidus et Pompeii benefactoris sui interfector.

59. *Fortunæ, Ptolemæe, pudor.* Qui futurus erat dedecori Diis et Fortunæ tam indignum evehentibus. — *Crimenque Deorum.* Culpam in Deos transfert et Fortunam, quod tantum pueri scelus ibi regnare jusserint, ubi Alexander urbis dominator regnavit et conditus fuit. HORT.

60. *Cingere Pellæo*, etc. Ut Dionysius hic Ptolemæus, Auletæ filius, etiamnum puer, Pompeii rogatu confirmaretur Ægypti rex coronareturque diademate Alexandri Magni, in Pella Macedoniæ opp. nati, Alexandriæ in Ægypto conditoris. Strab. lib. XVII. De Pellæo diademate consule Spanheim. D. V, de Præst. Num. p. 457, et Bapt. Pium Syll. III, c. 106, Thes. crit. t. I, p. 508. ED.

61. *Sævum in populos*, etc. Crudeliter enim imperavit.

62. *Atque utinam in populos.* Utinam sæviisses in populos tantum, et non in Pompeium etiam et sororem tuam. Male hoc interpretatur Schol. quasi voluerit Lucanus Ægyptios non homines esse, sed monstra. Quod satis refellunt sequentia. ED. — *Regia Lagi.* Regnum Ægypti, quod obtinuerat Ptolemæus Lagi filius; VIII, 692.

63. *Accessit Magni jugulus.* Et

Ereptum est, soceroque nefas. Jam turba soluto
Arma petit cœtu; quæ quum populique, ducesque
Casibus incertis, et cæca sorte pararent,
Solus in ancipites metuit descendere Martis
Appius eventus; finemque expromere rerum
Sollicitat Superos, multosque obducta per annos
Delphica fatidici reserat penetralia Phœbi.
Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine, Parnasus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo Bromioque sacer : cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.

tanti muneris accepta merces; Pompeii, quem tu tutorem habueras, ad te confugientis cædes, inf. VIII, 573. —*Sorori*. Cleopatræ, quæ regni cum fratre hæres a patre relicta fuerat, et quam imperio exclusit.

64. *Soceroque nefas*. Pompeii cædes subtracta Cæsari, cui et postea insidiatus est ipse rex.—*Jam turba soluto*. Jam dimissa concione arma expedivere Pompeiani, non senatus tantum.

66. *Cæca sorte pararent*. Eventu ignoto et obscuro.

67. *Solus in ancipites*, etc. *Appius eventus*. Is (inquit Val. Max. lib. I, c. 8) eventum gravissimi motus explorare cupiens, viribus imperii (namque Achaiæ præerat) antistitem Delphicæ cortinæ in intimam sacri specus partem coegit descendere, etc. inf. vs. 120 et 224. Idem refert Orosius, lib. VI, c. 15.

69. *Obducta per annos*. Clausa cessante oraculo. Infra vs. 111 et 131. Sic omnes quos vidi habent. Burmannus *abducta*, latentia, quod ego non receperim. Ed.

71. *Hesperio tantum*, etc. In terræ umbilico, ab occasu et ortu æque distans. Jupiter scire volens quæ pars terrarum media esset, duas aquilas alteram ab oriente, alteram ab occidente misit, ut pari volatu adversus se tendentes ibi consisterent, ubi sibi obviæ factæ essent, quæ demum in hoc loco occurrerunt, ubi Delphicum oraculum est. Sch. — Sic Statius: « Audiit et medius cæli Parnasus. » Vid. Strabo, lib. IX.

72. *Gemino*. Tithoreo et Hyampeo dictis cacuminibus.

73. *Phœbo Bromioque sacer*. Apollini et Baccho, ἀπὸ τοῦ βρέμειν, quorum utrumque eumdem esse cum Sole probat Macrob. Saturn. I, c. 18. Sol etiam et Liber unus putatur Deus Orpheo: ἥλιος, ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσι. Thebanæ Mænades, Bacchi ministræ, tertio quoque anno Delphis celebrabant sacra in memoriam victoriæ Indicæ. — *Numine mixto*. Communi cultu.

74. *Trieterica*. Sacra Trieterica, scil. triennalia, appellata sunt, quæ Libero patri, e victoria et expeditione Indica reverso, instituta fuere

Hoc solum, fluctu terras mergente, cacumen
Eminuit, pontoque fuit discrimen et astris.
Tu quoque vix summam seductus ab æquore rupem
Extuleras, unoque jugo, Parnase, latebas.
Ultor ibi expulsæ, premeret quum viscera partus,
Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis
Explicuit, quum regna Themis tripodasque teneret.

Thebis. Tertio quoque anno peragebantur sumptuosius et splendidius iis orgiis, quæ singulis annis celebrabantur. Hort.

75. *Hoc solum*, etc. Diluvio cæteris submersis, alter e Parnassi collibus eminuit. Ovid. Met. I, 315 sqq.

76. *Pontoque*, etc. Medium inter aquas et cælum; sine quo ista inter se mixta essent.

77. *Vix summam*. Vix summo jugo exstabas.

79. *Ultor*. Apollinem dicit vindicem matris. Apollo Jovis et Latonæ filius fuit. Juno autem, quæ omnes pellices odio habebat, matri illius Pythona serpentem misit, qui eam persequeretur. At illa fugiens ad Delon insulam pervenit, et ibi peperit primo Dianam, quæ mox, ut nata est, matri suæ obstetrix fuit: deinde Apollinem, qui mox natus Pythona serpentem sagittis interfecit. Quod ideo fingitur, quia Diana ipsa est Luna, quæ nocti præest. Nox vero diem præcedit. Apollo autem ipse est Sol, qui diem illustrat, atque suo occasu terminat. Ipse etiam divinationis Deus esse dicitur; quia Sol omnia quæ in nocte obscura fiunt, suo lumine facit aperta. Re autem vera Apollo homo fuit quidam sapientissimus et clarissimus. Unde et Apollo dictus est Sol. Schol. — *Premeret quum viscera partus*. Per partum non intelligit pariendi actum, et tempus, ut exponit Sulpitius, sed fœtum maturum, ut recte Ascensius; ipsum scilicet Apollinem et Dianam. Sic I, 562: « Monstrosique hominum partus. » Et alii sæpe. Cui explicationi optime convenit verbum *premere*, proprium oneri et ponderi: quomodo sæpissime fetum vocari, notum est. Phocas, in vita Maronis, Ed. nost. Vol. VII, p. 348: « Hæc quum maturo premeretur pondere ventris. » Ed.

80. *Pæan*. Apollo; I, 678. — *Pythona*. Pytho, Demogorgonis et Terræ filius, draco ingens et prodigiosus, qui ante natum Apollinem in Parnasso monte oracula reddidit. Hort. — *Sagittis*. Stravit humi mille gravem telis. — *Rudibus*. Nempe quibus nondum in aliud animal fuerat usus; ipse, dico, ultor matris expulsæ ab omni orbe, non, ut quidam explicant, cælo. Ed.

81. *Explicuit*. Interfecit. — *Themis*. Dea, quæ præcepit hominibus ea petere, quæ fas essent. Ovid. Metam. I; cujus unum toto orbe celeberrimum erat oraculum, cui Apollo successit. — *Tripodasque teneret*. Tripus, mensa erat, sive sedes aurea, vel ahenea, tres habens bases, quam ubi Pythia vates inscendisset, haustu divinationis spiritu, responsa referebat.

Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.
Quis latet hic Superum? quod numen ab æthere pressum
Dignatur cæcas inclusum habitare cavernas?
Quis terram cæli patitur Deus, omnia cursus
Æterni secreta tenens, mundique futuri
Conscius, ac populis sese proferre paratus,
Contactumque ferens hominis, magnusque, potensque
Sive canit fatum, seu quod jubet ipse canendo
Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,

Jamblichus de mysteriis. Cf. v. 152.

82. *Vastos telluris hiatus*, etc. In medio montis amfractu profundum terræ foramen, ex quo frigidus spiritus, vi quadam, velut vento, in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit; impletaque Deo responsa consulentibus dare cogit, etc. Ulteriorem templi Delphici descriptionem vide apud Justin. lib. XXIV, et Diod. Sicul. lib. XVI, de occasione inventi oraculi a pastore.

83. *Divinam spirare fidem.* Emittere oracula.—*Ventosque loquaces*, etc. Exhalationes specus; quæ mentes primum inflabant vatum, mox linguas in vaticinia solvebant. Ordo est : solumque, i. e. locum, exhalare ventos loquaces, nempe auram sonum quemdam facientem.

85. *Vates.* Ipse enim loquitur, non sacerdos.

86. *Quis latet hic Superum.* Oraculi hujus causam inquirit poeta.—*Quod numen*, etc. Quis Deus e cælo delapsus, immergi se concludique dignatur in hac caverna?

88. *Quis terram cæli patitur Deus.* Quis Deus, quum ei cælum patria sit ac sedes, in hac terra quasi exsilium patitur? — *Omnia cursus.* Fata, seriem ordinemque ab æterno constitutum.

89. *Mundique futuri*, etc. Ea quæ eventura sunt præsciens.

91. *Contactumque.* Conf. Senec. de Benef. lib. IV, c. 19 : « Deum divisum a contactu et a conspectu mortalium. »— *Hominis.* Phœbadis, virginis Pythiæ, quam ingressus suo numine implet; vel melius in genere, hominum.

92. *Quod jubet*, etc. Ita *fatum* dici volunt, quod Deus fatus est, id est, decrevit, constituit.

93. *Forsan terris inserta regendis.* An forte densior aliqua et potentior pars inest exspiratque, ex hoc antro Delphico, divinæ illius mentis et cælestis animæ, quæ infusa in omnes mundi partes, eum librat, regit, fovet,

Aere libratum vacuo quæ sustinet orbem,
Totius pars magna Jovis Cirrhæa per antra
Exit, et æthcrio trahitur connexa Tonanti.
Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
Humanam feriens animam sonat, oraque vatis
Solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Ætnam
Undat apex : Campana fremens ceu saxa vaporat
Conditus Inarimes æterna mole Typhœus.
Hoc tamen expositum cunctis, nullique negatum
Numen, ab humani solum se labe furoris

vegetatque? Virg. Georg. IV, 221: « Deum namque ire per omnes Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.» Æn. VI, 726: «Spiritus intus alit, etc.» Vide I, 89. — *Inserta*. Insertam dicit providentiam divinam, quam adsignat Jovi. Sch. — Mihi autem videtur Lucanus de quodam axe mundi per Delphos, mundi umbilicum, transeunte, cogitasse, quo ex axe sustineatur orbis in aere vacuo libratus, dum ipse cum cælo connectitur. Ed.

95. *Cirrhæa*. Cirrha, oppidum Phocidos, haud procul a Delphis.

96. *Ætherio trahitur*, etc. Cum superiore illo aere coit, et menti diviniori consonat.

97. *Hoc ubi virgineo*. Hoc igitur antro Pythia correpta divino furore, quem conceptum *numen* vocat, magno boatu responsa emugit. Ipsum, inquit, numen, os vatis solvit. Tum duabus similitudinibus horrendum illum sonum et vehementiam amplificat. Hor.

99. *Flammis urgentibus Ætnam*. Id est, angentibus, et erumpere cupientibus ex montis cratere. Ed.

100. *Undat apex*. Cacumen fumum undantem effundit in sublime. Hort. — *Campana fremens ceu saxa*. Ceu Inarime, insula in Campano, superjecta Typhœo effundit saxa. — *Vaporat*. Allusum ad nomen Typhœi, id est, procellæ conflagrationes ejusmodi succendentis.

101. *Inarimes*. Hæc alias Ænaria, a statione navium Æneæ, et Pithecusa, a figulinis doliariorum, ut Plinius, lib. III, c. 6, auctor est, appellata fuit; quæ olim profusa Prochyte nomen inde accepit. Homerum diversis vocibus Εἰν Ἀρίμοις, de Arimis Ciliciæ loco dixisse putant interpretes, quod Virgil. una dictione ad insulam Campaniæ transtulit, lib. IX, 716: «Inarime Jovis imperiis imposta Typhœo.» Sed Plin. loc. cit. Homero quoque hanc Inarimen dictam fuisse putat. Oud.

102. *Hoc ... expositum*. Hoc oraculum quanquam omnibus mortalibus patet, et consulentibus sine discrimine de futuris respondet; tamen renuit se immiscere humanis furoribus; ideoque de bello civili respondere nolet. Cf. vs. 139. Ed.

103. *Ab humani*. Quia quum om-

Vindicat. Haud illic tacito mala vota susurro
Concipiunt; nam fixa canens, mutandaque nulli,
Mortales optare vetat : justisque benignus
Sæpe dedit sedem notas mutantibus urbes,
Ut Tyriis : dedit ille minas impellere belli,
Ut Salaminiacum meminit mare : sustulit iras

nibus respondeat, homicidis non respondet. Quod autem dicit « se vindicat ab humani labe furoris, » ad illud retulit, quod homicidas constat furere. SCHOL. — Durvillius intelligit, Quia non audit injustas preces, nec admittit vota impia. Sic reliqui commentatores. Male Torrentius explicat : furoris humani, ficti a vatibus, non Apolline immissi. cf. not. 102. ED. — *Solum*. Alii explicant : unum ex Diis; malim, tantummodo. ED.

104. *Tacito susurro*. I. e. nil mali illic precari audent; quia Deus in responso publicabat, unde consulebatur; unde bene dicit *susurro*, quia orantes non aperte orant, vel quia iniqua precaturus tacite susurrabat. SCHOL. — Tacitarum harum precum insigne exemplum est apud Sophoclem, Elect. 638. Adde Persii Sat. II, 6: « murmurque humilesque susurros Tollere de templis, et aperto vivere voto. » Conf. Statius, Theb. VIII, 253 : « Et scelerum tacito rimatur semina voto. » Adde Juven. S. X, 289. ED.

105. *Nam fixa canens*, etc. Quum enim fata Deum canat certa, frustra voveat quis hæc mutari posse. Virg. Æn. VI, 376 : « Desine fata Deum flecti sperare precando. »

106. *Mortales optare vetat*. Responsa Apollinis tam stabilia et vera erant, ut, postquam dixisset, mutari non possent. Alii autem Dii decreta sua sacrificiis, vel alio more placati mutabant. Iste autem tam fixa dabat responsa, ut nullus post ejus responsionem, etiamsi læva essent, bona optare auderet. SCH. — *Justisque*, etc. Deus Apollo viris integris favens.

107. *Notas mutantibus urbes*. Ut Cadmus accepit, jussus bovem sequi, et ubi consedisset, ibi condere civitatem, vel melius, ut dedit Didoni. SCHOL. — Si legamus *motas mutantibus*, de Phœnicibus, qui terræ motu vexati relicto patriæ solo, Sidona, unde postea a rege Ascaloniorum pulsi, Tyron condidere, intelligo potius, quam de Cadmo aut Didone. Just. lib. XVIII; vel de colonis Gadium X, 457. Al. *totas*.

108. *Dedit ille minas*, etc. Idem Apollo docuit qua ratione bella essent ineunda; uti Athenienses ligneis mœnibus se tueri jussi, Persici belli minas repulere, devicto Xerxe navali pugna ad Salamina insulam. Herod. lib. VII. Polyb. *Impellere* pro *depellere*. Sic v. 41 : « fatorum impellite cursum. » Hoc autem verbum impense adhibere amavit Noster. Cf. V, 330, 757; VI, 36; VII, 576.

109. *Ut Salaminiacum*. Ipsos Salaminienses dicit. Hic enim Themistocli, Atheniensium duci, respondit, ut navali potius bello dimicaret, victoriam ibidem recepturus. Τεῖχος τριτογενεῖ ξυλινὸν διδοῖ ἐυρυόπα ζεύς. SCHOL. — *Sustulit iras*, etc. Sic Ægypti sterilitas e siccitate novem

Telluris sterilis, monstrato fine : resolvit
Aera tabificum. Non ullo sæcula dono
Nostra carent majore Deum, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges timuere futura,
Et Superos vetuere loqui. Nec voce negata
Cyrrhææ mœrent vates, templique fruuntur
Justitio; nam si qua Deus sub pectora venit,
Numinis aut pœna est mors immatura recepti,

annorum sublata, Thrasea a Busiride cæso. Sic Phrygia sepulto Aty. Diod. Sicul. Ita Attica, postquam moniti oraculo satisfecissent Minoi.

110. *Monstrato fine*. Id est, modo piandi.—*Resolvit*, etc. Pestis remedium denuntiat : uti Thebanis, in exsilium misso eo, qui Laium interfecerat; Senec. Œdip. Lucanis, Palinuri placatis manibus ; Virg. Æn. VI, 379 : Romanis, Æsculapio accersito ex Epidauro, T. Liv. X.

111. *Non ullo sæcula dono*. Deficientis hujus oracoli causas inquirit infra v. 131. Hic deflet.

113. *Reges timuere futura*. Sibi timentes, oracula a suis adiri vetuerunt.

114. *Superos*. Deos, i. Apollinem vetuerunt loqui. Sch. — Sic de uno Deo Apolline, vs. 124 : « pavidamque Deis immittere vatem »; vs. 159 : « Et Superis quos fingis. » Unde patet, non opus esse mutatione aliqua in I, 566 : « tum quos sectis Bellona lacertis Sæva monet, cecinere Deos; » i. e. Bellonam. Vide illic notata.—*Nec voce negata*. Non tamen mœrent Pythiæ vates Delphica desiisse oracola.

115. *Cirrhææ vates*. Delphicæ; antonomasia. Si non mœrent, si non tristantur, gaudent ergo Pythiæ vates, quod ob enthusiasmum prope perpetuum, brevis vitæ essent fere. Valerius Maximus, lib. I, cap. 8, de Miraculis, de Appio responsum petente loquens : « Antistitem Delphicæ cortinæ in intimam sacri specus partem coegit descendere : unde ut certæ consulentibus sortes petuntur, ita nimius divini spiritus haustus reddentibus pestifer existit. » Hort.

116. *Justitio*. Silentio. Translatio a juris dicundi intermissione.

117. *Numinis*. Mire fluctuat hic Schol. explicans. Ex quo non consuluntur Delphica Apollinis oracula; si aliquis Deum cœperit pati, aut moritur, aut pœnam dat numinis recepti, aut *pretio* moritur, ut, quia sentire Deum meruit, hoc morte emerit. Alii sic intelligunt; quod si quid vates adversi denuntiaverint, occidantur. Ergo hæc ipsa mors aut pœnam dat, aut pretium divinitatis, quod solus futura divinavit, et cognovit, et idcirco moriatur, divinam invicem scientiam consequutus. Sed mihi videtur pretium pro stultitia ferre. Vel *pœna* est; si sic impletus Deo moritur, ut nemo adsequi futura cognoscat. *Pretium* autem, si moriturus dat tamen præsentibus fida responsa. Scholiast. — Sensus est :

Aut pretium ; quippe stimulo fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsusque Deorum
Concutiunt fragiles animas. Sic tempore longo
Immotos tripodas, vastæque silentia rupis
Appius Hesperii scrutator ad ultima fati
Sollicitat. Jussus sedes laxare verendas
Antistes, pavidamque Deis immittere vatem,
Castalios circum latices, nemorumque recessus
Phemonoen errore vagam, curisque vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.

non vitales sunt Phœbades inflatæ vel a Deo irato, mortis supplicio affectæ ; vel a benigno, mortis præmio, tamquam dono optimo donatæ. Sic IV, 510 : « felix esse mori. »

118. *Quippe stimulo*, etc. Quippe enthusiasmi impetu concussa labascit anima. — *Fluctuque furoris*. Intelligit creberrimum furoris motum. Catull. carm. 65, 97 : « Qualibus incensam jactasti mente puellam Fluctibus. » Sic *iræ*, *curarum fluctus*, et similia passim. Oud.—Mantice in duo divisa est, id est, in artem et furorem : dicit causam unde moriuntur. Schol.

119. *Pulsusque Deorum*. Stimulus ille occultus numinis, quo Phœbas agitatur. Hort.

121. *Immotos tripodas*. Cortinas jam diu clausas, a nemine consultas, utpote silentes.

122. *Hesperii*, etc. Curiosus per sortes explorator, quisnam foret eventus belli civilis.

123. *Sedes laxare verendas*. Aperire sacrarium

124. *Antistes*. Sacrorum præses, templi Delphici custos *Antistes*. Quod ante numen stat. — *Pavidamque*. Dei afflantis et enthusiasmi laborem simul et discrimen subire formidantem. — *Deis immittere vatem*. Hypallagen esse volunt interpretes, pro: Deum immittere in Phœbadem. Simpliciter intelligi malim, jussum ab Appio antistitem, ut Phœbadem mitteret in adytum, et ad contactum Deorum impelleret. — *Deis*. Nempe Deo, Apollini. Conf. inf. v. 156.

125. *Castalios circum latices*. Castalium fontem in radicibus Parnassi, de quo divinus spiritus concipiebatur. Schol.

126. *Phemonoen*. Phœbadem aliquam. Phemonoe autem prima fuit, quæ ex oraculo Delphico vaticinata est. Strabo, lib. IX. Hanc Sulpitius Arcadiam putat, quia *Phœmon* Arcadiæ lacus : sed Ovid. *Pheneum* vocat, Met. lib. ult. « Est lacus Arcadiæ, *Pheneum* dixere priores. » Fictio nominis esse videtur : scil. ab illa Phemonoe, quæ Pythia omnium prima fuit, et cui Græcia hexametri carminis inventum acceptum retulit. Claruit ea tempestate qua Sycio in Achaia regnabat. Plinius, lib. X, c. 3 :

Limine terrifico metuens consistere Phœbas,
Absterrere ducem noscendi ardore futura
Cassa fraude parat : « Quid spes, ait, improba veri
Te, Romane, trahit? muto Parnasus hiatu
Conticuit, pressitque Deum : seu spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter : seu barbarica quum lampade Pytho
Arsit, in immensas cineres abiere cavernas,
Et Phœbi tenuere viam : seu sponte Deorum
Cirrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmina longævæ vobis commissa sibyllæ :
Seu Pæan solitus templis arcere nocentes,

«Phemonoe, Apollinis dicta filia, dentes ei (perceno) esse prodidit, mutæ alias, carentique lingua. » Græce φημονόη.

128. *Metuens*, etc. Modo ad versum 124, *pavidam vatem* — *Phœbas*. Nomen virginis a Deo. Phœbas non tantum Phœbi sacerdotem significat, sed eam quæ vaticinatur, ἀπὸ τοῦ φοιβᾶσθαι, quod furore ac spiritu corripi est. MICYLL.

129. *Absterrere*, etc. Volens Appium ab instituto deducere, causata est diuturnum oraculi silentium, sed frustra.

132. *Pressitque Deum*. Obruit divinam illam vim, cujus afflatu dabantur responsa. — *Seu spiritus istas*, etc. *Seu barbarica*, etc. Sive spiritus has speluncas deseruit, atque in alias mundi partes migravit; sive quo tempore Delphis a Brenno oppugnatis, terræ motu, grandine, tempestate et incendio corruere omnia. Argutius Micyllus capit de tempore Mithridatico, quum oracula defecerint ubique, sublatis dæmonum præstigiis atque potestate, ut fama est, sub adventum Christi.

134. *Barbarica quum lampade*. Barbaricis facibus Delphi enim tunc a Brenno incensi. Nam locus ipse Πυθὼ a Græcis dicitur. Tibull. II, 3, 27 : « Delos ubi nunc, Phœbe, tua est; ubi Delphica Pytho. » GROT.

135. *Cineres abiere*, etc. Repletæ sunt et obstructæ cinere cavernæ; ita ut spiritus viam, qua progrediatur, non habeat. SULPIT.

136. *Seu sponte Deorum*, etc. Seu Diis, quibus Roma curæ maximæ est, visum fuerit, ut Delphicum oraculum cesset, postquam Urbs libros sibyllinos habeat, qui fata sua contineant ; de quibus vide A. Gell. lib. I, c. 19, et Plin. lib. XIII, cap. 13.

137. *Fatique sat est*. Hoc est, sufficit, arcana carmina sibyllæ Cumanæ vobis commissa esse, quibus fatum futurum aperiatur.

138. *Longævæ vobis*, etc. Tot annos viventis, « quot haberet corpora pulvis, » Ovid. Met. XIV, 137. ED.

139. *Seu Pæan*, etc. Seu Deus

Ora quibus solvat nostro non invenit ævo. »
Virginei patuere doli, fecitque, negatis
Numinibus, metus ipse fidem. Tum torta priores
Stringit vitta comas, crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.
Hærentem, dubiamque premens in templa sacerdos
Impulit. Illa pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte resistit :
Atque Deum simulans, sub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confusæ murmure vocis
Instinctam sacro mentem testata furore,
Haud æque læsura ducem, cui falsa canebat,

non inveniat sanctos qoibus, neque sanctas per qoas vaticinetur.

141. *Virginei patuere doli.* Visa est Appio virgo Pythia subdole causata oraculi silentium, quum ipsa tremebunda subterfugeret ingressum ad Deum, quem adesse negavit.

142. *Metus ipse.* Quoniam trepida et prudens hæc dicebat, prodidit se mentitam : nam figmento suo fidem faceret, si hoc secura dixisset. Fecit ergo fidem, esse illic numina, loquentis virginis, quæ hoc negabat, timor. SCH. — *Tum torta priores*, etc. Hominem tamen deceptura, se ad cortinam accingit. — *Priores comas* pro fronte vel temporibus videtur dictum, quum statim opponatur *crines in terga solutos.* ED.

143. *Stringit vitta comas.* Ostendit quibus cærimoniis Pythia se adornaret, quum fingeret se in cortinam descensuram, et simulato numine oraculum udituram. *Vittæ* capitis ornamenta sunt : his hostiæ cædendæ maxime obnubebantur. — *Infula*, fascia in diadematis formam ita concinnata, ut utrimque vittæ dependerent.

144. *Phocaica.* Parnasside; quia Parnasus in Phocide.

145. *Hærentem.* Moras texentem. — *Sacerdos.* Antistes. Supra 124.

146. *Illa pavens*, etc. Metuens tamen penetrale ingredi, unde fati verba pronuntiaret, in limine restitit.

148. *Deum simulans.* Se numine concepto afflatam fingens, verba simulata secum murmurat. — *Quieto.* Non extra se rapto, non vexato a Deo, ut infra v. 168, et Virg. Æneid. VI.

149. *Nullo confusæ murmure.* Non obscuris ambagibus; non perplexis verborum circuitionibus; qui mos Phœbo semper fuerat, ut interpretem torqueret et exerceret. — *Confusæ*, etc. Interruptæ, *vel* perplexæ, obscuris vera involventis.

150. *Instinctam.* Afflatam ἐνθουσιαστικῶς.

151. *Haud æque*, etc. Non tam injuriam faciens Appio, quem ficto oraculo fallebat, quam ipsi Deo cujus templum et majestatem hoc sacrilegio violabat. Male Farnabius : non

Quam tripodas, Phœbique fidem. Non rupta trementi
Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatium, nulloque horrore comarum
Excussæ laurus, immotaque culmina templi,
Securumque nemus, veritam se credere Phœbo
Prodiderant. Sensit tripodas cessare, furensque
Appius : « Et nobis meritas dabis, impia, pœnas,
Et Superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris,
Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu
Desinis ipsa loqui. » Tandem conterrita virgo

æque noxia Appio futura simulata hæc, atque illa veri oraculi verba quæ insequebantur.— *Læsura*. I. e. ludibrio habitura ; ut apud Tibull. I, 10, 6 : « æquum est, impune licere Numina formosis lædere vestra semel.» Oud.

152. *Tripodas*. Sic oracula Phœbi vocat. Supra vs. 81. — Tripus, mensa Apollinis a tribus pedibus, quæ et cortina dicitur. Hæc corio Pythii serpentis tecta erat. Nugatur autem Scholiastes, adserens dictam esse cortinam, quia cor vatis tenebat, ne omnia diceret, quæ audiebat vel videbat ; aut cortina, quasi certina, quia certa responsa hinc dabantur; vel ἀπὸ τῆς κόρης ἐντείνειν, i. e. a puellæ extensione, nam vates Apollinis afflata numine extendebat se, ut major esse videretur. Conf. Serv. ad Æn. III, 92 et VI, 347. — *Non rupta trementi Verba sono, nec vox*, etc. Quum non apparerent signa illa quæ numine afflatas comitari adsolent, non verba interrupta et tremula : non *vox major, nec mortale sonans;* non laurea capiti excussa comarum horrore. Infra vs. 171. Val. Flacc. I, 229.

153. *Nec vox antri*. Vox enim Pythiæ, vere afflatæ numine, humana major erat, et quæ antrum quantumvis capax impleret. Ed.

155. *Immotaque culmina*, etc. Non ut Æn. VI, 53 : « attonitæ magna ora domus; » nec ut III, 90 : « tremere omnia visa repente, Liminaque laurusque dei : totusque moveri Mons circum, etc. » Hæc non visa arguebant Pythiam doli et metus, ut quæ veri enthusiasmi laborem horreret. Alias mota culmina nunc immota mansere. —*Se credere Phœbo*. Sic supra « Deis *immittere vatem*, » v. 124. *Se credere*. Ut domino, qui illam totam teneret.

156. *Securumque nemus*. Nec agitatum fuit nemus circa templum Phœbi positum, ut in Æn. III. Ed.

157. *Tripodas cessare*. Non sollicitari oraculum, non adesse vati Deum.

158. *Et nobis meritas*. Et mihi quem fallis, et Deo quem fingis dabis pœnas.

159. *Nisi mergeris antris*, etc. Nisi descendas in specum sacrum, et certum respondeas mihi de fatis belli civilis, afflatu Apollinis, non a te ementitis versibus.

161. *Desinis ipsa loqui*. Bene *ipsa*. Numen enim loquens audire vult, non virginem. Sch. — *Conterrita*. Quasi

Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
Hæsit, et invito concepit pectore numen,
Quod non exhaustæ per tot jam sæcula rupis
Spiritus ingessit vati : tandemque potitus
Pectore Cirrhæo, non umquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan : mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore. Bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittasque Dei, Phœbeaque serta
Erectis discussa comis, per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magnoque exæstuat igne,
Iratum te, Phœbe, ferens : nec verbere solo

cœperit Appium plus timere, quam Apollinem, quem quoque lædebat. Id.

162. *Abducta*. In penetrale ire coacta, *hæsit* ad hiatum specus. Ed.

163. *Invito*. Prætuli τῷ *insueto* cum Oud. et Burm. I, 385 : « Invita peragam tamen omnia dextra. » Ed.

164 *Quod non exhaustæ*, etc. Quod ventus ille ex spiramento specus non jam exhausti immisit virgini.

166. *Cirrhæo*. Fatidico, Cirrhææ virginis, Phœbados.—*Non umquam*, etc. Nullius umquam vatis mentem plenius invasit.

167. *Mentem priorem*. Vulgarem et rudem, nullo numine imbutam.

168. *Hominem toto*. Sensum sui, mentem humanam.—*Sibi cedere*. Suæ inspirationi. Tanta insania dicitur vatis mentem corripere, ut homo non jam in ejus voce, sed Deus sonet.

169. *Alienasper antrum*, etc. Collum non jam sui juris, rotat pro arbitrio Phœbi, cujus instinctu agitatur.

171. *Erectis comis*. Horrore arrectis, ut supra vs. 154. Æneid. VI, 47 : « Non comptæ mansere comæ. » — *Discussa*. H. e. dissoluta, inquit Oudend. vel, quia comæ eriguntur, discussit serta et vittas. Stat. Theb. X, 163 : « Sertaque mixta comis sparsa cervice flagellat. » Ed.

172. *Ancipiti cervice rotat*. In utramque partem alternatim capite diducto, vacillanti, ultro citroque agitato. — *Vaganti Obstantes*. Sibi furibundæ et discurrenti obvios.

173. *Igne*. Calore numinis.

174. *Iratum te*, *Phœbe*, *ferens*. Utrum virgini, quæ modo illius numen fuerat ementita, quod interminatus fuerat Appius, supra v. 159; an Appio curioso futuri inquisitori? — *Ferens*. Supra quoque *Colla ferens*, sed negligentissimus in cavenda repetitione Lucanus, et ter v. 163, 166, 169 repetit *pectore*. — *Nec verbere solo*, etc. Neque vero tantum verberas flagellasque animum

Uteris, et stimulis; flammas in viscera mergis.
Accipit et frenos: nec tantum prodere vati,
Quantum scire, licet. Venit ætas omnis in unam
Congeriem; miserumque premunt tot sæcula pectus:
Tanta patet rerum series, atque omne futurum
Nititur in lucem; vocemque petentia fata
Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
Non modus Oceani, numerus non deerat arenæ.
  Talis in Euboico vates Cumana recessu,

ejus et stimulis urges; verum etiam accendis. HORT.

176. *Et frenos.* Neque tantum incendis virginem, ut canat futura: sed et frena injicis, ne plura vaticinetur, quam scire opus est. Infra v. 197. Virg. Æn. VI, 100: « ea frena furenti Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo. » De jusso cæterorum silentio vid. eumdem in Æneid. III, 379.

177. *Licet.* Plura enim videt, quam quæ Deus eam eloqui sinit. ED. — *Venit.* Jamque conceperat omnia omnium ætatum fata, quæ animo furentis una quasi facie obversata, enunciari et in lucem proferri poscebant. — *Ætas omnis.* Omnem mundum collectum conspexit, et omne tempus, præteritum, præsens, et futurum.

178. *Tot sæcula pectus.* Tot ætatum fata infelicis vatis animum distorquebant: nam ut antea dictum, multis ætatibus oraculum cessarat, immo in totum siluerat. HORT. — Potius tamen de futuro, quam de præterito agitur. Vatem premunt sæcula ventura et rerum futurarum series, ut patet e vs. 179. ED.

179. *Tanta patet*, etc. Exclamatio in immensam atque innumerabilem congeriem fatorum, quæ furentis animo obversabantur. Ideo non licuit illi tantum prodere, quantum sciret. Cf. n. 177 et 178.

180. *Nititur in lucem.* Id est, emitti, et vulgari conatur, ac luctatur, ut ipse exponit auctor. *Niti* autem cum præpositione *in* frequens est. Ovid. II, Ep. 7, 27, ex Ponto: « Et quot aves motis *nitantur* in aera pennis. » Stat. Theb. VII, 802: « *nituntur* in hastas. » Seneca de Clem. cap. 24: « Humanus animus in arduum *nitens*. » Ipse Noster, lib. IV, 650: « *Nitentem* in terras juvenem. » — *Vocemque petentia.* Omnia fata luctabantur in ore, quasi contendentia, et exposcentia ut in lucem proferrentur.

182. *Non deerat arenæ.* Non latebat illam, non fugiebat vatis notitiam, initium vel finis mundi, nec mensura Oceani, nec numerus arenæ, quam Horatius *numero carentem* dixit, Carm. I, 28, 1. ED.

183. *Talis in Euboico*, etc. *Sic plena laborat*, etc. Uti sibylla indignata suum oraculum ab omnibus mortalibus sollicitari, e cæterorum cumulo excerpta Romanorum tantum fata novem libris complexa est, quos

Indignata suum multis servire furorem
Gentibus, ex tanta fatorum strage superba
Excerpsit Romana manu. Sic plena laborat
Phemonoe Phœbo, dum te, consultor operti
Castalia tellure Dei, vix invenit, Appi,
Inter fata diu quærens tam magna latentem.
Spumea tunc primum rabies vesana per ora
Effluit, et gemitus, et anhelo clara meatu
Murmura: tunc mœstus vastis ululatus in antris,
Extremæque sona nt, domita jam virgine, voces:
« Effugis ingentes, tanti discriminis expers,
Bellorum, Romane, minas: solusque quietem
Euboici vasta lateris convalle tenebis. »
Cætera suppressit, faucesque obstruxit Apollo.
  Custodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,

Tarqoinio Superbo obtolit (A. Gell. lib. I, cap. 19). Ita Phœbas hæc inter alia enumerata vix tamen inventum et semotum Appii fatum, impulsu numinis concepti instincta, horrendo vocis sono, Appio inter obscuras verborum ambages, cecinit: « Nihil, inquiens, ad te boc, Romane, bellum; Euboiæ Cœlam obtinebis, etc. » Val. Max. lib. I, cap. 8.—*Euboico reeessu*. In Cumæo antro.

184. *Indignata*. Ægre ferebat sibylla istum furorem suum, qoo futura prædieeret, pluribos gentibus prodesse. Ideo manu *superba*, et quasi cæteros populos fastidiente, Romana fata excerpsit, i. libros sibyllinos ad solos Romanos pertinentes. Ed.

185. *Fatorum strage*. Cumulo sortium.

187. *Dum te ... vix invenit*. I. e. tua fata disquirit, vix te invenit, inter fata tam magna, te, Appi, tam humilem atque pusillum. — *Operti ... Dei*. Apollinis scil. in tellore Castalia occulti, tecti.

188. *Castalia*, etc. Delphico antro.

190. *Spumea tunc primum*. Ad enthusiasmum tandem transit, postquam tandem Appii fatum invenit, *Spumea ... rabies*. Spuma ex rabie collecta.

193. *Extremæ*. Sont jam fere desinentes. — *Domita virgine*. Sic Virg. Æn. VI, 80: « fera corda domans. » Ed.

194. *Effugis*. Syllepsis: præsens pro futuro.

198. *Custodes tripodes fatorum*. Causas inquirit poeta, cur non aperte Deus prædixerit eventum belli.—*Tri-*

Tuque potens veri, Pæan, nullumque futuri
A Superis celate diem, suprema ruentis
Imperii, cæsosque duces, et funera regum,
Et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes
Cur aperire times? an nondum numina tantum
Decrevere nefas? et adhuc dubitantibus astris
Pompeii damnare caput, tot fata tenentur?
Vindicis an gladii facinus, pœnasque furorum,
Regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos,
Ut peragat fortuna, taces? Tunc pectore vatis
Impulsæ cessere fores, exclusaque templis
Prosiluit : perstat rabies, nec cuncta loquutæ,

podes. Quasi tripodes custodirent fata et mundi arcana; ac non potius in solius Dei manu essent. — *Arcanaque mundi.* Sic ipsi dicuntur tripodes in quibus arcana inclusa sunt et servantur. OUD.

199. *Tuque potens veri.* Sic Colamell. I, c. 1 : «Carminum potens.» — *Nullumque futuri.* Quem nihil futurorum dierum latere voluere Superi.

200. *Tu celate.* Tu quem celaverunt.*Suprema.*Excidium, casum.ED.

201. *Cæsosque duces.* Cædendos, casuros. — *Regum.* Jubæ, etc. an principum?

202. *Et tot in*, etc. Et cædes gentium miscendas funeribus civium Romanorum.—*Collapsas.* Syllepsis: pro collabendas, ut supra *cæsos*. ED.

203. *An nondum*, etc. An nihil adhuc decretum a Diis de eventu belli, et Pompeii morte? Sc. an id ignoras, quia Dii non constituerunt, ut Roma talia patiatur.

204. *Et adhuc dubitantibus.* In dubio a Diis, *vel*, silentio oraculi supprimuntur. — *Astris.* Quasi ab astris futurorum casus pendeant ex sententia mathematicorum, tempore Lucani et serius.

205. *Pompeii damnare caput.* Utrum Pompeium cædendum judicarent, an non? — *Tot fata tenentur.* An hæc fata omnia adhuc incerta et pendentia aperiri mortalibus non possunt?

206. *Vindicis an gladii facinus.* An forte subtices, quo melius Nemesis exigat a Cæsare pœnas civilis hujus belli, adseratque in libertatem Remp. interfecto a D. et M. Brutis Cæsare, uti a Junio Bruto quondam exacto Tarquinio? *Vindicem gladium* dicit, qui in Cæsarem Pompeii mortem et libertatem ulciscatur.

208. *Tunc pectore vatis.* Pectore irruentis vatis dissiluere fores impulsæ, ipsaque evolat.

209. *Impulsæ.* Vulgo *impactæ*; dure dictum.—*Cessere.* Patuerunt. — *Exclusa.* Ipsa sacerdos ejecta vi numinis.

210. *Perstat rabies.* Nondum Deum penitus pectore excusserat. —

Quem non emisit, superest Deus. Ille feroces
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cælo
Lumina : nunc vultu pavido, nunc torva minaci,
Stat numquam facies : rubor igneus inficit ora,
Liventesque genas ; nec, qui solet esse timenti,
Terribilis sed pallor inest ; nec fessa quiescunt
Corda : sed ut tumidus Boreæ post flamina pontus
Rauca gemit ; sic multa levant suspiria vatem :
Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur
Ad vulgare jubar, mediæ venere tenebræ.
Immisit Stygiam Pæan in viscera Lethen,
Quæ raperet secreta Deum. Tum pectore verum
Fugit, et ad Phœbi tripodas rediere futura :

Loquutæ, scilicet vati superest Deus.

211. *Quem non emisit*, etc. Phœbus adhuc vatis mentem obsidebat, eam nondum deseruerat, ut sui compos esset. HORT. — *Ille*. Phœbus. Omnia enim Deus in ipsa agit, quia hominem sibi cedere jusserat.

212. *Oculos*. Virginis Pythiæ.

213. *Torva minaci*. Σμερδαλέον δεδορκότι, torve.

214. *Stat numquam facies*. Proprium hoc furibundis faciem colore et statu mutari. Virg. Æn. VI, 47 : « Non vultus, non color unus. » Sil. XV, 29 : « Stans vultus. » Senec. de Brev. vit. c. 3 : « In statu suo vultus. »

215. *Nec*, etc. Pallor est, non territæ, sed terrentis. GROT.

217. *Sed ut tumidus*, etc. Comparatio a natura maris, vento commoti, quo cessante, etiamnum sævit. — *Boreæ post flamina*. Ponente jam et cessante Borea. Ut Noster, ita Claudian. Ruf. I, 70 : « Ceu murmurat alti Impacata quies pelagi, quum flamine fracto Durat adhuc, sævitque tumor. » VOLT. *Henriad.* VI, 335 : « Semblable à l'Océan qui s'apaise et qui gronde. » ED.

218. *Levant suspiria vatem*. Animum vatis sedant reficiuntque.

219. *Dumque a luce sacra*, etc. Dum ex luce illa adyti sacra ad æthéream rediret, vel inter divinam illam raptæ mentis notitiam et hanc humanam cognitionem, Phœbus mediam injecit caliginem et soporatam rerum visarum oblivionem. Allusum simul ad Lethen, fluvium infernalem.

220. *Ad vulgare jubar*. Ad solem, qui vulgat omnia. SCH. — Vel, ab inspiratione ad sanam humanæ mentis rationem. ED. — *Mediæ venere tenebræ*. Quas autem tenebras, quamque caliginem, medias intervenisse dicat, non obscure mox subjicit : Oblivionem scil. omnium anteactorum vaticiniorum in mentem immisit Phœbus, ubi virgo ad se rediit. HORT.

223. *Ad Phœbi tripodas*. Notitia

Vixque refecta cadit. Nec te vicinia leti
Territat ambiguis frustratum sortibus, Appi :
Jure sed incerto mundi, subsidere regnum
Chalcidos Euboicæ, vana spe rapte, parabas.
Heu demens, nullum belli sentire fragorem,
Tot mundi caruisse malis, præstare Deorum,
Excepta quis Morte potest! secreta tenebis
Litoris Euboici, memorando condite busto,
Qua maris angustat fauces saxosa Carystos,
Et tumidis infesta colit qua numina Rhamnus,
Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus,

futurorum se recepit in cortinam fatorum custodem.

224. *Vixque refecta cadit.* Postquam desiit furor, et ad se tantillum reversa est, cadit, mortua est : juxta illud quod dixit, v. 215 : « Numinis aut pœna est mors immatura recepti Aut pretium. » Sic lib. I, ult. v. « et lasso jacuit defecta furore. » — *Nec te vicinia leti.* Appius, quamquam leto sit proximus, tamen ambiguitate oraculi deceptus, nil timet.

226. *Jure sed incerto mundi.* Dum adhuc incertum est, penes quem sit futurum imperium totius orbis. — *Subsidere regnum.* Regnum Chalcidis cupiebat sibi subjicere, invadere dolo, ἐφιδρύειν.

227. *Chalcidos Euboicæ.* Chalcidos in Eubœa, urbis ad Euripum sitæ, Aulidi objectæ. Ad differentiam alterius in Ætolia. — *Vana spe rapte.* Adductus in spem vanam occupandi imperium.

228. *Demens, nullum belli*, etc. Qui sperabas tibi ullo recessu tamquam Homerica nube tecto, a tam late grassanti malo securitatem, quam, nisi Mors sola, nemo Deorum præstare valet. — *Mortem.* Lucanus hic et alibi cum poetis ut numen aliquod considerat. Cf. II, 100 et passim.

232. *Qua maris angustat*, etc. Neque tamen est Carystos in freto Euripi, sed Cycladibus opposita in Eubœa ins. urbs. — *Saxosa.* Marmore nobilis. Stat. Theb. VII, 370 : « Non te, saxosa Caryste. » Ed.

233. *Et tumidis infesta*, etc. Docet, inter Carystum et fretum Chalcidicum, ex adverso Atticæ, ubi Rhamnus erat, Cœlen Euboicam exstitisse. — *Et tumidis colit*, etc. Et qua jacet Rhamnus, Atticæ pagus, ubi colitur Nemesis *tum. infesta*, i. e. superbiæ et insolentiæ vindex. Hujus Deæ meminerunt Catullus, Ovid. Statius. *Rhamnusiam* enim dictam Pausanias scribit. Quidam *Adrasteam* et *Nemesin* eamdem esse dicunt. Hinc *Rhamnusia Nemesis* dicitur in eos, quibus ob arrogantiam et fastum, fortunæ commutationem imprecamur. Hort.

234. *Arctatus rapido*, etc. A vici-

Euripusque trahit, cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.
  Interea domitis Cæsar remeabat Hiberis,
Victrices aquilas alium laturus in orbem;
Quum prope fatorum tantos per prospera cursus
Avertere Dei: nullo nam marte subactus
Intra castrorum timuit tentoria ductor
Perdere successus scelerum; quum pæne fideles
Per tot bella manus satiatæ sanguine tandem
Destituere ducem: seu mœsto classica paulum
Intermissa sono, claususque et frigidus ensis,

no mari, quod Atticam alluit, ut ex adverso Chalcidem Eubœæ. Hæc avulsa Bœotiæ fuit, interfluente Euripo. Hinc *arctatum* dicit, nam ibi angustissimus est Euripus. — *Pontus.* Euboicus, sive Chalcidicus.

235. *Euripusque trahit.* Fretum hinc Bœotiam et Atticam, inde Eubœam insulam interfluens, ponte duo jugerum junctum (*détroit de Negrepont*); septies die ac nocte refluum eo impetu, ut navigia reluctantibus ventis secum rapiat. — *Trahit.* Ex Eubœa raptat, impellitque in Bœotiam adversam. Hort.

236. *Aulim.* Portum Bœotiæ Græcorum, contra Trojam, conjuratione et mora classis Græcæ nobilem. — Ideo *iniqua classibus* dicitur. Et Scholiastes hic male intelligit naufragium redeuntis a Trojano excidio Græcæ classis ad Capharea Eubœæ. Ed.

237. *Interea domitis*, etc. A digressione redit ad historiam intermissam. Cæsar ex Hispania reversus, devictis ducibus Pompeianis, Gadibusque receptis, tam diu circa Placentiam restitit, donec legionem seditione agitatam ad officium retraxit: auctoribus novi motus summo supplicio affectis.

238. *Alium ... in orbem.* In Epirum et Macedoniam, aliam urbis partem; vel ex Europa in Asiam, ab Occidente in Orientem. Ed.

239. *Quum prope fatorum*, etc. Quum civilis belli prosperos successus Dii pæne everterunt, coorta seditione in exercitu.

242. *Perdere successus scelerum.* Scelerum successum dicit, propter civile negotium, quo ipse civis in civem induisset arma; ac tam multorum civium sanguinem fudisset, omnibus suis victoriis. Hort.

244. *Seu mœsto classica*, etc. Sive, quod militari ferocia per belli intermissionem ad Placentiam defervescente, ad otium et pacem inclinabant: sive quod stipendia auctiora petentes, ad civile hoc bellum majori pretio operam venalem licebantur. Cæsaris exercitus (inquit Appianus, de Civ. Bell. II), juxta Placentiam seditione edita, quod diutius in bello

Expulerat belli furias; seu præmia miles
Dum majora petit, damnat causamque, ducemque,
Et scelere imbutos etiam nunc venditat enses.
Haud magis expertus discrimine Cæsar in ullo est,
Quam non e stabili, tremulo sed culmine cuncta
Despiceret, staretque super titubantia fultus.
Tot raptis truncus manibus, gladioque relictus
Pæne suo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non esse ducis strictos, sed militis, enses.
  Non pavidum jam murmur erat, nec pectore tecto
Ira latens : nam quæ dubias constringere mentes

teneretur, imperatorem cœpit conclamare. Minas porro quinque singulas olim promissas a Cæsare, quum Brundusii esset, instantius petebat. — *Frigidus*. Scil. nullo sanguine calefactus.

248. *Venditat*. Id est, crebro vult vendere. Sic X, 408, « venalesque manus. » Nepos in Attico: « florentibus se venditare. » Vendere volebant majore pretio suam operam Cæsari, id renuenti, atque ideo seditionem fecerant, ut ostendit auctor: « Præmia miles Dum majora petit. » De parvis præmiis etiam queruntur v. 270.

249. *Haud magis expertus*, etc. Seditionem per decem annos in Gallicis bellis non senserat, in civilibus aliquas. Sueton. in Cæsar. 69. Numquam tamen alias neque majori cum periculo expertus est, quam lubrica et instabilis esset imperatoris sedes, militaribus viris huc illuc parvo momento impulsis freti; a quibus si destitutus fuerit sibique relictus, tum denique fatebitur non suo, sed militum ense pugnandum esse. — *Expertus*. Numquam sicut nunc expertus est Cæsar, quam non firmum erat ejus imperium, sed vacillans. SCH.

250. *Quam non e stabili*. Id est, quam lubrica esset ejus potentia, et quam inconstans et infirma. — *Tremulo*. Dubio et periculoso.

251. *Super titubantia fultus*. Trementia, inconstantia et incerta.

252. *Truncus manibus*. Orbatus, destitutus militibus, quasi truncum corpus abscissis manibus. ED.

254. *Scit*. Intellexit omnem imperii potestatem non in duce, sed in ipso milite constitutam. Quid enim solus auderet? SCH. — *Strictos enses*. Enses qui stringuntur, denudatos. Comperit se nihil valere sine illis, quia milites causæ sunt quare dux timeatur. Videt in militum potestate esse arma, non in sua.

255. *Non pavidum jam murmur erat*. Neque clancularia erat conjuratio, sed aperta seditio.

256. *Nam quæ dubias*, etc. Metus ignominiæ ac pœnæ, quæ causa solet feroces militum animos constringere ac sub imperio continere, ea nunc non continuit militares homines a sedi-

Causa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum injusta gravari,
Haud retinet : quippe ipsa metus exsolverat audax
Turba suos. Quidquid multis peccatur, inultum est.
Effudere minas : « Liceat discedere, Cæsar,
A rabie scelerum. Quæris terraque marique
His ferrum jugulis, animasque effundere viles
Quolibet hoste paras : partem tibi Gallia nostri
Eripuit ; partem duris Hispania bellis :

tione. Sic Hortensius, male. Nam hic agitur de metu illo, quem alius de alio concipit, quum se solum seditioni paratum putat, ne paucorum, qui gravatim ferunt tyranni injustum imperium, conjuratio judicetur ; sed emanarat jam in plurimos seditio, qui junctæ quasi umbone phalanges præfidentius loquitabantur : et quod a multis peccatur impune fieri creditur. — *Constringere.* Terrere et sub imperio continere. Passim pavor et metus *mentes adstringere*, *adligare pectus* dicitur ; VII, 466 : « tamen omnia torpor Pectora constrinxit. » Contrarium est *exsolvere* quod sequitur v. 259.

257. *Dum quisque pavet.* Dum timet miles unusquisque seditiosus alium quemvis militem, qui ipse seditionem meditantes ejusdem sceleris conscios inscius timet. Male quidam « quibus ipse timori est » de ducibus interpretantur. Ed.

258. *Seque putat solum*, etc. Tyrannidis injustitiam gravatim ferre, ut verbum *gravari* deponentialiter, non passive accipiatur. Sulpitius interpretatur, *inferre molestiam injustis regibus.* Badius triplicem expositionem adducit : ut *gravari* deponentialiter, pro *opprimere* accipiatur ; vel *opprimi*, sive *gravatim ferre* : vel *injusta*, hoc est, *per injusta* ; ut sit ellipsis. Postrema expositio videtur Glareano arridere. Dum miles putat, se per injusta regna, et injustam dominationem opprimi. Hort. — Interpretes se torquent : sed nulla est in verbis difficultas. *Gravari* est impatienter ferre, nolle pati injusta regna. Sic VII, 284 : « Romanos odere omnes, dominosque gravantur. »

261. *Minas.* Has, quæ sequuntur : milites postulant, absente Cæsare, missionem et vacationem a militia, post tot et tantos labores exantlatos. Bellum ut nefarium et impium detestantur. Obiter cum Cæsare expostulant de injuria facti : quod pro tantis laboribus adeo nullæ sibi habeantur referanturve gratiæ ; ut suas victorias Fortunæ acceptas ferat, non virtuti militum ; quod indignum toleratu. Hort. — *Liceat discedere.* Petimus missionem, Cæsar, eamque justam a civilium bellorum furore.

263. *His ferrum jugulis.* Qui nos jugulent. — *Animas viles*, etc. Nostras, apud te levi aut nullo pretio habitas.

Pars jacet Hesperia : totoque exercitus orbe
Te vincente perit. Terris fudisse cruorem
Quid juvat Arctois, Rhodano, Rhenoque subactis?
Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.
Cepimus expulso patriæ quum tecta senatu,
Quos hominum, vel quos licuit spoliare Deorum?
Imus in omne nefas, manibus ferroque nocentes,
Paupertate pii. Finis quis quæritur armis?
Quid satis est, si Roma parum? jam respice canos,
Invalidasque manus, et inanes cerne lacertos.
Usus abit vitæ : bellis consumpsimus ævum.
Ad mortem dimitte senes. En improba vota :
Non duro liceat morientia cespite membra
Ponere, non anima glebam fugiente ferire,

266. *Hesperia.* In Italia.

267. *Rhodano*, etc. Gallis et Germanis, Rhodani Rhenique fluviorum accolis.

269. *Mihi.* Scil. exercitui tuo. Responsum est ad præcedentia « quid juvat? » Recte *mihi*, ut IX, 237, 240; *queror*, ibid. 855; *requiro*, 871. Quamquam multi loquentes inducantur. Ed.

270. *Cepimus expulso*, etc. Capta Roma, neque ædes civium neque templa deorum nobis diripienda permissa sunt.

272. *Imus in omne nefas.* Arguimur quidem propter arma nefaria et scelestas rapinas, impii, sed propter paupertatem, pii.

273. *Paupertate pii.* Quantum enim rapinarum est, tuum est, non nostrum, et sumus in tanta rapiendi licentia pauperes, tamquam si pii et innocentes essemus. Sulp.

275. *Et inanes lacertos.* Exhaustos viribus Hort. —Oudend. intelligit *inanes*, sine carne, macilentos, ut senium. Sed manifeste sunt debiles, qui nihil valent, ut ait Ovidius de Milone, Met. XV, 229: « quum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes. »

276. *Usus abit vitæ.* Optima vitæ pars nobis periit, bellis insumpta, necdum prospeximus senectuti, ut aliquamdiu quieti vita frueremur. — *Ævum.* Omne ævum et robur in bellis consumpsimus.

277. *Ad mortem dimitte senes.* Ut domi moriamur. — *En improba vota.* Ironice. Quantulum est hoc votum? Numquid malum petimus?

278. *Non duro liceat*, etc. Liceat tandem molliter requiescere, et mori non in castrorum vel prælii arena, sed in penatibus patrioque sub tecto. Ed.

279. *Non anima glebam.* Non in pugna usque morientes ferire terram anima fugiente. Scholiastes bene:

Atque oculos morti clausuram quærere dextram,
Conjugis illabi lacrimis, unique paratum
Scire rogum. Liceat morbis finire senectam.
Sit præter gladios aliquod sub Cæsare fatum.
Quid, velut ignaros ad quæ portenta paremur,
Spe trahis? usque adeo soli civilibus armis
Nescimus cujus sceleris sit maxima merces?
Nil actum est bellis, si nondum comperit istas
Omnia posse manus. Nec fas, nec vincula juris
Hoc audere vetant. Rheni mihi Cæsar in undis

ferire, more palpitantis elidere. De palpitatione morientium et pulsu terræ Virg. Æn. X, 349: « Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem. » Horat. Od. II, 7, 12: « Turpe solum tetigere mento. » Ovid. Met. III, 125: « Trepido plangebant pectore matrem. » Seneca Herc. Fur. 895: « Terram cecidit ore. » — Non autem intellige *ferire anima*, sed *fugiente anima* absoluto sensu, ut Georg. IV, 526. Ed.

280. *Oculos morti*, etc. Propinqui dextram, quæ oculos morientibus claudat. Conf. III, 740. Delille, *Imagination*: « ... à son heure dernière Cherche en vain une main qui ferme sa paupière. » — *Morti*, hic est pro moribundis, vel tempore, quo morimur. Ed.

281. *Unique*. Nam in bello non uni rogus fit, quia, quando multi interficiuntur, omnes comburuntur simul, et non habent singula busta; sed si unus moritur, illi soli rogus paratur. Sch.

282. *Morbis*, etc. Non ferro usque.

283. *Sit præter gladios*, etc. Contingat nobis sub Cæsare aliud mortis genus, quam strages et nex ferro maturata.

284. *Quid velut ignaros*, etc. Expostulant cum Cæsare, quod impie quasi cæci ad cædem Pompeii et senatus ducantur.

285. *Spe trahis?* Sperare omnia jusserat Cæsar, orbis universi spolia promiserat. Conf. v. 355.

286. *Nescimus cujus*, etc. Quasi vero nesciamus, quanta maneant milites præmia, qui vel scelesta sui ducis cæde, bello civili finem imponunt.

287. *Nil actum est bellis*. Nihil pugnando promovimus, si nondum persuasum habet Cæsar, has nostras manus omnia posse, etiam ipsum ducem de medio tollere. — *Nec fas*, etc. Neque enim tenemur jure sacramenti, quo minus hoc audeamus. *Fas*, quantum ad Deos, *jus* quantum ad homines. Sch.

289. *Rheni mihi Cæsar*. In bello quidem Gallico et Germanico datus es nobis dux: hoc vero suscepisti bellum sine imperio, nobis fretus. Et quidni socii simus?

Dux erat, hic socius. Facinus, quos inquinat, æquat.
Adde, quod ingrato meritorum judice virtus
Nostra perit. Quidquid gerimus, fortuna vocatur.
Nos fatum sciat esse suum. Licet omne Deorum
Obsequium speres, irato milite, Cæsar,
Pax erit. » Hæc fatus, totis discurrere castris
Cœperat, infestoque ducem deposcere vultu.
Sic eat, o Superi, quando pietasque fidesque
Destituunt, moresque malos sperare relictum est;
Finem civili faciat discordia bello.

Quem non ille ducem potuit terrere tumultus!
Fata sed in præceps solitus demittere Cæsar,
Fortunamque suam per summa pericula gaudens
Exercere, venit; nec, dum desæviat ira,

290. *Facinus quos inquinat.* Qui eodem crimine tenentur, æquales sunt et socii. Ita impp. Leo et Anthemios in constitutione, cod. Justin. 31, de Episc. et Cler. « Ut eos quos par facinus coinquinat et æquat, utrosque similis pœna comitetur. » GROT.

292. *Quidquid gerimus*, etc. Qui fortunæ suæ, non virtuti nostræ, prælia feliciter gesta fert accepta.

293. *Nos fatum*, etc. Faciemos ut intelligat felicitatem suam a nobis pendere. Hoc confutat Cæsar infr. v. 340.

294. *Obsequium speres.* Cum impietate militari jactant, Cæsarem, ne applaudentibus quidem Diis, bellum gerere amplius posse, nisi milites sibi propitios et faventes habeat. HORT.

296. *Deposcere.* Deposcere ad mortem, ad supplicium, ut nota hujus verbi significatio. Male MARMONTEL : « Ils déclarent qu'ils ne veulent plus de César pour chef. » Numquam vero *deposcere* pro, *recusare* dictum. Conf. v. 321. ED.

297. *Sic eat, o Superi.* Deos precatur poeta, ut discordiæ et rebellionis hujus interventu dirimatur bellum civile.

300. *Quem non ille*, etc. Non tamen Cæsarem. Qui (referente Suetonio) fecit ut celeriter ad officium redierint, nec tam indulgentia ducis, quam severitate. Non enim cessit umquam tumultuantibus, atque etiam obviam semper iit.

301. *Fata sed in præceps*, etc. Solitus omnia præcipitare, magnisque exponere discriminibus. Hoc sensu usus est Cicero, Ep. ad Div. IX, 1 : « Quum me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demisisset. » ED.

303. *Venit*, etc. Quibus rebus

Exspectat; medios properat tentare furores.
Non illis urbes, spoliandaque templa negasset,
Tarpeiamque Jovis sedem, matresque senatus,
Passurasque infanda nurus. Vult omnia certe
A se sæva peti, vult præmia Martis amari:
Militis indomiti tantum mens sana timetur.
Non pudet, heu! Cæsar, soli tibi bella placere
Jam manibus damnata tuis? hos ante pigebit
Sanguinis? his ferri grave jus erit? ipse per omne
Fasque nefasque rues? lassare, et disce sine armis
Posse pati: liceat scelerum tibi ponere finem.
Sæve, quid insequeris? quid jam nolentibus instas?

(inquit Appianus) commotus Cæsar, ex Massilia Placentiam magna celeritate sollicitudineque pervenit, et ad milites adhuc dissidentes profectus, hunc in modum fari cœpit. — *Ira*, etc. *furores*. Militum. Ex his verbis patet non tantum a duce secedere, sed eum occidere voluisse: illud tamen historiæ congruit, non vero menti Lucani, hic suo more rem exaggerantis. Ed.

305. *Non illis urbes*. Neque enim rapinas raptusque suis negasset, suo judicio, quod illa improbasset; sed quo militum animos horum amore et desiderio incitatos detineret.

306. *Tarpeiam Jovis sedem*. Conf. I, 196. — *Matresque senatus*. Non tantum uxores senatorum, sed quascumque matronas et virgines nobiles stuprandas dedisset militibus.

308. *Vult*, etc. Si peterentur infanda, non adeo indignaretur Cæsar: cupit enim, cupit profecto milites belli præmiis invitatos in omnia scelera ruere; solam eorum pietatem timet. Ed.

310. *Non pudet, heu! Cæsar*. Per aversionem expostulat cum Cæsare poeta, quasi illi soli bellum civile placeat. Hort.

311. *Manibus damnata tuis*. Militibus tuis, iis nempe qui ducibus feriores et atrociores esse solent.

312. *Ferri jus*. Jus gladii, imperium et dominatio vi et armis quæsita.

313. *Lassare*. Fias lassus et defatigeris, oro. Monet, ut tandem belli civilis tædium capiat, et defatigetur semel post tot incommoda et pericula bellorum maxime civilium.

314. *Pati*. Esse, vivere. Hispanis usitatus ἰδιωτισμὸς: Seneca, Thyestes, 470: « posse sine regno pati. » Senec. II, controv. 2: « potes sine viro pati. » Et Noster infra IX, 110: « Nescis sine rege pati. » — *Liceat*. Malim cum Burmanno *libeat*. Ed.

315. *Instas*. Cur milites urges ad bellum, quod jam nolunt et recusant?

Bellum te civile fugit. Stetit aggere fultus
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens: atque hæc, ira dictante, profatur:
« Qui modo in absentem vultu, dextraque furebas
Miles, habes nudum, promptumque ad vulnera pectus.
Hic fuge, si belli finis placet, ense relicto.
Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio, tantumque fugam meditata juventus,
Ac ducis invicti rebus lassata secundis.
Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis:
Invenient hæc arma manus, vobisque repulsis
Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne, fugam Magni tanta cum classe sequuntur

316. *Bellum te civile fugit.* Jam deest civili bello materia, congressum detrectante exercitu; « quid insequeris? » Quid invitos moves? Ed. — *Aggere fultus* Quo emineret, ad milites concionaturus. Non autem temere situs ille locus. sed solitum in castris tribunal. Tacit. Annal. I, 18: « Congerunt cespitem, exstruunt tribunal. »

317. *Meruit que timeri.* Auctoritate et majestate verendus.

318. *Non metuens.* Quidam explicant « dissimulans metum », ex Frontino Stratag. lib. I, cap. 9; sed simpliciter intelligo Cæsarem quidem non metuisse, et hac securitate militi timorem injectum. Ed.

319. *In absentem vultu.* Conf. supra: « infestoque ducem deposcere vultu. » Ed.

320. *Promptum.* Expositum, facile petendum. Ed.

321. *Hic fuge.* Ordo est. Si belli finis placet, fuge, hic ense relicto. *Hic* δειχτιχῶς, scilicet in pectore meo, quod ostendebat Cæsar. Cave ne jungas *hic finis.*

322. *Detegit imbelles*, etc. Multa seditiose in ducem loqui, nihil audere; hoc arguit degeneres ignavosque animos. Virg. Æn. IV, 13: « Degeneres animos timor arguit. »

323. *Tantumque.* Me occidite, ut ostendatis vos aliquid majus audere, quam fugam. Ed.

325. *Vadite.* Hinc facessite, positis armis, ut sine vobis mea fata impleam. Ed.

326. *Invenient hæc arma manus.* Facile inveniam quibus arma vestra dentur. — *Repulsis.* Scil. a me. Tamquam non sponte discedant, bellum civile fugientes, sed eos ut segnes ipse Cæsar projiciat a castris. Ed.

327. *Tot reddet.* Tot milites inveniam, quot arma mihi vestra fuga danda viris relinquentur.

328. *Anne fugam Magni*, etc. Quum videatis tantas Italorum atque Hispanorum copias sequi Pom-

Hesperiæ gentes, nobis victoria turbam
Non dabit, impulsi tantum quæ præmia belli
Auferat, et vestri rapta mercede laboris,
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos despecta, senex, exhaustaque sanguine turba
Cernetis nostros, jam plebs Romana, triumphos.
Cæsaris an cursus vestræ sentire putatis
Damnum posse fugæ? veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
Non magis ablatis umquam decresceret æquor,
Quam nunc crescit, aquis. An vos momenta putatis
Ulla dedisse mihi? numquam sic cura Deorum

pelum fugientem et prope victum, creditisne mibi defutnros milites belli jam pene absoluti, victuriæ et trinmphi comites, facili et parvo labore in vestri honoris præmia cessuros?

330. *Impulsi tantum*, etc. Jam præcipitis et qnasi peracti.

333. *Vos despecta*. Contempta: vulgo *defecta*: nt Cæsar et senectutem sanguine exhaustam illis minetur, et futuros eos numerum modo, et obscuram ac senilem Qniritium plebem trinmphi sui tempore. Vos bello diutino fracti, sed propter perfidiam vestram inbonorati, turbæ et sine nomine vulgo redditi, atque in fæcem plebis relati, spectabitis nos triumphantes. — *Senex*. Notum est non raro adjective sumi. Alii habent *senes* per appositionem. Ed.

334. *Jam plebs*. Non enim milites dicemini, qui signa deseritis, sed vulgus et populus. Sch.

335. *Cursus*. Snecessus, victoriarum series.

336. *Damnum*. Non sentient damnum, non tardabnntnr quia defeceritis. — *Veluti si cuncta*, etc. Non magis, quam deficeret mare, si fontes negarent illi flumina.

338. *Decresceret*. Non minneretur. Id est, quemadmodum nunc confluentibus fluminibus æquor nibil sumit inerementi, ita nec tunc minui posset, si flumina recederent. Ovid. Met. I, 345: « crescunt loca decrescentibns undis. » Eamdem autem similitudinem dat Clandianus in Ruf. I, 184. Ed.

339. *An vos momenta putatis?* Refutat id, quod clamaverant, Cæsarem militum virtnte et labore vicisse. Respondet, Deos imperatorum, non militum, fata curare: infertque proinde suam victoriam a fatis, non a militibus pendere. *Momenta*. Aliquod emolumentum utilitatis. Sensus est: nec quia vos habui ideo vici; sed mea vos felicitate superastis. Sch.—Cf. ad III, 338: « nec pondera rerum, nec momenta sumus. » Ed.

340. *Numquam sic cura*, etc.

Se premit, ut vestræ morti, vestræque saluti
Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta sequuntur.
Humanum paucis vivit genus. Orbis Hiberi
Horror et Arctoi, nostro sub nomine miles
Pompeio certe fugeres duce. Fortis in armis
Cæsareis Labienus erat : nunc transfuga vilis
Cum duce prælato terras atque æquora lustrat.
Nec melior mihi vestra fides, si bella, nec hoste,
Nec duce me, geritis. Quisquis mea signa relinquit,
Nec Pompeianis tradit sua partibus arma,
Hic numquam vult esse meus. Sunt ista profecto
Curæ castra Deis, qui me committere tantis,
Non nisi mutato voluerunt milite, bellis.

Cura Deum, nnn tam demittit se et ad vilia descendit, ut vestris rebus vacet, plebem respiciat : de princi-pnm negntiis Dii tantnm sunt sol-liciti, illis ceterns nmnes servire volunt.

342. *Procerum mntus hæc cuncta*, etc. Quæ majora sunt, fatis reguntur. Omnia autem hæc minnra fatis potinrum, nptimatnm jnnguntnr, et es seqnuntur. Ed.

343. *Humanum*, etc. Ita, in paucorum (hoc est, principum) utilitatem, cæteri omnes nsscuntur et vivunt. Sic explicsnt ; sed hoc vix præcedentibus et seqq. congruit. Intell. vnlgi vitam a principum fatis pendere; ad hæc fsta nmnem bominum gregem componi, in paucis de nmnibus decerni. Itaqne vns victores fnistis, quia Cæsarem dncem habuistis; victi essetis cum Pnmpeio. Ed.—*Orbis Hiberi*, etc. Qui me dnce Gallns, Germanns, Hispanns debellastis, fngissetis certe, nscti Pompeinm ducem.

344. *Nnstro sub nnmine*. I. e. ductn meo militantes, Cæsariani a meo nomine dicti.

345. *Fnrtis in armis*, etc. Labiennus, legatns mens in bello Gsllico, qunndam fortis et ubique victor, ex qno ad Pompeium a me defecerit, animn et fnrtuna simul cum fide deficiens, vsgatur profugus cum duce, quem mihi prætulit. De Labieni defectione ad Pnmpeium, vide quæ Dio, lib. XLI.

348. *Nec melior mihi*, etc. Neque tamen melius judicabo de fide vestra, qusm Labieni ; vel, neqne credite minoris vns proditionis argui, qnum mesm tantum deseritis causam, quam si hostes aperte facti ad Pompeinm defeceritis ; immo vos majnre odin persequar. Innuit enim eos, qni nunc cum Pompein sunt, Cæsarianns aliquandn fore, quum Cæsar vicerit. Hunc sensnm plane nmittunt interpretes: Scholiastes solus vidit. Ed.

351. *Ista*. Cæsarians, mea. Dii,

Heu, quantum Fortuna humeris jam pondere fessis
Amolitur onus! sperantes omnia dextras
Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.
Jam certe mihi bella geram : discedite castris,
Tradite nostra viris, ignavi, signa, Quirites.
At paucos, quibus hæc rabies auctoribus arsit,
Non Cæsar, sed pœna tenet. Procumbite terræ,
Infidumque caput, feriendaque tendite colla.
Et tu, quo solo stabunt jam robore castra
Tiro rudis, specta pœnas, et disce ferire,
Disce mori. » Tremuit sæva sub voce minantis
Vulgus iners : unumque caput, tam magna juventus

quidem vestra seditione meæ eausæ consulunt, qui, quum mihi majus certameo oritur, vobis ignavis et imbellibns dederunt animum recedeodi, ut firmioribos cum viribns et novo milite conscripto decernam.

354. *Quantum Fortuna*, ete. Quanta cura me exonerat Fortuna, cui modo sollicito de præmio militibus, quibus totus orbis dividnndus vix sufficeret, pro strenue navata opera, pernumerando, jam ad manum et io promptu merces est abunda ipsorumque votis expetita, mera missio absqne præmiis.

355. *Sperantes omnia.* Qoi potoisseot a me omnia sperare : et est callida ad mitigandum retinendumque militem ratio.

356. *Exarmare.* Missas facere.

357. *Mihi bella geram.* Emphatice; pro me, in meam utilitatem : non vobis, qui me deseruistis.

358. *Viris.* Fortibus; namque vos ignavi estis. — *Quirites.* In alia seditione (referente Suetooio), ardente tune in Africa bello, milites missionem et præmia eum ingentibus minis flagitantes, una voce, qoa *Quirites* eos appellarat, tam faeile circumegit et flexit, ut ei *milites* esse se eonfestim responderint : et quamvis recusantem io Africam sint sequuti. — Cf. Tacit. Ann. I, 42. Ed.

359. *At paucos*, ete. Paucos nihilominus retineo, neque egu tamen, sed pœna, seditionis hujus auctoribus infligenda, ut exemplum ad novos milites transeat : qui discant capite plectere seditiosos, ipsi simile expectent supplicium, si quid simile deliquerint.

363. *Disce*, etc. Grotius exponit : disce in pœna, quod in prælio usurpes, ferire et mortem cootemuere. Hanc interpretationem confirmat Silius V, 636 : « Sta miles, et acres Disce ex me pugnas, vel, si pugnare negatum, Disce mori. »

365. *Vulgus iners.* Omnis exercitus. — *Unumque caput*, ete. Unum Cæsarem timoerunt, quem facile po-

Privatum factura timet : velut ensibus ipsis
Imperet, invito moturus milite ferrum.
Ipse pavet, ne tela sibi dextræque negentur
Ad scelus hoc, Cæsar : vicit patientia sævi
Spem ducis, et jugulos, non tantum præstitit enses.
Nil magis, adsuetas sceleri quam perdere mentes,
Atque perire timet. Tam diro fœderis ictu
Parta quies, pœnaque redit placata juventus.
Brundusium decimis jubet hanc attingere castris,
Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus,

terant in ordinem privatum redigere, si ab eo recederent : perinde ac si ipsi enses imperium ducis exsequuturi fuissent, renuente et detrectante imperium milite.

368. *Ipse pavet.* Metuebat enim Cæsar, ne milites parere imperio recusarent : et tamen militum patientia vicit exspectationem ducis. Hort.

369. *Ad scelus hoc Cæsar.* Ad interficiendos eos, qui missionem et pacem optaverant. — *Vicit patientia.* Milites patientius imperata fecerunt, quam ipse sperabat, vel sperare poterat. Ed.

370. *Jugulos*, etc. Et præstitere jugulos, non enses tantum. Sic VIII, 615 : « Fortunæ præstare caput. » Nonam legionem, apud Placentiam ...totam cum ignominia missam fecit : ægreque post multas et supplices preces, nec nisi exacta de sontibus pœna, restituit. Sueton. in Cæsare. Nonæ legionis, quæ seditionis causam imprimis præstitit, decumatione constituta, gemitu ab omnibus edito, prætores genibus affusi veniam suppliciter ab ipso deposcebant. Cæsar tandem vix ira posita, hoc concessit ut C duntaxat et XX seditionis principes ab omnibus eligerentur, et XII ex his a cæteris selecti supplicio afficerentur. Appian. de bello civ. lib. II.

371. *Nil magis*, etc. Nihil magis timuit, quam ne veterani illi ad omne scelus assueti, vel ferociam animi ponerent, vel ab ipso recederent.

372. *Atque perire.* Ne amitterent illas mentes, i. e. audaciam sclera committendi. Intricatiorem hic sensum, ostendunt diversæ interpretum sententiæ. Ed. — *Dirum fœdus* vocat reditum militis ad obsequium post pœnas sumptas, quo se quasi novo sacramento addixerunt Cæsari. *Ictum*, eleganter et acute, ad jugulos ictos et ad fœdus ictum respiciens; X, 374 : « ictum sanguine fœdus. »

373. *Redit.* Sc. ad officium.

374. *Decimis castris.* Decem dierum itineribus. Et satis quidem longis citatisque, si modo longitudinem fere Italiæ armati X diebus sint emensi. — *Hanc.* Nempe juventutem, hoc est, exercitum.

375. *Revocare.* Id est, colligere. — *Avius Hydrus.* Flexuosus vel devius fluvius Calabriæ.

Antiquusque Taras, secretaque litora Leucæ,
Quas recipit Salapina palus, et subdita Sipus
Montibus : Ausoniam qua torquens frugifer oram,
Dalmatico Boreæ, Calabroque obnoxius Austro,
Appulus Hadriacas exit Garganus in undas.
Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam
Jam doctam servire togæ : populoque precanti
Scilicet indulgens, summum dictator honorem
Contigit, et lætos fecit, se consule, fastos.
Namque omnes voces, per quas jam tempore tanto

376. *Taras.* Fluvius juxta Tarentum. Sed melius de urbe et portu intelligendum, quem quoque cognominem fluvio memorat Stephanus. — *Antiquus.* Vetustam et olim conditam urbem notat; fluvii autem omnes antiqui. Ed. — *Leucæ.* Urbis Salentinorum.

377. *Salapina palus.* Variant hic MSS. sed quam recepimus, vera est lectio. Salapia enim paludi nomen. Plinius III, 11. Et fuit Salapia, Apuliæ oppidum, Hannibalis meretricio amore famosum. — *Sipus.* Sipuntum, Apuliæ urbs. Mela, II, 4 : « Extra Sipuntum, vel ut Graii dixere, Sipus. » — *Subdita.* I. e. subjecta, nempe Gargano.

378. *Qua torquens.* Qua Garganus frugifer, Appulus (mons enim Apuliæ). *Torquens.* Id est, curvans oram Italiæ, hinc Austro e Calabria, inde Boreæ e Dalmatia flanti, expositus.

380. *Hadriacas exit.* Videtur enim montis Gargani partem et appendicem esse promontorium, quod illi subjacens in mare Hadriaticum extenditur.

381. *Ipse petit trepidam*, etc. Cæsar, composita seditione, sine exercitu Romam contendit. Exercitum enim a Placentia non ipse duxit, sed jubet iter versus Brundusium conficere, ipse abiit Romam et inde, compositis rebus, Brundusium profectus est.

382. *Togæ.* Pacis auctori Cæsari jam togato. Sed videtur Lucanus adludere ad Sullæ et Marii tempora, ubi togatis quidem dominis jam Roma serviebat. — *Populoque precanti.* Scil. populi favorem quærens, qui dictaturam oderat, hunc honorem tantum *contigit*, i. e. paullulum temporis servavit, mox antiquo more voluit consul dici et in fastis scribi. Alii *summum hon.* capiunt de consulatu, quem leviter tetigit, *gessit titulo tenus, contentus Dictaturæ potestate*, ut ait Suet. Jul. 76. Malim alteram interp. melius congruente sensu : indulgens populo, dictaturæ honorem deposuit, et consul dictus lætos, etc. Ed.

383. *Dictator.* Scipsum dictatorem nominavit Cæsar. Undecima deinde die dictaturæ se abdicavit, postquam se et P. Servilium coss. creasset.

384. *Lætos*, etc. Ironice. — *Fastos.* Supra vide ad vers. 5.

385. *Namque omnes voces*, etc.

Mentimur dominis, hæc primum repperit ætas,
Qua sibi ne ferri jus ullum Cæsar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.
Addidit et fasces aquilis, et nomen inane
Imperii rapiens, signavit tempora digna
Mœsta nota. Nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit? fingit solennia campus,
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, et vana versat in urna.
Nec cælum servare licet : tonat augure surdo,

Namque ab hoc anno, quo Cæsar, summam imperii potestatem consulatui adnexuit, inventi sunt et invaluere omnes illi tituli, quibus tyrannis imp. assentamur, cujusmodi sunt « divus, semper augustus, pater patriæ, fundator quietis, dominus, etc. »

386. *Mentimur.* Non quibuslibet, sed dominis; id quod servorum est, et mancipiorum abjecti fractique animi. HORT.

388. *Ausonias secures.* Consulatum urbis Romæ.— *Gladiis miscere*, etc. Imperatorum insignia insignibus consulum adnexuit, ne quod sibi ferro sæviendi jus deesset.

389. *Nomen inane*, etc. Mendax nomen imperatoris, quum rectius appellandus esset tyrannus.

390. *Signavit*, etc. Merita et justa nota signavit mœstum hoc tempus, hunc annum fœdatum cæde Pompeii, eversione senatus et libertatis.

391. *Quo melius.* Quam ipso Cæsare, qui tunc bella civilia gessit. SCH.

392. *Fingit solennia campus*, etc. Hinc posteaquam ad unum Cæsarem cuncta fuerint delata, omnes majorum ritus et disciplina in creandis magistratibus sublata sunt. Imaginaria quædam comitiorum in campo habetur species, citantur tribus, neque tamen conveniunt aut admittuntur ad distincta suffragia, frustra in cistas conjiciuntur tabellæ, si quidem imperator vel centuriis commendat, vel ipse designat creatque, quem vult consulem.

393. *Dirimit suffragia.* Sustulit. Nam se et Servilium coss. dixit. Abrogavit morem suffragii ferendi a populo, licet more solenni per præcones decantet tribus et suffragia verset in urna. Sueton. c. 41.

394. *Decantat.* Exprimit ordinem, quo vocabantur. Tribus autem clara voce citabat præco. — *Urna.* Vas in quo sortes mittebant, nam per sortes faciebant comitia. SCH. — *Vana.* Neglectis suffragiis. ED.

395. *Nec cælum servare licet.* Prævaricato etiam omni jure auspiciorum. Neque enim, pro more veterum, adhibentur comitiis centuriatis augures tres, qui cælum et aves observent; aut si adhibeantur,

Et lætæ jurantur aves, bubone sinistro.
Inde perit primum quondam veneranda potestas
Juris inops : tantum careat ne nomine tempus,
Menstruus in fastos distinguit sæcula consul.
Nec non Iliacæ numen quod præsidet Albæ,
Haud meritum Latio solennia sacra subacto,
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.

quum, propter Jovem tonantem, fulgurantemve, aut ob infausta auspicia, comitia impediri oporteat; simulant tamen se non audisse tonitrua, et, quæcumque mali ominis apparuerint auguria, parati sunt jurare læta esse et auspicata. — Huc autem possunt conferri quæ alio tempore facta memorat Sueton. Cæs. c. 77 : « Eo arrogantiæ progressus est, ut haruspice tristia et sine corde exta sacro quodam nuntiante, futura diceret lætiora, quum vellet, etc. » Ed. — *Tonat augure surdo*. Augure se non audire fingente; nam qui sub tonitru Jovis creatus fuerat, vitio creatus dicebatur, cogebaturque se abdicare magistratu. Hort.

396. *Et lætæ jurantur aves*. Augur lætas et auspicatas aves apparuisse jurabat, quamvis sinistra omnia funestus bubo dedisset. Ed.

397. *Potestas Juris inops*. Consularis potestas, quæ olim erat veneranda, tunc primum periit auctoritate sua et jure privata.

398. *Tantum careat ne nomine*. Quum autem omnia a Cæsaribus administrarentur, poterat consulatus aboleri. Sed ideo singulis annis coss. adhuc creati sunt, ut tempora eorum nominibus in Fastis digererentur. Vel ideo tantum consules creati sunt, ut tempora signari possent.

399. *Menstruus in fastos*, etc. In breve tempus, senos menses, binos, singulos, creatus consul. Hoc enim sub impp. postea factitatum meminere Suetonius in Caligula, Claudio, Nerone : et Tacitus, Hist. lib. II, de Othone.

400. *Iliacæ*. Ab Ascanio Trojano conditæ. — *Numen quod*, etc. Vestam dicit, et ignem æternum, et Jovem Latialem, cui quotannis novi consules in monte Albano Latinas celebrabant de nocte ferias, in memoriam fœderis inter Tarquinium Superbum et Latinos renovati. Macr. Saturn. lib. I, c. 16.

401. *Haud meritum sacra*. Indignum sacris, quia Latii libertatem non defenderat; subactum enim tunc a Cæsare Latium, et Italia in ejus potestatem redacta.

402. *Vidit flammifera*, etc. Quasi dicat : Cæsar, antequam ex urbe discederet, perfecit ferias Latinas, et quidem nocte, qua in monte discedebatur, cum funalibus et tædis ob tenebras. — His rebus et feriis Latinis, comitiisque omnibus quadraginta dies tribuit, inde ab urbe proficiscitur, Brundusiumque pervenit. Conf. Civ. bell III. De hoc more meminit Noster, I, 550 : « et ostendens confectas flamma Latinas Scinditur in partes. » Micyll.

Inde rapit cursus, et, quæ piger Appulus arva
Deseruit rastris, et inerti tradidit herbæ,
Ocior et cæli flammis, et tigride feta
Transcurrit; curvique tenens Minoia tecta
Brundusii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit, et pavidas hiberno sidere classes.
Turpe duci visum est rapiendi tempora belli
In segnes exisse moras, portuque teneri,
Dum pateat tutum vel non felicibus æquor.
Expertes animos pelagi sic robore complet :
« Fortius hiberni flatus, cælumque fretumque
Quum cepere, tenent, quam quos incumbere certos
Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.

403. *Quæ Appulus.* Per Apuliam incultam, et herba horridam relictam.

404. *Deseruit rastris.* Non exercuit, non coluit, uon rastris fregit, ut Virg. Georg. I, 94 : « Mnltum adeo rastris qui glebas frangit inertes, Vimineasque trahit crates, jnvat arva. » Intellige : deseruit ipse cnm rastris, vel potius, quoad rastra, ut Plaut. Capt. II, 3, 45, ait *deserere* aliquem *factis et fide.* Male Asceusius exponit : fecit prata unde fenum rastris colligitur. Ed.

405. *Tigride fæta*, Respicit ad morem subripiendi catulos tigridis; quæ raptorem insequitur, animal pernicissimum. Cf. Plin. VIII, c. 10.

406. *Curvique tenens.* Conf. II, 613. — *Minoia.* A Cretensibus, quibus Miuos imperavit, conditum est Brundusium.

407. *Clausas ventis*, etc. Non tentandas navibus.

408. *Pavidas hiberno sidere*, etc. Tempestates hibernas minante Delphino oriente cum Cane matutino.

410. *Exisse.* Nou nt qnidam *hæsisse. Exiisse* est periisse, perdita esse frustra. Sic bene Oud. Senec. Ep. VIII: « Nullus mihi per otium dies exit. » Ed.

411. *Dum pateat*, etc. Quum interea victi sibi putant tutum mare. Vel, quod unice verum, douec tanta sit pax maris ut etiam illi quibus non favet Fortuua, Cæsari tam blanda, sine periculo navigare possint. Ed. — *Non felicibus.* Pompeianis, vel aliis, quos minus felices judicabat quam suos.

412. *Expertes animos*, etc. Nondum mara expertos, ut *maris expers* apud Pers. VI, 39. Confirmavit milites suos ad mare tentandum, suasitque ut impedimenta in Italia relinquerent, ipsi expediti naves conscenderent, etc. Civ. Bell. III.

413. *Fortius hiberni*, etc. Constantius dicit bibernos veutos cælum tenere, quam vernos.

415. *Perfida... inconstantia.* Propter ventorum crebras mutatioues sub

Nec maris amfractus, lustrandaque litora nobis,
Sed recti fluctus, soloque Aquilone secandi.
Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque furens, et Graia ad mœnia perflet,
Ne Pompeiani Phæacum e litore toto
Languida jactatis comprendant carbasa remis :
Rumpite, quæ retinent felices vincula proras.
Jamdudum nubes, et sævas perdimus undas. »
Sidera prima poli Phœbo labente sub undas
Exierant, et luna suas jam fecerat umbras :

iucertis vernis sideribus.—His imbribus et nimbis ver plerumque iu Italo cælo infestum esse tum ex hoc loco patet, tum ex Horatio, Carm. IV, 4, 7. Ed.

416. *Nec maris amfractus*. Neque per circuitum iter est, unde opus sit variis veutis : sed uuo tantum constanti. Aquiloue tamen commodior erat Auster : quod testatur ipse Cæsar Bell. Civ. III : « Nacti, iuquit, Austrum ; » et « Increbruit Auster. »

418. *Curvet carchesia mali*. Vehementi flatu urgeat et incliuet summam mali partem, quo velum attollitur.

419. *Incumbatque furens*. Sic iufr. 578 : « Ventoque furenti Trade sinum ; » et 586 : « Nec louga furori Ventorum, etc. » Cæsar aquilouem, licet sit vehementior et furens, ut solet hieme, optat : unde statim « *Sævas perdimus undas* » addit. — *Graia ad mœnia*, etc. Epidamnum seu Dyrrhachium (cf. II, 624), ab iis Corcyrensibus, qui Phæacum insulam tenuerunt, conditum. Thucyd. lib. I, Strabo lib. VII.

420. *Ne Pompeiani*. Ne Pompeianæ e litore Dyrrbachino triremes invadant nostras onerarias, ventis destitutas. Cf. iufra vs. 448.

421. *Languida.... carbasa*. Vid. Seuec. Thyest. v. 164; t. I, p. 231. Ed.

422. *Rumpite*. Ad milites hortantis Cæsaris verba sunt, habentque celeritatis sive præcipitantiæ potius iudicationem. Hort.

423. *Jam dudum*, etc. Perdimus occasionem hujus tempestatis quæ, hostibus coutraria, uos adjuvat : igitur præcipitandum : nam sævæ istæ uudæ velocius navigantes impellunt. Ed.

424. *Sidera prima*, etc. Couclamautibus omuibus : « imperaret, quod vellet ; quodcumque imperavisset, se æquo animo esse facturos, » pridie non. jau. naves solvit, impositis VII legiouibus, postridie terram attigit juxta saxa Ceranniorum, etc. Comment. civ. bell. III, 6.

425. *Luna suas*. Notatio temporis vespertiui. — *Fecerat umbras*. I. e. satis magnam lucem afferebat, ut umbræ ab illa efficereutur, non jam a sole. Interdiu enim quamvis appareat aliquando luna, non ejus, sed solis umbræ sunt. Sic Hortens. recte ; male Sulpitius, lunam occidisse. Ed.

Quum pariter solvere rates, totosque rudentes
Laxavere sinus : et flexo navita cornu
Obliquat lævo pede carbasa, summaque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.
Ut primum levior propellere lintea ventus
Incipit, exiguumque tument ; mox reddita malo
In mediam cecidere ratem : terraque relicta
Non valet ipsa sequi puppes, quæ vexerat, aura.
Æquora lenta jacent, alto torpore ligata.
Pigrius immotis hæsere paludibus undæ.
Sic stat iners Scythicas adstringens Bosporos undas

426. *Totosque.* Ordo est : rudentes laxaverunt totos sinus, nempe velorum, vela ipsa, ut reciperent ventos.

427. *Flexo navita*, etc. Curvata parte mali, qua vela dependent. Extremæ enim antennarum partes *cornua* dicuntur.

428. *Obliquat lævo pede.* Pedes proprie sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur : et nunc dextri, nunc sinistri solvebantur velorum sinus pro venti mutabilitate, et prout dextra, vel sinistra adflaret. —Conf. Virg. Æn. V, 830 : « Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros Nunc dextros solvere sinus ; una ardua torquent Cornua. » De utroque pede veli Voss. ad Catull. p. 12 (cf. nost. ed. p. 42) ; Sheffer. de Milit. nav. lib. II, c. 5 ; et Turneb. p. 724 ; et nost. Virg. t. III, p. 84. Ed.

429. *Suppara*, etc. Lintea supra antennam et acatium expansa. Velamina erant minora in modum deltæ literæ, camisiæ (cf. ad II, 364) unde fiebant vela. Alias supparum est genus veli, unum pedem habens, quo juvari navigia solent in navigatione, quoties vis venti languesit, ideoque poeta addidit « perituras colligit auras. »

430. *Ut primum*, etc. Melius MS. P. *Et primum.* Sequitur enim *mox.* Et primum quidem, inquit, ferens fuit ventus : mox elanguit. Grot. — *Levior.* Parum crebrescens.

431. *Tument.* Sc. vela leviter inflata. Ed. — *Mox reddita*, etc. Ventis flare desinentibus, laxa lintea malis hæsere, ac in mediam navim cecidere; ita ut tum ad enavigandum parum essent utilia.

432. *Terraque relicta.* Venti flatus, aura, quæ naves a terra deduxerat, jam remittit deficitque : *nec valet sequi*, nam velocior est impetus navis, quam venti. Ed.

434. *Æquora lenta*, etc. Jamque malacia æquor sternebatur, haud aliter quam gelu adstringitur Pontus Euxinus, quem nec emittit Bosporus Thracius, nec impellit Ister influens septem ostiis. — *Alto torpore ligata.* Vid. Poet. Lat. min t. IV, p. 151. Ed.

435. *Pigrius.* Maris undæ pigriores esse cœperunt, quam palus est. Sch.

436. *Iners.* Immotus. — *Adstrin-*

Quum, glacie retinente, fretum non impulit Hister,
Immensumque gelu tegitur mare : comprimit unda,
Deprendit quascumque, râtes ; nec pervia velis
Æquora frangit eques, fluctuque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Mæotida Bessi.
Sæva quies pelagi, mœstoque ignava profundo

gens. Cohibet enim undas Ponti Euxini, quæ ubi in Bosporum perveniunt, angustius fretum, congelantur. — *Bosporos*. Duo Bospori sunt, angusta maris freta ; quorum alter Thracius, alter Cimmerius appellatur. In Bosporo Thracio, ubi Byzantium est, os Pontici maris in angustias quatuor stadiorum contrahitur. Cimmerius Bosporus inter Mæotim et Euxinum Europam alluit. *Bosporos*. Bosporum mare dicitur ab Ione, Inachi regis filia, quæ in vaccam conversa illud mare transfretavit. Hoc mare enim congelascit. Idem est et Ionium mare. SCH.—Confundit Scholiastes Bosporon cum Ionio mari ob eamdem denominationem ab Ione, a qua multi hoc mare putant dictum. Rectius Ammian. Marcell. lib. XXII, c. 8 : « Hac causa Bospori vocitati, quod per eos quondam Inachi filia mutata in bovem ad mare Ionium permeavit. » Bosporum cum Hellesponto confudit Servius ad Virg. Georg. III, 154.

437. *Non impulit*. Hic enim glacie strictus fretum cessat implere.

438. *Immensum... mare*. Pontus Euxinus. Errat hic Scholiastes qui *mare* sumit de Histro. Sensus Lucani hic est. Bosporos Thracius sic immotus stat, quum adstringitur gelu, et cum eo Scythicæ undæ, sive Pontus Euxinus : quod immensum mare, uti et Bosporos, tegitur gelu, quum Hister non amplius aquas suas in illud et in Bosporon impellit, quia ipse est adligatus glacie ; quare addit, Mœotida paludem tunc esse adgelatam ; cujus aquæ aliter itidem in Euxinum Pontum se effundunt. Mire hic turbant interpretes, quorum plerique *Bosporon* pro *ipso Euxino* sumunt. Hortensius Bosporon Thracium in Pontum Euxinum exonerari dicit : quum illud verum sit de Cimmerio. De induratione aquarum confer Virgil. Georg. III, 360 : « Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes, Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris. » Ammian. Marc. lib. XXII, c. 8 : « Quidquid autem ejusdem Pontici sinus Aquilone cæditur, et pruinis ita perstringitur gelu, ut nec amnium cursus subtervolvi credantur, etc. » — *Comprimit unda*. Adstringit retinetque.

439. *Nec pervia velis*, etc. Pontus et Mæotis palus, modo navigiis pervia, jam indurata, equitibus, curribus et plaustris solum præstant : *orbita* autem vestigium rotæ est, ipsa rota, *Synecdoche* currus. Ordo est : eques non frangit æquora nuper pervia velis, nec orbita migrantis Bessi scindit Mæotida sonantem.

440. *Fluctuque latente*. Cujus sub glacie sonitus fluctuum exauditur.

441. *Bessi*. Bessorum : populus est Thraciæ ad Hæmum montem.

442. *Sæva quies pelagi*, etc. Ista

Stagna jacentis aquæ, veluti deserta rigente
Æquora natura cessant : pontusque vetustas
Oblitus servare vices non commeat æstu,
Non horrore tremit, non Solis imagine vibrat.
Casibus innumeris fixæ patuere carinæ.
Illinc infestæ classes, et inertia tonsis
Æquora moturæ; gravis hinc languore profundi
Obsessis ventura fames. Nova vota timori
Sunt inventa novo, fluctus nimiasque precari

tranquillitas stagnantis maris Cæsari magis adversa et inclemens quam sævissima tempestas, instar glacialis maris, Pontique gelu constricti nec servantis cursus vicissitudines; non æstu fluit, non reciproco fluxu refluxuque æstuat, non ex undarum motu solis splendorem et imaginem vibrat. — *Mœstum* est *profundum* quod jacet alto torpore ligatum, et rigens, iners ac languidum est, vel quod Cæsarem reddit mœstum. Sic mœsta barba, II, 376; mœsta simulacra, III, 412; et Statio, Silv. IV, 3, 57, mœstum pelagus. OUD.—Vid. Stat. nostr. ed. t. I, p. 216; Silv. II, 2, 26. ED.

443. *Jacentis aquæ*, etc. Propter tranquillitatem immotæ. — *Veluti deserta rigente*. Tamquam relicta a natura, quæ nunc rigere, et se non movere videtur. — Sulpit. explicat, æquor quasi damnatum a natura, ne fluctus suos moveret, ac consuetas vires commeandi reciprocas servaret. Quid vero sint æquora *deserta a natura* non facile capio. Et quid hæc stagna jacentis aquæ, i. e. *æquora* veluti *æquora*. Velim exponere: «Æquora cessant, velut deserta et solitudines, quæ naturæ rigor inhabitata et inculta facit.» ED.

444. *Pontusque*. Pontus non æstuat, nec tremore undarum horrere videtur.

446. *Imagine*. Solis imago radii sunt, qui super undas resplendent. *Vibrat* enim illorum splendor, et huc atque illuc referri videtur, quoties undæ moventur. Nunc vero sunt immotæ. Agitur autem de quolibet mari, non de illo, quod tunc Cæsar navigabat. Quod non viderunt quidam interpretes, qui *solis imaginem* de luna exponunt, quia nocte Cæsar navigabat.

447. *Casibus*. Ad omnes casus expositæ sunt naves et innumera pericula, quæ evenire potuerunt, postquam hærere cœperunt. SCHOL.

448. *Infestæ classes*. Hostiles, Pompeianæ.—*Tonsis*. Remis : a tundendis fluctibus, vel quia tonsis foliis spoliantur, sic dictæ. Virg. Æn. V, 28 : « Et in lento luctantur marmore tonsæ. » ED.

449. *Æquora moturæ*. Adeo præstantes, ut possint remigiis inertiam maris vincere.—*Gravis hinc*, etc. Tum si diu maris tranquillitate detinerentur, gravis fames timenda.

450. *Nova vota*. Tempestates exoptantia. Simile acumen Ovid. Met. III, 468 : « Votum in amante novum, vellem, quod amamus, abesset. » OUD.

Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, et sit mare. Nubila nusquam,
Undarumque minæ: cælo languente, fretoque
Naufragii spes omnis abit. Sed nocte fugata
Læsum nube dies jubar extulit; imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis.
Inde rapi cœpere rates, atque æquora classem
Curva sequi, quæ jam vento, fluctuque secundo
Lapsa Palæstinas uncis confixit arenas.
Prima duces vidit junctis consistere castris
Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus
Circueunt ripis. Apso gestare carinas
Causa palus, leni quam fallens egerit unda.

452. *Dum se torpentibus*, etc. Modo cesset inerti torpore stagnare, redeat in suam naturam, exciteturque ventis unda maris.

454. *Cælo languente.* Ventis quiescentibus, nubibus nusquam apparentibus.

455. *Naufragii spes.* Non *spes* pro *metu* dicit. Sed vota, quæ conceperunt, spe destituuntur. Procellam nempe desperant.

456. *Læsum nube.* Nubibus obductum. — *Jubar.* Orientis Solis splendorem, seu lucem diei incipientis. Sic Græce ἀκτὶς pro sole. Soph. Trachin. 696.

457. *Movitque Ceraunia.* Submovit ex oculis nautarum, agitatione fluctuum. Hort. — Alii interpretantur: Ceraunia, Epiri montes, moveri videbantur, quum naves ventis agitarentur. Quod verisimilius est. Non enim tanta tempestas ut ipsos montes commoverit, vel tenebris coortis ex oculis nautarum Ceraunia eripuerit. Ed.

458. *Atque æquora*, etc. Et fluctus a puppi surgentes cœpere impellere classem.

459. *Curva sequi.* Cœpit mare sequi classem. Cf. 433. *Curva æquora*, nec jam plana, sed impulsu venti sinuata. — *Quæ.* Sc. classis.

460. *Palæstinas.* Epiroticas. Palæste, urbs Orico vicina prope Ceraunia, ad eum locum qui appellatur Pharsalus, omnibus navibus ad unam incolumibus, milites exposuit. Bel. Civ. III. — *Uncis confixit.* Ancoris.

461. *Prima duces vidit*, etc. Eo tempore Pompeius erat in Candavia. Quum vero audiit Cæsarem advenisse et recepisse Oricum et Apolloniam, Dyrrhachio timens, adproperat. Cæsar ad fluvium Apsum castra posuit; Pompeius trans flumen.

462. *Genusus, quam mollior Apsus.* Macedoniæ fluvii. *Genusum* a Cæsare dicitur. Dividit Dyrrhachium ab Apollonia.

464. *Causa palus.* Causa cur na-

At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutæ
Præcipitant : neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terræ, vicino litore, novit.
Hoc fortuna loco tantæ duo nomina famæ
Composuit : miserique fuit spes irrita mundi,
Posse duces, parva campi statione diremptos,
Admotum damnare nefas : nam cernere vultus,
Et voces audire datur; multosque per annos
Dilectus tibi, Magne, socer, post pignora tanta,
Sanguinis infausti sobolem, mortemque nepotis,
Te nisi Niliaca propius non vidit arena.
Cæsaris attonitam miscenda ad prælia mentem

vigabilis sit, quod palus se in Apsum exoneret. Hort. — *Fallens*. Videtur enim immobilis, quia leniter fluit, et unda sua paludem egerens, non ostendit in quam partem fluat. Ed.

465. *At Genusum*, etc. Genusus torrentior est rapidiorque propter nives solutas, quibus augetur.

466. *Neuter*, etc. Neuter fluvius per longas labitur terras, sed mox marinæ undæ, cujus litori vicini sunt, miscentur. — *Lassat*. Non *laxat*. Sic II, 618 : « Lassasque refunderet undas. »

468. *Duo nomina*. Cæsarem et Pompeium ad pugnam paratos.

469. *Miserique fuit*, etc. Jamque omnium exspectatio incassum cessit : speraverant enim fore, ut duces isti, si quando in mutuum alter alterius conspectum venisset, nefarium hoc bellum improbarent et refugerent.

471. *Admotum damnare nefas*. In procinctu quasi, et ante oculos utriusque, positum.

472. *Multosque per annos*, etc. Ex quo enim, inita cum Pompeio affinitate, tradita illi in matrimonium filia sua, Cæsar Gallias obtinuit, non contigit propius vidisse Pompeium, quam hic, nisi quod in Ægypto postea caput ejus oblatum conspexerit.

473. *Post pignora*. Sc. postquam illa vincula concordiæ esse desierunt, postquam in vivis esse desierunt Julia et ejus filius. — *Pignora tanta*, etc. Nuptias Pompeii et Juliæ, quæ gravida abortum fecit, mortuaque est, ut diximus I, 113.

474. *Infausti*. Quia non perseveravit affinitas. — *Sobolem*. Pompeii, qui obiit adhuc infans cum matre Julia, qui certe nepos Cæsaris fuit. Vid. Suet. nost. tom. I, p. 40. Ed. — *Mortemque nepotis*. Fetus immaturi. MS. P. leg. *nepotum*, quod et Torrentius in codice quodam optimo scriptum reperit : ut multitudinis numero rem magis exaggeret.

476. *Cæsaris attonitam*, etc. Cæsar, expositis militibus, eadem nocte naves remiserat Brundusium, quibus reliquas legiones equitatus-

Ferre moras scelerum partes jussere relictæ.
Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tum civili meditatus Leucada bello.
Illum sæpe minis Cæsar, precibusque morantem
Evocat : « O mundo tantorum causa malorum,
Quid Superos, et fata tenes? sunt cætera cursu
Acta meo : summam rapti per prospera belli
Te poscit Fortuna manum. Num rupta vadosis

qua transportaret Antonius, cujus tardior adventus Cæsarem in bella pronum remorabatur. — *Attonitam.* Non stupefactam notat, sed furentem in arma, qualem passim Cæsarem Lucanus describit. Sic passim Barchæ *attonitæ* dicuntur. Noster VII, 779: « Nec magis attonitus animi sensere tumultus Quum fureret. » Ed.

477. *Moras scelerum.* Dilationem prælii et rædis. Nam *scelera*, suo more cladem civilem vocat. — *Partes.* Copiæ. — *Relictæ.* Brundusii ; nam ibi exercitui præerat Antonius.

478. *Ductor erat.* Singularem lectionem profert MS. meus. *Dux aberat*, fortasse ex correctione orta. Et in nota marginali. « Objicies : quum adeo erant propinqui, cur gerere bellum non commiserunt? » Cæsarem retraxit Antonius, qui cum exercitu aberat. Ed. — *Cunctis armis.* Sc. bello civili et bellis externis æque audax.

479. *Jam tum civili*, etc. Hic sub Julio Cæsare exercitatus edoctusque bellum tractare civile, quale et ipse postea moverit contra Octavium Augustum, in quo victus est prope Leucada. I, 43. — *Meditatus.* Ridiculum hoc, ne dicam ἀδύνατον, quasi vero Antonius eventum belli præscire potuisset. Sic Farnab. sed vult tantum poeta : jam tum discens, exemplo Cæsaris, civilia bella gerere, et ad imperium vi grassari. Ed. — *Leucada.* Actiacam pugnam. Nam Leucas insula est in sinu Ambracio ; item promontorium Epiri ; inter quod et Actium, Octavius Antonium et Cleopatram navali certamine vicit.

480. *Illum sæpe minis Cæsar.* Cæsar indignabundus Antonii moram hujusmodi verbis excitat.

481. *Evocat.* Id est, per literas, et rogat, ut veniat, et minatur. Sch. — *Mundi*, vulgo. Malui, *mundo.*

482. *Quid Superos.* Cur belli exitum remoraris? — *Sunt cætera cursu.* etc. Omnia nostro consilio, *cursu* et celeritate, feliciter et virtute sunt confecta : nihil igitur reliquum est, nisi id, quod fortuna abs te postulat, ut finem bello imponamus. Hort.

483. *Summam manum.* Tractum a pictoribus qui summam manum rebus imponere dicuntur, quum perficiunt. — MS. meus : Fortuna a te tantum poscit consummationem belli per me fere ad exitum perducti. Ed.

484. *Num rupta*, etc. Non tibi iter est periculosum, longum aut inexploratum. Non nos separat Libye, quam syrtes vadosæ et incerto æstu

Syrtibus incerto Libye nos dividit æstu?
Numquid inexperto tua credimus arma profundo,
Inque novos traheris casus? Ignave, venire
Te Cæsar, non ire, jubet. Prior ipse per hostes
Percussi medias alieni juris arenas.
Tu mea castra times? pereuntia tempora fati
Conqueror: in ventos impendo vota, fretumque.
Ne retine dubium cupientes ire per æquor:
Si bene nota mihi est, ad Cæsaris arma juventus
Naufragio venisse volet. Jam voce doloris
Utendum est: non ex æquo divisimus orbem.
Epirum Cæsarque tenet, totusque senatus:

mala notæ erebro interrumpunt, et diffieilem peragratu efficiunt. — Alii legunt *non*, sine interr. sed præstat *num* ob eamdem formam vs. 487. Ed.

485. *Libye nos dividit.* Argumentatur a facili, ad transportandum exercitum. Nam, sumus vicini: quum inter Calabriam, Brundusiumque et Dyrrachium atque Epirum, fretum sit non multorum stadiorum latitudine. Hort.

486. *Inexperto*, etc. Non ante tentato. Cæsar enim nuper admodum, quum septem legiones transvectaret, mare illud emensus fuerat.

487. *Novos casus.* Pericula maris intentati. — *Ignave.* Igoavum dicit, quia multo facilius ad ducem redire, quam in hostes mitti.

488. *Non ire jubet.* Venitur ad amicos: itur ad hostes, aut in vacua. Grot. — *Non ire.* Non præcedere. — *Prior ipse.* Eece ego viam tibi struxi.

489. *Percussi*, etc. Appuli, fixi ancoras in litore ab hostibus oeeupato.

490. *Tu mea castra.* Qui hostium non timuisti, multo minus mea debes timere. *MS. meus.* — *Pereuntia tempora fati.* Ideo de te conqueror, quod victoriam, mihi fato destinatam, remoreris, quam prope in manibus habeo.

491. *Impendo.* Id est, frustra preces consumo meas in ventos et in fretum. Hort.

492. *Ne retine.* Si tu ipse recusas venire, volentes saltem venire ad me ne impedias, qui et per dubium æquor venire non dubitarent.

493. *Ad Cæsaris*, etc. Milites mei vel e certo naufragio enatantes ad me trajici gestiunt.

494. *Voce doloris.* Et jam legitimo in te dolore invehi possum, qui exercitum retinens, tibi Italiam retinere velle videris. *MS. meus.*

495. *Non ex æquo divisimus.* Quum ego et totus senatus Epirum; tu solus Italiam possideas, tuoque imperio regas. Proinde inæqualiter orbis divisus est, et tu solus majorem partem retines.

496. *Senatus.* Pompeianæ partes

Ausoniam tu solus habes. » His terque, quaterque
Vocibus excitum postquam cessare videbat,
Dum se deesse Deis, at non sibi numina, credit;
Sponte per incautas audet tentare tenebras,
Quod jussi timuere, fretum; temeraria prono
Expertus cessisse Deo; fluctusque verendos
Classibus, exigua sperat superare carina.
 Solverat armorum fessas nox languida curas:
Parva quies miseris, in quorum pectora somno
Dat vires fortuna minor: jam castra silebant;
Tertia jam vigiles commoverat hora secundos;

quæ ibi sunt. Astute senatum nominavit, nomen Pompeii reticens.

497. *Terque.* Sæpius.

498. *Vocibus excitum*, etc. Antonium invocatum, quem interea Libo Pompeii præfectus cum classe L. navium, insula quæ contra Brundusium portum est, occupata, egressu prohibuit.

499. *Se deesse Deis.* Se negligere rerum bene gerendarum occasiones a Diis oblatas, Deos suis votis non deesse.

501. *Jussi timuere.* Antonius, Gabinius, et Calenus cum suis, quos præter mandatum literis evocaverat. — *Temeraria*, etc. Multoties expertus feliciter sibi cessisse temeraria ausa; v. 577: « Sibi cessura pericula. »

502. *Fluctusque verendos Classibus, exigua*, etc. Quum pars exercitus ob inopiam navium cum Antonio Brundusii relicta moram faceret, Cæsar moræ impatiens, tamquam nuncius, ad arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio navigio, solus ire tentavit, ait Florus, lib. IV, c. 2; lembo, Dio. XLI; rati veloci, Appian. de Bel. Civ. navi duodecim remorum, Plut. in Cæs.

503. *Classibus.* Id est, majoribus navigiis. Ed. — *Superare.* Trajicere, transfretare. Ovid. Metam. IX, 115: « Superentur flumina, dixit. » Cf. supra ad I, 223, et IV, 150. Ed.

504. *Solverat.* Noctis notatio. — *Armorum.* Pro armatorum.

505. *Parva quies.* Hæc quies miseris et labore confectis erat parva, non sufficiebat ad refectionem, quia plurimum laborabant. Sch. — Sed quia tunc erat nox hiberna, satis longa quidem, malim intelligere noctem dici brevem malorum miseris requiem. Al. *parta.* Ed. — *In quorum*, etc. Quorum, quo quisque fortuna est minori, eo arctiori compressus somno reficitur. Ut infra, v. 527. Hominibus enim egentibus securior est somnus atque continuus. Hos autem, quo majore statu sunt, id est, reges propter sollicitudines animi necesse est vigilias sustinere. Schol.

506. *Jam castra silebant: Tertia*, etc. Altissima per castra quies,

Cæsar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat; cunctisque relictis,
Sola placet Fortuna comes. Tentoria postquam
Egressus, vigilum somno cedentia membra
Transiluit, questus tacite quod fallere posset;
Litora curva legit, primisque invenit in undis
Rupibus excesis hærentem fune carinam.
Rectorem, dominumque ratis secura tenebat
Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
Sed sterili junco, cannaque intexta palustri,
Et latus inversa nudum munita phaselo.
Hæc Cæsar bis terque manu quassantia tectum
Limina commovit. Molli consurgit Amyclas,
Quem dabat alga, toro: «Quisnam mea naufragus, inquit,
Tecta petit? aut quem nostræ Fortuna coegit
Auxilium sperare casæ?» Sic fatus, ab alto

sub secunda noctis vigilia, e ternis in terna shoras relevatis singulis.

509. *Vix famulis audenda parat.* Facinus, quod famulorum nemo ausus fuisset. Plutarchus refert Cæsarem servili habitu dissimulasse se. Appianus, præmisisse eum tres servos qui ratem appararent sibi, tamquam Cæsaris nuncio.

511. *Somno cedentia*, etc. Militum somno sopitorum.

512. *Questus tacite*, etc. Inique tamen ferens vigilias adeo securas, immo neglectas.

513. *Legit.* Lustrat, percurrit. Sic Virgil. Æneid. III, 292: « Litoraque Epiri legimus. » Minut. Felix, c. 3: « Oram curvi molliter litoris, iter fabulis fallentibus, legebamus. »

516. *Non ullo robore.* Nullis lignis.

517. *Sterili junco.* In sterili solo nato. — *Canna.* Sic Ovid. Metam. VIII, 630: « Parva quidem stipulis et canna tecta palustri. »

518 *Et latus*, etc. Cujus latus inversa cymba muniebatur. — *Inversa.* Quamvis *phaselus* sit masculini generis. Catull. Carm. IV: « Phaselus ille, quem videtis, hospites. » Sed Virgil. Æneid. V, 122: « Centauro invehitur magna. » Et sic *lembus*, *linter* femin. Vide Vossium, de Construct. c. 5.

519. *Quassantia tectum.* Tenui quippe adminiculo fultam, limina casam commoverunt, pulsante Cæsare. Ed.

520. *Amyclas.* Navitæ nomen.

521. *Naufragus.* E naufragio, credo, enatans.

Aggere, jam tepidæ sublato fune favillæ,
Scintillam tenuem commotos pavit in ignes,
Securus belli : prædam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares ! o munera nondum
Intellecta Deum ! quibus hoc contingere templis,
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu,
Cæsarea pulsante manu ? Tum poste recluso,
Dux ait : « Exspecta votis majora modestis,
Spesque tuas laxa, juvenis, si jussa sequutus
Me vehis Hesperiam ; non ultra cuncta carinæ
Debebis, manibusque inopem duxisse senectam.
Ne cessa præbere Deo tua fata, volenti

524. *Aggere*. Male interpretes capiunt de cubili Amyclæ. Ordo est : Ab alto aggere, i. e. cumulo jam tepidæ favillæ, parum calentis cineris, sublato fune, unde ignem fovebat, scintillam tenuem pavit, etc. SCH.

525. *Commotos pavit*, etc. Nutrivit movendo, donec flamma eluxit. Nempe illi luce opus erat, ut hospitem videret.

527. *O vitæ tuta*, etc. Exclamatio poetæ Amyclæ paupertati applaudentis et hujus conditionis securitatem admirantis. O paupertas, incolumitatis pignus! Deorum munus ! cujus quanta sit utilitas nesciunt mortales.

528. *O munera*. Nondum intelligunt homines hanc mediocritatem munus esse et beneficium Deorum.

530. *Muris*. Arcibus. Nec majestate Deorum, nec vi murorum quidquam erat satis munitum, quod Cæsarem tunc non reformidavisset. ED. — *Tumultu*. Pavore, formidine. ED.

531. *Poste recluso*. Aperto ostio.

532. *Dux ait*, etc. Onerat nautæ animum magnificis commodorum promissis, priusquam proponat, quid sit faciendum, quidque petat. HORT. — *Exspecta*. Id est, exspectare poteris, si me vexeris in Hesperiam. — *Votis majora modestis*. Majora quam per modestiam tuam semper hactenus optasti ; vel, quam per moderationem optare auderes. ED.

534. *Hesperiam*. Pro : in Hesperiam. — *Non ultra*, etc. Non erit cur posthac victum scapha sola quærites.

535. *Manibusque*, etc. Nec debebis manibus, ex quarum opera nihil in futurum seponere potes, esse inopem in senectute. Vel, non *debebis duxisse* pro, non duces, i. e. non te egestas coget in senectute vitam *manibus*, manuum labore sustentare. Locus paulo intricatior. ED.

536. *Ne cessa præbere*, etc. Propera pandere fores tenuis laris Deo

Angustos opibus subitis implere penates. »
  Sic fatur, quamquam plebeio tectus amictu,
Indocilis privata loqui. Tum pauper Amyclas:
« Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.
Nam sol non rutilas deduxit in æquora nubes,
Concordesque tulit radios: Noton altera Phœbi,
Altera pars Borean diducta luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio, languensque recessit,
Spectantes oculos infirmo lumine passus:
Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,
Aut orbis medii puros exesa recessus;
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu,
Ventorumque nota rubuit: tum lurida pallens
Ora tulit vultu sub nubem tristis ituro.

volenti repente et tamquam per somnium casam tuam per me opibus cumulare.

538. *Quamquam*, etc. Utcumque servili habitu, vel plebeio nuncium mentitus, non tamen potuit non magnifica et splendida loqui.

540. *Multa quidem*, etc. Noster suo more signa omnia et tempestatis nautica prognostica enumerat, e Virgil. Georg. I, accersita, quæ et ipse debet Arati σημείοις et φαινομένοις. Cf. et Claudian. de Bell. Gild. 492.

541. *Nam sol non*, etc. Sol enim occidens si rutilus sit, aut rubescentibus circumdatus nubibus, serenitatem crastini spondet. Arat. Virgil. Georg. I, Plin. lib. XVIII, c. ult.

542. *Concordesque tulit radios. Nec* concordes tulit radios, ut II, 35, monuimus: « Sed densa inter nubila sese Diversi erumpebant radii, » hinc ad Austrum, inde ad Boream sparsi.

543. *Diducta*. Divisa in duas partes. Ed.

544. *Orbe quoque*, etc. In medio orbe lumine evacuatus et cavatus, ac fulgore debilis.

545. *Infirmo lumine passus*. Spectari se passus est, non læsa acie adspicientis, quia habebat fulgorem infirmum.

546. *Lunaque*. Hactenus de sole prognostica; nunc de luna subjungit. — *Non gracili*, etc. non tenui, sed obscuro et crasso. «Obtusis per cælum cornibus ibat.» Arat. ἀμβλείῃσι κεραίαις. «Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu, etc.» Georg. I, 428.

547. *Aut orbis*, etc. Nec clara et nubeculis vacua in medio orbis sui recessu. — *Puros exesa*, etc. Continens in medio et concavitate nubem.

548. *Nec duxit*, etc. Resupina lunæ cornua pluviam ab Austro præsagiunt, Arat. Phæn. ὅτε δ' ὑπτιάῃσι, νότοιο.

549. *Ventorumque nota rubuit.*

Sed mihi nec motus nemorum, nec litoris ictus,
Nec placet incertus, qui provocat æquora, Delphin;
Aut siccum quod mergus amat; quodque ausa volare
Ardea sublimis, pennæ confisa natanti:
Quodque caput spargens undis, velut occupet imbrem,
Instabili gressu metitur litora cornix.
Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
Haud dubitem præbere manus: vel litora tangam
Jussa, vel hoc potius pelagus, flatusque negabunt.»
  Hæc fatur, solvensque ratem dat carbasa ventis:
Ad quorum motus non solum lapsa per altum
Aera dispersos traxere cadentia sulcos
Sidera; sed summis etiam quæ fixa tenentur

Georg. I, 431: « Vento semper rubet aurea Phœbe.» Arat. ἢν μαλ' ἐρευθὴς Πνευματικὴ, rubicunda flat. — *Lurida*. Id est, ore incerto, et pallido colore suffusa. Sch.

551. *Litoris ictus*. Virg. Georg. I, 358: « Resonantia longe Litora misceri.» Aratus, ib. οἰδαίνουσα θάλασσα.

552. *Nec placet incertus*. Certus delphinorum lascivientium cursus ventum ab illa parte prænuntiat: incertus, ventos diversos. — *Provocat*. Suis enim saltibus videtur quasi provocare æquora, quod nimis ipsi tranquilla adpareant. Burm.

553. *Aut siccum quod*, etc. *Siccum*, i. e. arena. Virg. ib. 360: « Quum medio celeres revolant ex æquore mergi, Clamoremque ferunt ad litora.»

554. *Ardea sublimis*. Virg. G. I, 364: « Notasque paludes, Deseritatque altam supravolat ardea nubem.» — *Natanti*. Metaphora. Leniter volanti. Male Schol. simpliciter explicat. Ardea natandi est imperita et stat solum in paludibus. Virg. Georg. IV, 59; « Nare per æstatem liquidam.»

555. *Quodque caput*, etc. Virg. G. I, 386: « Nunc caput objectare fretis.» — *Velut occupet imbrem*. Virg. ib. 388: « Tum cornix plena pluviam vocat improba voce, etc.» Ed.

557. *Sed si magnarum*, etc. Licet ista præsagia dissuadeant navigationem, transmittam tamen, nisi vel mare, vel venti adversi, me invitum cogant retro vertere velum, et jussis tuis non obedientem esse.

558. *Litora jussa*. Italiam. — *Vel hoc potius pelagus*. Per maris ventorumque rabiem stabit potius quam per me, quo minus trajicias.

561. *Ad quorum*, etc. Vi ventorum sidera ac stellæ e zodiaco cadere visa sunt, quæ suo lapsu magnum sulcum traxere per aera. Hort. — *Non solum*, etc. Non illæ tantum, quas vocant transvolantes; deciderunt; sed et fixæ stellæ labascere videbantur. Georg. I, 365: « Sæpe

Astra polis, sunt visa quati. Niger inficit horror
Terga maris; longo per multa volumina tractu
Æstuat unda minax; flatusque incerta futuri,
Turbida testantur conceptos æquora ventos.
Tunc rector trepidæ fatur ratis : « Adspice sævum
Quanta paret pelagus : Zephyros intendat, an Euros,
Incertum est : puppim dubius ferit undique pontus.
Nubibus et cælo Notus est; si murmura ponti
Consulimus, Cori verrent mare. Gurgite tanto,
Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus, oras.
Desperare viam, et vetitos convertere cursus
Sola salus. Liceat vexata litora puppe
Prendere, ne longe nimium sit proxima tellus. »

etiam stellas, vento impendente, videbis Præcipites cælo labi. » Oud. intelligit deplanetis, forsan melius. Ed.

564. *Visa.* Ovid. Metam. II, 321 : « De cælo stella sereno, Et si non cecidit, potuit cecidisse videri. » — *Quati.* Propter venti intermedii motum.

566. *Flatusque incerta futuri.* Æquora diversis flatibus agitata testantur se esse incerta quem ex conceptis ventis emittant.

568. *Trepidæ fatur ratis.* Hypallage, rector trepidus ratis.

569. *Quanta.* Scil. pericula. — *Zephyros.* Euro adversos, qui ab ortu venit. Dubium est venti orientalesne, an occidentales spirent. — *Intendat.* Statuit Lucanus ventorum eruptionem ex mari fieri. Sil. IX, 284 : « Sparsuras astra procellas Parturit unda freti. » Oud. *Austros* pro, *Euros.*

571. *Nubibus, et cælo Notus est.* Nubes aguntur Noto : mare murmurat Coro. Cf. Ventorum *Rosam* ad Plin. H. N. ed. nost. t. I fin. Ed.

572. *Cori verrent mare.* Meus MS. *Cori venient mare.* Unde conjecerunt editores *verrent.* Virg. Æn. I, 62 : « Ni faciat, maria ac terras cælumque profundum Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras. » — *Gurgite tanto.* Tempestate.

573. *Nec ratis.* Neque vivi, neque mortui tali tempestate in Hesperiam possumus deferri. — *Nec naufragus oras.* Neque etiam naufragi appellemur oræ Italiæ, fluctibus et ventis adversantibus.

574. *Desperare viam.* Una scilicet superest salus, ut desperata navigatione, retro unde venimus, cursum vertamus. Virg. Æn. III, 146 : « quo vertere cursus. »

576. *Ne longe nimium*, etc. Vult Amyclas reverti ad litus, ne dum morantur incerto pelagi æstu magis in altum vehantur et tellus proxima nimium recedat. Burmann. explicat : *Longe esse*, nihil juvare aut prodesse, contra sensum. Ed.

Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar,
« Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti
Trade sinum. Italiam si cælo auctore recusas,
Me pete. Sola tibi causa hæc est justa timoris,
Vectorem non nosse tuum; quem numina numquam
Destituunt; de quo male tunc Fortuna meretur,
Quum post vota venit: medias perrumpe procellas
Tutela secure mea. Cæli iste fretique,
Non puppis nostræ labor est; hanc Cæsare pressam
A fluctu defendet onus. Nec longa furori

577. *Fisus cuncta sibi*, etc. Cæsar fortunam multis antea bellis sibi benignam et faventem expertus, quum non dubitaret, quin ista etiam præsentia pericula feliciter evaderet, ad istum modum respondit nautæ. H.

578. *Pelagi*, etc. Hæc mari facta refert Noster et Suetonius; sed Plutarchus, Appianus, Dio, in flumine Anio; ad cujus ostia, quum æstum maris et fluctus occurrentes nulla vi aut arte gubernator superare posset, navim retro vertebat. Quod conspicatus Cæsar, seipsum aperuit, et manum gubernatoris attoniti prehendens: « Agedum, inquit, bone vir, audacter perge, quid times? Cæsarem vehis. » — Sublimia hæc invicti animi verba Noster amplificando corrupit. Ed.

579. *Sinum.* Vela. — *Cælo auctore recusas.* Renuis petere, cælo auctore ut renuas. Ed.

580. *Me.* Scil. auctore. Si adeo Italiam non petis, quia dissuadet cælum, ideo pete, quia ego suadeo. — *Causa hæc est justa.* Ideo times juste, quia non nosti quem vehis. Ego autem sum, quem numquam, etc.

581. *Vectorem.* Qui vehitur: vox *vector* hoc sensu rursus apud Nostrum est IV, 133; VIII, 39 et apud alios. Ed.

582. *Male meretur.* Me scil. offendit in hoc fortuna, si tunc venerit prospera, postquam optavero ut veniat. Id est, non optante me, necesse est prius mihi felicia contingere, ultro deferente fortuna. Sch.

583. *Quum post vota venit.* Quum expetita atque exspectata: vota mea antevertit semper, donatque semper, antequam opto aliquid.

584. *Tutela secure mea.* Tibi saluti erit præsentia Cæsaris, quem Dii semper a periculis tutantur. Ed. — *Cæli iste fretique.* Hoc periculum nihil curat nostrum navigium, sed aeris ac maris quædam molestia est et perturbatio. Nostræ vero puppi non intenditur a ventis periculum.

585. *Hunc Cæsare pressam.* Hoc est, onus, quod vehis, defendet navigium, in quo ipsum Cæsarem vehis et ejus fortunam. Cæsar vector tutam tibi præstabit cymbam.

586. *Defendet onus.* Non male interpretes intelligunt Cæsarem se arrogantius jactare, quasi fluctus regat et ventis imperet. Vult tamen dicere, quum necesse sit se incolumem esse, ideo nihil rati timendum esse, et

Ventorum sævo dabitur mora : proderit undis
Ista ratis. Ne flecte manum ; fuge proxima velis
Litora : tum Calabro portu te crede potitum,
Quum jam non poterit puppi, nostræque saluti
Altera terra dari. Quid tanta strage paretur
Ignoras ; quærit pelagi cælique tumultu
Quid præstet Fortuna mihi. » Non plura loquuto
Avulsit laceros, percussa puppe, rudentes
Turbo rapax, fragilemque supervolitantia malum
Vela tulit : sonuit, victis compagibus, alnus.
  Inde ruunt toto concita pericula mundo.
Primus ab Oceano caput exseris Atlanteo,
Core, movens æstus : jam, te tollente, furebat

ratis salutem pelago profuturam. Ed. — *Nec longa furori.* Nec durabit diu tempestas hæc.

587. *Proderit undis.* Non solum pelagus puppi nostræ non nocebit ; sed puppis nostra labori pelagi proficiet ; quia propter me venti sedabuntur. Ed.

558. *Proxima.* Epiri litora quæ intendebat Amyclas repetere, v. 576.

589. *Calabro.* Brundusino.

590. *Quum jam non*, etc. Quia neque e re mea est, neque salute, ut aliam quamcumque terram adpellamus. Decrevit enim fatum me Brundusium deferri. Necesse est igitur te in altum pervenire, ut, nulla alia terra tibi ad perfugium patente, certissime Brundusium devehari. Ergo te ad Calabriam crede pervenisse, quum jam ad aliam non poteris ire regionem.

591. *Strage.* Tempestate, ventorum colluctatione.

593. *Quid præstet.* Non, ut quidam volunt, quærit quem mihi ex ventis potissimum eligat, sed quo novo pignore ostendat se mihi obnoxiam et inservientem Ed. — *Non plura loquuto.* Æn. I, 106 : « Talia jactanti stridens Aquilone procella Velum adversa ferit. »

596. *Sonuit alnus.* Juncturis jam fatiscentibus, crepuit navicula, ut quæ jam videretur dissilire. Hort. — *Alnus.* Cymba.

597. *Inde ruunt*, etc. Summatim omnia pericula commemorat, quæ ab omni cæli parte commoventur et provocantur ; mox ea per partes dilatat.

598. *Ab Oceano.* Corus flat ab occasu solstitiali, adversus Aquilonem. — *Atlanteo.* Ab Atlante monte, quem adluit in extrema Africæ ora, sic dictum mare. Deinde Cori violentia quum concitaretur mirum in modum maris æstus, fluctus eriguntur.

599. *Tollente.* Coro, pontum tollente, fluctus irati in scopulos sese erexerant, quum Boreas occurrit et mare insurgens retundit. Potest quoque *tollere* neutraliter dici, ut *surgere.* Oud.

Pontus, et in scopulos totas erexerat undas.
Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit;
Et dubium pendet, vento cui concidat, æquor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, et undas
Torsit, et abstrusas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad saxa, suumque
In fluctus Cori frangit mare; motaque possunt
Æquora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum
Æolii jacuisse Notum sub carcere saxi
Crediderim: cunctos solita de parte ruentes
Defendisse suas violento turbine terras:
Sic pelagus mansisse loco. Nec parva procellis
Æquora rapta ferunt. Ægæas transit in undas

601. *Occurrit gelidus Boreas.* Coro opponit Aquilonem ex adverso insurgentem, nt ventorum lucta et prælium inter se multo violentius æstnm misceat. — *Retundit.* Significanter. Nam quum dicit Boream Coro occurrisse obviam, necessario æstum retro disjecit; ut coarguat et ventorum inter se et undarum pugnam in medio Hadriatico. Hort.

602. *Cui concidat.* Cui pareat, cui succumbat. Bipont. *pareat* contra MS. Senec. Agam. 140: « Incerta dubitat unda, cui cedat malo. » Ed.

604. *Torsit.* In se repulit ac retorsit. — *Abstrusas penitus*, etc. Absconditas. Quod olim penitus erat altum, jam vadum fit. Virg. Æn. I, 111: « Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis. »

605. *Ad saxa.* Ad rupes litoris. — *Suumque*, etc. Sed frangit fluctus a se impulsos ad undas a Coro inductas. — At quomodo franguntur, si *vicit* Boreas, si undæ *retortæ*, sunt? Vides toto loco nimium acumen, et luxuriem. Ed.

607. *Subductis*, etc. Etiam cessantibus ventis, concurrerent ipsa æquora, adeo sunt commota. Ed.

609. *Jacuisse.* Recte *jacere* da iis qui in custodia et carcere continentur. Silius II, 594: « captivo jacuisse solo. » Sic Oudend. Malim: quia venti flantes *consurgere* dicuntur. Ed.

610. *Cunctos.* Restitue: sed crediderim cunctos suum quemque litus defendisse. Ed.

611. *Defendisse suas*, etc. Ne ab adversis ventis percellerentur, ne a mari concitato obruerentur terræ, a quibus ipsi flant.

612. *Nec parva*, etc. Alii *nam*, et parenthesin volunt, hoc sensu: sæpe enim e contrario fit ut venti abripiant æquora, etc. Sed nolim *parva*

Tyrrhenum : sonat Ionio vagus Hadria ponto.
Ah ! quoties frustra pulsatos æquore montes
Obruit illa dies ! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit ! non ullo litore surgunt
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magno venere mari, mundumque coercens
Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraterna lassatum in sæcula fulmen
Adjuvit, regnoque accessit terra secundo,
Quum mare convolvit gentes, quum litora Tethys
Noluit ulla pati, cælo contenta teneri.

vocari maria, quæ sæpissime ab aliis *magna* dicuntur, notante Burm. Nec crediderim *pelagus* designare Oceanum, de quo mox vs. 219, et quia totus locus a Cæsaris, in Mediterraneo navigantis, periculo alienus esset. Interpretor, mare quidem intra litora *mansisse*, non terris superfusum; magna tamen æquora commota fundisus, et inter se mixta fuisse; immo antiquos montes in gurgitem dejectos; adeo hæc procella etiam Oceani, qui omnium maximos attollit fluctus, tempestates superabat. Sic cuncta, quantum fas in obscuriore loco, cohærent; melius tamen si legi possit, *at non parva procellæ .. ferunt.* Ed.

614. *Vagus.* Quia per multas tenditur terras: vel melius, modo vagus, quum transit in Ionium. Sch.

615. *Ah quoties frustra*, etc. Hoc est, qui antea frequenter fluctibus frustra pulsati erant, montes illa die obruti sunt. Nec adversatur vs. 612; nam ipsi non *mansere loco*. Ed.

616. *Pessum*, etc. Tmesis, pro *pessumdedit;* vel dehiscens absorpsit, vel commota in fluctus dejecit. Ed.

618. *Tam validi fluctus*, etc. Vix tam validi fluctus existunt in ullo alio æquore, nec in Oceano ipso, adeo magno mari, cujus fluctus ex alio orbe volvuntur, quique terram ambiens, immittit fluctus belluis tam ingentibus plenos. Ed.

620. *Sinus.* Sumitur hoc verbum pro undarum contortis flexibus. Val. Flacc. II, 498 : « Monstriferi mugire sinus. » — *Sic rector Olympi Cuspide*, etc. Neque minus intumuit mare, quam ubi quondam Jupiter fatigatus hominum sceleribus vindicandis fulmine, decreverat universum terrarum orbem diluvio perdere ; quum advocatis cærulei fratris auxiliaribus undis, « Ipse tridente suo terram percussit. » Ovid. Met. I, 283.

621. *In sæcula :* contra homines, et ob tot sæculorum perpetuum usum hebetatum. Hort.

622. *Regnoque accessit.* Hoc est, terræ mare mixtum fuit, et mare cælo. Vel ut Grotius exponit : Terra accessio facta est ejus sortis, quæ Neptuno obvenerat. Ovid. M. I, 291 : « Mare et tellus nullum discrimen habebant.

Nunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,
Ni Superum rector pressisset nubibus undas.
Non cæli nox illa fuit : latet obsitus aer
Infernæ squalore domus, nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aer.
  Tunc Superum convexa tremunt, atque arduus axis
Intonuit, motaque poli compage laborant.
Extimuit Natura chaos : rupisse videntur
Concordes elementa moras, rursusque redire

Omnia pontus erant. » Propria autem in hac re et juridica est vox *accessio*, *accedere*.

625. *Nunc quoque*. Navigantibus Cæsare et Amycla.—*Maris moles*, etc. Diluvium iterum fuisset, nisi Jupiter infudisset pluvias. Sedatur enim tempestas maris, imbre dimisso. SCH.

627. *Non cæli nox illa fuit*. Non erant illæ simplices noctis, ob interpositæ terræ umbram, tenebræ. Senec. Agam. 466 : « Nec una nox est : densa tenebras obruit Caligo. » Ovid. Met. XI, 521 : « Cæcaque nox premitur tenebris hiemisque suisque.»

628. *Infernæ squalore domus*. Nox illa ab inferis profecta videbatur, ob tenebras plus quam tartareas; quas densissimi nimbi inducebant in aerem, quum fontes omnes abyssi magnæ rupti essent, et cæli cataractæ apertæ forent, in quibus generatur pluvia. HORT.

629. *Fluctusque in nubibus*, etc. Levabant se adeo fluctus et extollebant, ut imbrem acciperent priusquam potuisset venire ad terram; sic erigebantur ad cælum, ut vicini nubibus occuparent pluvias, altius etiam processuri. SCHOL. — Ovid. ib. 497 : « Fluctibus erigitur, cælumque æquare videtur Pontus, et inductas aspergine tangere nubes. »

630. *Lux etiam*, etc. Nec ipsorum fulgurum, quamvis metuenda, lux apparet, quæ nubibus et pluvia exstinguitur. — *Currunt*. Velocitatem et latum luminis tractum notat. ED.

631. *Dissilit obscurum*. Est græcismus : i. e. aer licet dehiscat, tamen nulla lux per hiatum illum emittitur.

632. *Convexa*. Cælum concutitur. Silius, XII, 613 : « Concussi tremuere poli.»—*Axis*. Firmamentum.

633. *Motaque poli compage*, etc. Malui cum Oud. et aliis, *laborant*. Scil. poli, mota machinæ mundanæ compagine. Burm. dedit *laborat*, nempe axis mota poli compagine. ED.

634. *Extimuit Natura chaos*. Senec. Agam. 479 : « Mundum revelli sedibus totum suis, Ipsosque rupto crederes cælo Deos Decidere, et atrum rebus induci Chaos; » et Noster I, 74.

635. *Concordes elementa moras*. Causas, quibus conjuncta sunt, mo-

Nox manes mixtura Deis. Spes una salutis,
Quod tanta mundi nondum periere ruina.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur; tantum nautæ videre trementes
Fluctibus e summis præceps mare : quumque tumentes
Rursus hiant undæ, vix eminet æquore malus.
Nubila tanguntur velis, et terra carina.
Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenas
Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est.
Artis opem vicere metus : nescitque magister
Quam frangat, cui cedat aquæ. Discordia Ponti
Succurrit miseris, fluctusque evertere puppim
Non valet in fluctus : victum latus unda repellens
Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.

ranturque in concordia. SULPIT. — *Rursusque redire*, etc. Dissolutis elementorum fœderibus, cælo inferis confuso.

636. *Nox*. Id est, confusio rerum. SCH.—*Spes una salutis.* Nec certior suæ salutis spes Cæsari, et Amyclæ superest, quam quod nondum periere tanto mundi soluti fragore. Nam si esset fortuna pereundi, jamdudum eos absumpsisset hæc mundi ruina.

638. *Quantum Leucadio*, etc. E dorso fluctuum altitudinem Leucadii promontorii æquantium, nautæ, si qui tum in mari erant, potuere mare e præcipiti videre. Ovid. Metam. XI, 503 : « Et nunc sublimis veluti de vertice montis Despicere in valles, imumque Acheronta videtur : Nunc ubi demissam curvum circumstetit æquor, Suspicere inferno summum de gurgite cælum. »

639. *Despicitur*. Deorsum adspicitur.

642. *Velis*. Quum eriguntur naves. *Carina*. Dum resident. ED.

643. *Nam pelagus*, etc. Quacumque enim pelagus dehiscit, demittitur, non operit arenas, sed omnes aquas exhaurit, ut cumulentur in fluctus. Nihil ergo restat undæ, qua arenæ celentur.

644. *Exhaustum in cumulos*. Congeritur mare in fluctus instar montium erectos. VI, 274 : « cumulumque furentem undarum. »

645. *Artis opem vicere metus*. Ovid. ib. 492 : « Ipse pavet, nec se, quis sit status, ipse fatetur Scire ratis rector : nec quid jubeatve, velitve. Tanta mali moles, tantoque potentior arte est. »

646. *Quam frangat*. Quam aquam navigando secet, nec quem fluctum sequatur. — *Discordia ponti*, etc. Quippe fluctibus alternis utrimque repulsa navis non subsidere aut everti potuit.

648. *Unda repellens Erigit*. Non

Non humilem Sasona vadis, non litora curvæ
Thessaliæ saxosa pavent, oræque malignos
Ambraciæ portus : scopulosa Ceraunia nautæ
Summa timent. Credit jam digna pericula Cæsar
Fatis esse suis : « Tantusne evertere, dixit,
Me Superis labor est : parva quem puppe sedentem
Tam magno petiere mari ? Si gloria leti
Est pelago donata mei, bellisque negamur;
Intrepidus, quamcumque datis mihi, numina, mortem
Accipiam. Licet ingentes abruperit actus
Festinata dies fatis, sat magna peregi.

poterat alius venti fluctus evertere ratem in fluctus alterius venti, quia unusquisque ventus a se navem repellebat.

650. *Non humilem Sasona vadis.* Non metuunt jam ne allidatur ratis ad Sasona, insulam inter Epirum et Brundusium, neque ad litora Thessaliæ aut Ambracii sinus, scopuloso monti et nautis formidato subjacentes. Virg. Æn. III, 275 : « Leucatæ nimbosa caeumina montis Et formidatus nautis aperitur Apollo. » — *Humilem vadis.* Vadosam. In tantis enim fluctibus, non brevia timent et perfidum litus, sed ipsorum Cerauniorum caeumina, quæ sola erecto mari eminent. Ed.

652. *Ceraunia... Summa.* Diæresis seu Tmesis, ἀκροκεραυνία. — *Nautæ.* Non Cæsar et Amyclas, sed quicumque sunt in illo mari, ut v. 639. Oud.

653. *Digna pericula Cæsar.* Putat jam hæc facta esse pericula, ut his mereatur Cæsaris fortuna periisse.

654. *Digna Fatis esse suis.* Tanti viri morti congrua. Sulpit.

655. *Parva quem puppe*, etc. Componit inter se per antitheton, magnum mare, et puppim parvam. Quod si tamen Diis ita visum, ut hic fluctibus obruatur, unum superest, quo se consolatur, fama honesta, et rerum gestarum gloria immortalis.

656. *Magno.* Turbato.

657. *Bellisque negamur.* In aquis perire grave letum priscis videbatur. Conf. Æn. I, 101 : « mene Iliacis occumbere campis, etc. » Neque dabitur bella absolvere, vel gloriosa cum victoria vel pulchra morte.

659. *Licet ingentes*, etc. Utcumque vitæ stamen mihi nondum, quod institueram, consequuto, inciderint fata, non tamen me totum in morte periisse, non me hic inutiliter fuisse, sed satis vel naturæ vel gloriæ vixisse accipient posteri. Sic Dido, Æn. IV, 653 : « Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi, etc. »

660. *Festinata dies.* Mors nimis maturata a fatis, cum majora rerum opera patranda animo conceperim. *Dies* pro : suprema dies.

Arctoas domui gentes : inimica subegi
Arma metu : vidit Magnum mihi Roma secundum.
Jussa plebe, tuli fasces per bella negatos :
Nulla meis aberit titulis Romana potestas.
Nesciat hoc quisquam, nisi tu, quæ sola meorum
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum,
Et dictator eam Stygias, et consul ad umbras,
Privatum, Fortuna, mori. Mihi funere nullo
Est opus, o Superi; lacerum retinete cadaver
Fluctibus in mediis; desint mihi busta, rogusque,
Dum metuar semper, terraque exspecter ab omni. »
  Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus

661. *Arctons domui gentes.* Germanas, Gallicas, Britannicas. — *Inimica subegi.* Eorum, qui honoribus meis invidi adversabantur, Pompeii, Marcelli, etc.

662. *Secundum.* Pompeium superavi, qui mudo neminem ferebat parem.

663. *Jussa plebe.* Coacta ut suffragia ferret. — *Tuli fasces per bella negatos.* Consulatum obtinui, qui in bellis mihi occupato negatus fuerat, non habita ratione absentis.

664. *Nulla meis aberit*, etc. Honores Romanos omnes gessi, Flaminis Dialis sacerdotium, quæsturam, ædilitatem, præturam, consulatum, dictaturam. — *Titulis.* Proprie de tumulorum inscriptionibus.

665. *Nisi tu.* Apostrophe ad Fortunam. Nesciat quisquam me privatum mori, nisi tu, Fortuna, quæ scis quid desiderem: nam adfectabat regnum. SCH.

668. *Privatum.* De meo judicio privatum me mori, quamquam enim sum et dictator et consul, nihil tamen ista mihi sunt, qui regiam potestatem speravi, nec ulla minore contentus esse possum : hanc nondum adeptus, privatus mihi videor. Ita II, 564 : « Non privata cupit, Romana quisquis in Urbe Pompeium transire parat. » *Non privata*, id est, regnum. Hic *privatum*, est, noudum regem. GROT.

670. *Desint mihi busta.* Absit exsequiarum et sepulcri pompa; mortem meam celari malo, quo reditum metuant hostes, sperent mei.

671. *Dum metuar semper.* Nam, corpus ejus si fuerit ejectum, agnoscetur mortuus, et desinet jam timeri: si in fluctibus fuerit, timebitur ab omnibus, dum credit unusquisque adesse venturum. SCHOL. — Pari sententia de altero Cæsare vates nostras fama notissimus : « Dès qu'on signale une nef vagabonde, Serait-ce lui, disent les potentats? » ED.

672. *Hæc fatum*, etc. Hæc dicentem tollit ingens fluctus, qui cymbam in terram exposuit. — *Decimus.*

Invalida cum puppe levat : nec rursus ab alto
Aggere dejecit pelagi, sed pertulit unda,
Scruposisque angusta vacant ubi litora saxis,
Imposuit terræ. Pariter tot regna, tot urbes
Fortunamque suam tacta tellure recepit.
Sed non tam remeans Cæsar jam luce propinqua,
Quam tacita sua castra fuga, comitesque fefellit.
Circumfusa duci flevit, gemituque suorum,
Et non ingratis incessit turba querelis.
« Quo te, dure, tulit virtus temeraria, Cæsar?
Aut quæ nos viles animas in fata relinquens,
Invitis spargenda dabas tua membra procellis?
Quum tot in hac anima populorum vita, salusque

Id est, maximus, qui et decumanus. Conf Senec. Agam. 496; Ovid. Met. XI, 530, et Trist. I, 2, 49; Sil. Ital. XIV, 122. Ed.

673. *Ab alto aggere.* Per metaphoram; pro fluctu, qui aggeris in morem attollebatur.

674. *Sed pertulit unda.* Scilicet molliter deduxit in terram.

675. *Scruposisque vacant*, etc. Ubi litus nullis rupibus fuit aut saxis periculosum. *Scruposis.* Asperis.

676. *Tot regna*, etc. Quæ omnia in tempestate modo conclamarat.

677. *Tacta tellure recepit.* In jus et ditionem suam, terram quam reliquerat, captas provincias et regna; tum autem et fortunam, quæ et illum in maris periculo videbatur destituisse, recepit. Hort.

678. *Sed non tam.* Non vero ejus reditus æque celari potuit, atque ejus fuga, quæ sua castra latuerat. Lux enim jam propinqua erat. Ed. — *Remeans Cæsar*, etc. Tum Fortunam accusans, quod felicitati ejus invidisset, nautas retroverti jubet. Navis itaque, adspirante vento facile compulsa, ad fluvii oram cita regreditur. Appian. II.

680. *Circumfusa.* Ordo est. Turba suorum sociorum circumfusa duci flevit et incessit gemitu et querelis. — Cæsarem vero nonnulli ob audaciam admirabantur : alii querelis prosequuti sunt, quod facinus, militari potius quam imperatoria laude dignum, esset aggressus. Appian.

681. *Non ingratis.* Utpote amorem testantibus.—*Incessit*, ab *incesso*, id est, impetiit, incusavit.

682. *Quo te, dure, tulit*, etc. Benevolentes Cæsaris temeritatem incusant, quam ut mitigent ac leniant, vestiunt honesto vocabulo virtutis.

683. *Quæ in fata.* Cur nos adeo viles animas servabas, ut te ipsum maris periculis exponeres, quum e fortuna tua non sit te perire.

685. *Quum tot in hac*, etc. Quum in tua tot populorum salus conti-

Pendeat, et tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sævitia est voluisse mori. Nullusne tuorum
Emeruit comitum, fatis non posse superstes
Esse tuis? Quum te raperet mare, corpora segnis 689
Nostra sopor tenuit. Pudet heu! tibi causa petendæ
Hæc fuit Hesperiæ? visum est committere quemquam
Tam sævo crudele mari? Sors ultima rerum
In dubios casus, et prona pericula mortis
Præcipitare solet: mundi jam summa tenentem
Permisisse mari! tantum quid numina lassas? 695
Sufficit ad fatum belli favor iste, laborque
Fortunæ, quod te nostris impegit arenis?
Hinc usus placuere Deum, non rector ut orbis,
Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?»

neatur, et ex tua unius vita, nostra omnium pendeat. Similiter Seneca, Ph. 294: «Vitam tibi ipsi si negas, multis negas.»

687. *Nullusne tuorum*, etc. Nemone erat e tuis tam bene de te meritus, quem nolles tibi superstitem gravia omnia pati, quem periculi societate dignum crederes?

689. *Corpora segnis... tenuit.* Vel distinguas interrogatorie, hoc sensu: æquumne fuit te a rapido mari jactari, nos securos dormire?

690. *Pudet heu!* etc. Dolentis exclamatio, vel quod dormierint, vel quod Cæsar eos tam pusilli animi esse putaverit, ut eos recusaverit mari procelloso committere.

692. *Sors ultima rerum.* Extrema necessitas et vitæ desperatio solet homines in extrema pericula præcipitare. Te nulla vis adegit, cur tuam vitam sævienti mari committeres. — Int. de hominibus infimæ sortis, quibus ideo facilis vitæ jactura: opp. *summa tenentem.* Ed.

695. *Permisisse.* Ellipsis frequens in admiratione. Florus, lib. I, c. 2: «Coriolos quoque, pro pudor, victos adeo fuisse!» — *Lassas?* Conservando te, toties spontaneis periculis expositum.

696. *Sufficit ad fatum*, etc. Idne sufficere et satis esse ad belli prosperum eventum putas, quod te ex tanto periculo fortuna nobis reddidit incolumem.

698. *Hinc usus placuere Deum.* Itane uteris benignitate Deorum?

699. *Felix naufragus.* Ut mergendi periculo propinquus, evaderes. Sulpit. — Laborasti ideo, ut Dii ostenderent te felicem, eripientes te post naufragium: quum laborandum fuisset, ut imperator, et dominus fieres orbis. Vel hoc amplius iis cre-

Talia jactantes, discussa nocte, serenus
Oppressit cum sole dies, fessumque tumentes
Composuit pelagus, ventis patientibus, undas.
  Nec non Hesperii lassatum fluctibus æquor
Ut videre duces, purumque insurgere cælo
Fracturum pelagus Boream, solvere carinas,
Quas ventus, doctæque pari moderamine dextræ
Permixtas habuere diu: latumque per æquor,
Ut terrestre, coit consertis puppibus agmen.
Sed nox sæva modum venti, velique tenorem
Eripuit nautis, excussitque ordine puppes.
Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Poturæ te, Nile, grues, primoque volatu,
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit densas Notus altior alas;
Confusos temere immixtæ glomerantur in orbes,

didisti, si felix esses naufragus, quam si rector orbis, et dominus. SCHOL.

700. *Serenus*, etc. Orto sole, remittunt venti, sedatur mare.

701. *Oppressit*. Loquentibus supervenit et finem querelarum fecit.

702. *Pelagus*. Mare composuit undas. —*Patientibus*. Quia quiescebant.

703. *Hesperii duces*. Cæsariani, qui Brundusii erant, Antonius, Gabinius, Galenus, Postumius.

705. *Fracturum*. Qui maria mitigaret; vel undarum moles dispelleret et dissolveret. — *Boream*. Cæsar non Boream, sed Austrum idoneum ventum fuisse navigantibus, ut Oricum peterent, scribit. « Nacti Austrum naves solvunt. » Bell. Civ. III, 26.

706. *Doctæque*. Remigum et gubernatorum. — *Pari moderamine*, etc. Agmine ordinatas et æquatis procedentes velis.

708. *Consertis*. Conjunctis.

709. *Sed nox sæva*, etc. Sed ventus nocte remittens ordinem turbavit. — Immo nox procellosa immodicos fecit ventos. ED. — *Tenorem*. Vela velis succedentia; vel potius, incomposita reddidit, disturbavit. ED.

711. *Strymona sic gelidum*, etc. Sic grues, ubi a Strymone, fluvio Thraciæ, hiemis frigus fugientes, petunt Nilum tepidum, primo egressu exprimunt volando literam: mox ventis attritæ et disturbatæ glomerantur confusæ. Cf. not. 716.

713. *Casu*. Nulla enim eis ratio.

714. *Notus altior*. Quum ventus violentior verberaverit alas, sine ordine convolant glomeratæ in orbes.

Et turbata perit dispersis litera pennis.
Quum primum, redeunte die, violentior aer
Puppibus incubuit, Phœbeo concitus ortu,
Prætereunt frustra tentati litora Lissi,
Nymphæumque tenent : nudas Aquilonibus undas
Succedens Boreæ jam portum fecerat Auster.
Undique collatis in robur Cæsaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina Martis
Jam castris instare suis, seponere tutum
Conjugii decrevit onus, Lesboque remotam
Te procul a sævi strepitu, Cornelia, belli

716. *Litera pennis.* Υ, Δ, Λ, vel alia figura quam prius referebant. — *Pennis.* Ipsis gruibus.

717. *Violentior aer.* Ventus, qui est aer immissus.

718. *Phœbeo ortu.* Sole oriente. — *Concitus.* Vehementior enim ventus matutino tempore.

719. *Prætereunt frustra*, etc. Hæc sic referuntur ab ipso Cæsare de Civ. Bell. lib. III, 26 : C. Coponius, qui Dyrrhachii classi Rhodiæ præerat, naves e portu educit; et quum jam remissiore vento nostris appropinquasset, idem Auster increbuit, nostrisque præsidio fuit. Usi itaque fortunæ beneficio, Dyrrhachium prætervecti, nacti portum qui appellatur Nymphæum ultra Lissum M. pass. tria, eo naves introduxerant, qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus : incredibili mox felicitate Auster in Africum se vertit. — *Lissi.* Est portus Epiri : quem tenere cupientes, prætergressi sunt vento non sinente. Sch.

720, sq. *Nudas Aquilonibus.* Expositas, non ab illo vento tectas. Grotius explicat, non expositas Aquilonibus. Verum καταχρηστικῶς. Proprie enim Austris patet Nymphæum. *Succedens Auster.* — Hoc non verum : immo succedens Austro Africus Nymphæum fecerat portum, id est, tutum a ventorum injuria. Omnino aut quos nos habemus Cæsaris Commentarios non legit Lucanus, aut non intellexit. Grot. — Malim alteram interp. *nudas*, in quas, flante aquilone, non intrant naves; ideoque Auster *portum fecit*, id est, in portum intro impulit, non autem tute quia ita in litoris scopulos incurrunt. Sic cum Cæsare consentit Noster. Ed.

722. *In robur.* Ad vires firmandas.

725. *Conjugii decrevit onus.* Conjugem Corneliam, II, 349, quam neque satis commode apud se retinere, neque citra molestiam a se segregare posset. — *Lesboque remotam.* In insula Lesbo occulere Corneliam hue ablegatam longe ab armis, ne præsens spectatrix belli aleæ, utcumque caderet, adesset. Hort.

Occulere. Heu quantum mentes dominatur in æquas
Justa Venus! dubium, trepidumque ad prælia, Magne,
Te quoque fecit amor : quod nolles stare sub ictu
Fortunæ, quo mundus erat, Romanaque fata,
Conjux sola fuit. Mentem jam verba paratam
Destituunt, blandæque juvat ventura trahentem
Indulgere moræ, et tempus subducere fatis.
Nocte sub extrema, pulso torpore quietis,
Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis
Pectus, et aversi petit oscula grata mariti :
Humentes mirata genas, percussaque cæco
Vulnere, non audet flentem deprendere Magnum.
Ille gemens, Vita non nunc mihi dulcior, inquit,

727. *Æquas.* Mutuo amore connexas et ex æquo amantes, faciles, pias.

728. *Justa Venus.* Amor legitimus, conjugalis. — *Dubium*, etc. Virg. Æn. II, 726: « Quem dudum non ulla movebant Tela... Suspensum et pariter comitique onerique timentem. »

729. *Quod nolles*, etc. Solam uxorem volebas poni extra tela et ictum fortunæ, cui obnoxia erat Roma et totus Romæ subjectus mundus. — *Sub ictu.* Belli casibus expositum.

731. *Conjux sola fuit.* Ea sola fuit in causa, quod prælium distuleris. Hort. — Sed rectius Oudend. *quod* ut relativum pronomen capit. Nempe conjugem solam illud esse, quod nollet periclitari, etc. Ed. — *Mentem jam verba*, etc. Quamvis de consilio jam certus sit, tamen quibus conjugem verbis aggrediatur, et quæ prima exordia sumat, nescit. Interea donec dentur tentandi aditus et mollissima fandi tempora, juvat eum differentem ea quæ futura sunt, moram sibi et uxori gratam producere.

733. *Subducere fatis.* Subtrahere necessitati, quæ instabat. Sulpit.

734. *Extrema*, etc. In diem prona, somnique experte.

736. *Pectus.* Pompeii. — *Aversi.* In alteram partem versi cogitando; vel se avertentis, ut lacrimas celaret.

737. *Mirata.* Ut rem incredibilem, Pompeium flere! — *Percussaque.* Terrore quodam percussa, cujus causam ignorabat, nam Pompeius consilium de amovenda uxore, quod animo versabat, necdum cum illa communicaverat.

738. *Deprendere.* Non audet significare se deprehendisse, nec quare fleret, interrogare. Vel, non audet sibi credere, quasi nefas sit in tanto viro de animi robore dubitare. Cf. ad III, 425, *dominumque timet deprendere luci.* Ed.

739. *Vita non nunc mihi*, etc. O conjux, mibi dulcior vita! non tantum

Quum tædet vitæ, læto sed tempore, conjux,
Venit mœsta dies, et quam nimiumque, parumque,
Distulimus : jam totus adest in prælia Cæsar.
Cedendum est bellis ; quorum tibi tuta latebra
Lesbos erit. Desiste preces tentare ; negavi
Jam mihi : non longos a me patiere recessus.
Præcipites aderunt casus : properante ruina,
Summa cadunt. Satis est audisse pericula Magni.
Meque tuus decepit amor, civilia bella
Si spectare potes : nam me, jam Marte parato,
Securos cepisse pudet cum conjuge somnos,
Eque tuo, miserum quatient quum classica mundum,
Surrexisse sinu. Vereor civilibus armis
Pompeium nullo tristem committere damno.
Tutior interea populis, et tutior omni

tunc quum lætissima fortuna uterer.

741. *Mœsta dies*, etc. Qua necesse est nos separari, quam nimium distuli, quod ad tuam incolumitatem et reip. gerendæ commoditatem spectat, parum, quod ad amorem nostrum. — Forsan, ob versus seqq. *totus adest*, etc. melius hic *mœsta dies* caperetur de pugna ineunda; quod indicat vetus Schol. « *Nimium* ad belli rationem, *parum* ad affectum. » Ed.

744. *Negavi*. Ego te retinere cupiebam, et me quasi precatus sum; sed, re bene perpensa, illud a me impetrare non potui. Ed.

745. *Non longos*. Quidam explicant: non longe tamen distabis. Sed *longos* de tempore capiendum : non diu duraturos; nam casus instant. Ed.

746. *Præcipites*, etc. In præcipiti, et quæcito decernentur; nam fastigium consequutæ res, repente in ruinam vergunt.

747, sqq. *Satis est*, etc. Sufficiat tibi audivisse mea pericula: non etiam vidisse. Non enim esset pro tuo in me amore te exitum hujus civilis belli spectare posse : neque enim eum amamus, cujus discrimen adspicere non dubitamus.

749. *Nam me*. Me pudet, in publica calamitate, quum cæteri omnes sibi conjugibus et liberis interdixerint, non pari mœroris et damni conditione uti.

751 *Quatient quum classica*. Quum omnes nationes mundi intentæ erunt in eventum instantis pugnæ. Hort.

752. *Vereor civilibus armis*. Puderet me inter omnes domestica felicitate carentes lætum ob uxoris præsentiam conspici. — Vel ex opinione Veterum qui ultro jacturam aliquam faciebant ut plenior inde rediret fortuna. Ed.

754. *Tutior interea populis*. Renunc, quum me tædet vitæ, sed et

Rege late, positamque procul fortuna mariti
Non tota te mole premat. Si numina nostras
Impulerint acies, maneat pars optima Magni;
Sitque mihi, si fata premant, victorque cruentus,
Quo fugisse velim. » Vix tantum infirma dolorem
Cepit, et attonito cesserunt pectore sensus.
Tandem ut vox mœstas potuit proferre querelas :
« Nil mihi de fatis thalami, Superisque relictum est
Magne, queri : nostros non rumpit funus amores,
Nec diri fax summa rogi ; sed sorte frequenti
Plebeiaque nimis careo dimissa marito.
Hostis ad adventum rumpamus fœdera tædæ;

gibus iis et populis ipsis, qui vel mea vel Cæsaris castra et fortunam sequi coguntur, securius latebis et tutius.

756. *Non tota* Minus enim premunt mala non conspecta, et quæ procul a nobis evenerunt. Sic glossa mei MS. Sed rectius Schol. Mea fortuna non te penitus opprimat. Ed. — *Si numina.* Sin fusa acie fugiendum, te meliori mei parte incolumi, erit quo fugere velim.

757. *Impulerint.* Everterint et dejecerint. Schol. — *Pars optima.* Non modo altera, dimidia pars mei, sed melior et major. Vulgaris hæc blandientium formula : Hor. Od. II, 17, 5; Ovid. Pont. I, 8, 2. Rutil. Itiner. I, 493 : « Nostræ pars maxima mentis, » Poet. min. t. IV, p. 144. Ed.

758. *Si fata premant.* Si adversa fortuna vexabor, et Cæsar victor me persequetur. Sulp.

759. *Vix tantum*, etc. Cornelia vix sustinere valens dolorem ex his mariti verbis conceptum, primum stupuit, mox ubi ad se rediit, sic effata est.

762. *Nil mihi de fatis*, etc. Cornelia indigne fert, quod non morte, sed in vita a viro separetur. Non est, inquit, cur incusem Deos aut fata quod conjugium nostrum morte dissolverint : sed te, qui me quasi per divortium dimittis.

764. *Nec diri fax summa.* Non ultima justa funebria, non sepulcrum. Vere enim amantes mors sola separat. — *Sorte frequenti.* Quidam explicant : Eo quod cæteri omnes per belli hujus civilis tempus sibi uxoribus interdixerint; vide not. 749. Sed *sorte frequenti* est, quod vulgo fit et quod ignobilibus contingit. In plebe magis usitatum erat divortium. Ideo addit *Plebeiaque nimis.* Ed. — Speciem autem divortii habet ista separatio. Ideo dicit *dimissa*, quæ vox divortio convenit. Grot.

766. *Hostis ad adventum*, etc. Quasi vero, quia jam totus adest in prælia Cæsar, nos oporteat illi gratificari hac separatione.

Placemus socerum. Sic est tibi cognita, Magne,
Nostra fides? credisne aliquid mihi tutius esse,
Quam tibi? nonne olim casu pendemus ab uno?
Fulminibus me, sæve, jubes, tantæque ruinæ
Absentem præstare caput? secura videtur
Sors tibi, quum facias etiam nunc vota, perisse!
Ut nolim servire malis, sed morte parata,
Te sequar ad manes; feriat dum mœsta remotas

767. *Placemus socerum.* Cæsarem iratum, quod simus conjuncti. SULP.

768. *Credisne aliquid*, etc. Respondet ad illa, 743: « tibi tuta latebra Lesbos erit; » et 754: « Tutior interea, etc. » Nil mihi esse potest tutum, quod tibi sit sollicitum aut metuendum.

769. *Nonne olim*, etc. Nonne, ex quo conjugium inivimus, communem etiam salutis atque periculi inìmus sortem?

770. *Fulminibus me, sæve, jubes*, etc. Me semotam cogis esse magis sollicitam et miseram, quam si bello aut etiam ruinæ, quam timere videris, interessem; sic, quamquam absens, belli vulneribus tamen obnoxia.

771. *Secura videtur*, etc. Namque, quum mihi maxime in votis sit una tecum mori, potiusquam misera et malis obnoxia superesse tibi: tu me, sine te vivere, sine te mori cogis; quæ quum malim te ad manes comitari quam sequi, cogar tamen tamdiu tibi superesse quoad tristis (quod omen avertant Dii) tuæ cædis ad me in Lesbon fama pervenerit.

772. *Quum facias etiam nunc vota, perisse?* Sic statuunt ordinem: « Videtur tibi sors secura perisse, quum tu facias, etc. » Nam hodie adhuc incerta est sors tua et vota concipere putes. Ego autem certe peribo, ubi a te discedere coacta fuero. Hoccine securitatem vocas? Grotius explicat: Videtur tibi sors (mea) secura quum tu facias vota, id est, optes perisse. Quod vix admittam. Dixit quidem Pompeius, *se tædere vitæ*, sed non hoc votum est. Schol. explicat: quum facias, id est, causa sis vota (mea) perisse, qui nolis me exaudire. Aliam conjecturam subjicio. Aliquane est securitas illius, qui jam periit, quum etiam nunc vota faciat. Poterit enim jam tunc cecidisse Pompeius, quod Corneliæ est *periisse*, quum remota ab illo etiamnum vota pro illo concipiat. Qui sensus quoque in loco dubio defendi potest. Eligere autem ex his penes lectorem sit. ED.

773. *Ut nolim servire.* Fac me satis fortem futuram, ut tibi superesse nolim, nec mala mea vivendo perferre, tamen tamdiu saltem superero, donec nuntius cladis ad me advenerit. Jam vero et hoc ipsum metuo, ut satis fortis sim ad mortem capessendam, postquam a te seposita didicero te carere.

774. *Feriat dum mœsta*, etc. Et tamen, inquit, non ero nimis præceps in accersenda mihi morte; sed

Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.
Adde, quod adsuescis fatis, tantumque dolorem,
Crudelis, me ferre doces : ignosce fatenti;
Posse pati, timeo : quod si sunt vota, Deisque
Audior, eventus rerum sciet ultima conjux.
Sollicitam rupes jam te victore tenebunt;
Et puppim, quæ fata feret tam læta, timebo :
Nec solvent audita metus mihi prospera belli,
Quum vacuis projecta locis a Cæsare possim
Vel fugiente capi. Notescent litora clari
Nominis exsilio, positaque ibi conjuge Magni,
Quis Mitylenæas poterit nescire latebras?
Hoc precor extremum, si nil tibi victa relinquent

tam diu superstes tibi vivam, dum fama de te victo in Lesbum ad me perveniat, id quod diversum a meis votis est. Hort.

776. *Adsuescis fatis*, etc. Adsuefacis me absentiæ tuæ dolori ferendo, ideoque doces quomodo tolerem vitam, te exstincto. *Adsuescis* active hic sumi pro *adsuefacis* docet Priscian. col. 798, teste Oudeod. qui citat Passerat. et Broukh. ad Propert. II, 2, 12. Cf. Florus, IV, 12, § 43. Ed.

777. *Fatenti*. Nempe infirmitatem meam. Hoc reformido, ne possim vivere, vel pati me tibi superesse. Cf. sup. vs. 314. Ed.

778. *Quod si sunt vota*. Quod si vota mea exitum habuerint, et me Dii exaudierint, ut vincas; lætus victoriæ tuæ nuncius ad me ultimus perveniet, sollicitam ultra tempus et mœstam, dum me primam audire decuit.

780. *Rupes jam te*, etc. Lesbos insula aspera rupibus.

781. *Fata feret tam læta*. Victoriæ nuncium timebo, ne mihi infausta afferat.

782. *Nec solvent audita*, etc. Neque tamen lætus ille nuncius me liberabit metu et periculo, ut quæ in locum præsidiis nullis munitum semota, ab hoste, vel fugiente possim intercipi. — *Prospera belli*. Felices belli casus et eventus: sic VII, 107 : « prospera rerum, » et 684 : « prospera bellorum. » Ed.

784. *Notescent litora*, etc. Non poterit latere hostem recessus mei atque latebræ locus.

786. *Mitylenæas*. Mitylene Lesbi urbs est. — *Latebras*. Hæc, opinor, non tantum de Cornelia dicuntur, sed ad sequentia quoque alludunt, hoc sensu : non latebræ erunt, non asylum tutum, nec mihi, nec tibi. Ed.

787. *Si nil tibi victa*, etc. Si tibi ultima salus quærenda sit fuga per maare, quemlibet potius locum pete

Tutius arma fuga, quum te commiseris undis,
Quolibet infaustam potius deflecte carinam :
Litoribus quærere meis. » Sic fata, relictis
Exsiluit stratis amens, tormentaque nulla
Vult differre mora : non mœsti pectora Magni
Sustinet amplexu dulci, non colla tenere ;
Extremusque perit tam longi fructus amoris :
Præcipitantque suos luctus : neuterque recedens
Sustinuit dixisse, Vale; vitamque per omnem
Nulla fuit tam mœsta dies : nam cætera damna
Durata jam mente malis, firmaque tulerunt.

Labitur infelix, manibusque excepta suorum
Fertur ad æquoreas, ac se prosternit, arenas,
Litoraque ipsa tenet, tandemque illata carinæ est.
Non sic infelix patriam, portusque reliquit
Hesperios, sævi premerent quum Cæsaris arma.
Fida comes Magni vadit duce sola relicto,
Pompeiumque fugit. Quæ nox tibi proxima venit,

quam Lesbon; namque hue te insequeutur hostes, notam mei secessus sedem.

789. *Infaustam.* Nempe tui infelicis et victi.

790. *Sic fata, relictis*, etc. Ad eum modum loquuta Cornelia exsiluit e lecto, amenti similis; neque osculo, neque amplexu dignata maritum, adeo graviter doluit, ut nulla mora interposita se inde abripuerit. HORT.

791. *Tormentaque.* Cruciatus doloris e discessu concepti.

794. *Extremusque.* Ultimus complexus, tam longi amoris pignus, neutri contigit. ED.

795. *Præcipitantque suos luctus.* Præcipitantes accelerant, et recedendo dolorem abrumpunt.

797. *Nam cætera damna*, etc. Nam ad omnia quæ sequuta sunt damna, incommoda, miserias et calamitates, ex hoc momento obcalluerunt. Quamvis enim graviora essent, leviora consuetudo patiendi fecit.

799. *Labitur infelix*, etc. Exanimata cadit : « auras ægra fugit; suscipiunt famulæ. »

800. *Se prosternit.* Humi sese sternit et litus amplectitur. — *Arenas.* In quibus relinquendus erat vir.

801. *Tenet tandemque*, etc. Quoad licet, occupat, ægre avulsa.

802. *Non sic infelix patriam.* Non

Insomnis! viduo tum primum frigida lecto,
Atque insuetaquies uni, nudumque marito
Non hærente latus : somno quam sæpe gravata
Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,
Atque oblita fugæ quæsivit nocte maritum!
Nam, quamvis flamma tacitas urente medullas,
Non juvat in toto corpus jactare cubili :
Servatur pars illa tori. Caruisse timebat
Pompeio : sed non Superi tam læta parabant.
Instabat, miseræ Magnum quæ redderet, hora.

tanto rum dolore fugerat patriam urgente hoste, tuta scilicet viro comite: sed ounc ab illo diseedeos videtur sibi deserta, sola et meliori parte orbata.

806. *Viduo tum primum*. Cobans sola quod, illi ooo dum post coojogium eveoerat, et sic v. seq. « Atque insueta qoies uni. »

809. *Deceptis*. Dum Pompeiom se credit amplceti, qui tamen abest. — *Vacuum manibus*. Sie Alcyooe, Ovid. Met. XI, 674 : « Motatque lacertos Per somoum, corpusque petens amplectitor anras. »

811. *Quamvis flamma*. Licet ardore amoris sui anxia sit et ioquieta, oon tamen doloris impatiens vacuo corpus leeto versat, sed pudibunda, quasi præseoti, viro suam lecti adservat partem.

813. *Caruisse*. I. e. ita agere, quasi caruisset. Quod tamen melius fuisset qoam qood eveoit.

814. *Sed non Superi tam læta parabant*. Sed tristius quidpiam parabaot fata; recepit quippe illum eitius quam exspeetabat, victum scil. et profugum et brevi coram interficieodum.

IN LIBRUM QUINTUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

26. *Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur.* In cod. Florent. vv. *ferat... sequetur* in charta erasa manu alia leguntur, sed neque habent, cur suspecta sint, neque salvo sensu abesse possunt. Pro *nos* legitur in Voss. 1 *vos*, sed supra vs. 22 est *nos*, ubi idem Voss. 1 male *vos* habet; neque verisimile est, Lentulum hic a senatu se distinguere, ubi nulla est ratio, ut infra vs. 45. — Pro *summa* denique in Hamb. tert. *fama* legitur, sed *summa rerum* nostro peculiare est, cf. VI, 304.

44. *Exacto.* Al. *Exhausto*, consumpto per labores, et molestias; nam Lucanus videtur hoc loco consularem annum tamquam onus, et laborem considerare, respectu cos. Lentuli. Sic *exhaurire pericula*, et *labores*, apud Ovidium, aliosque occurrit. Dubito tamen, an ita simpliciter *exhaustus annus* pro finito, peracto, ad finem perductu, poni possit : quare monendum est, in duobus Pulm. tribus Bersm. et aliis *exacto* legi. Passim autem tempus elapsum vocari *exactum*, vidimus ad II, 577 : « Exactum quam Cynthia conderet orbem. » Ubi itidem in nonnullis invenitur *exhaustum*. Oud.

51. *Rhodos pelagi potens.* Rhodii enim plurimum navali robore valuerunt, ideoque appellati sunt Romanorum navales socii. — *Phœbeia* quia ibi maxime Sol colebatur. — *Exornata.* His enim missa sunt munera a Romanis. Schol. — *Phœbeiam* vocat *Rhodum* poeta, non solum quia templum, et colossus Solis Rhodi fuerit, ut hic interpretes sentiunt, sed etiam quod tota insula hæc Solis quasi propria, ac forte quadam eidem deo ab initio tradita fuerit. Pindarus Ode 7, Olympicorum. Fuit autem *Rhodos* hæc, a qua et insulæ nomen factum, ut quidem Herophilus tradit, Neptuni, et Veneris filia. Id quod et ipse Pindarus approbare videtur. Epimenides autem contra Oceani filiam facit. Asclepiades, et alii plerique Neptuni, et Amphitrites. Micyll. — Ex hoc loco patere putat Oudend. per *Phœbea navalia*, quorum meminit auctor III, 182, *Rhodon* intelligi oportere. Ed. — De Taygeto conf. notas ad Stat. VI, 825, nost. ed. t. II, 664. Ed.

53. *Libera Phocis.* Secundum Atthidem Megaris est, deinde Locris, mox Phocis, inde Bœotis contra Eubœam insulam. Pausanias scribit, Phocenses quosdam Bœotiæ incolas, a Phoco Ornitionis filio Corinthio dictos, una ætate prius, quam Æacides Phocus eo venisset, a quo universos Pho-

censes appellatos. De Phocensium fuga in Galliam, et Massiliæ conditione alibi docuimus, ad III, 340. Massiliæ certe origo Phocæensibus Asiæ adscribenda, non Phocæensibus Europæ. HORT.

54. *Tum Sadalem.* Cæsar, non *Sadalem*, sed *Sasalem*, Coti Thracum regis filium fuisse, scribit, qui cum equitatu ad Pompeium missus erat. Verba Cæsaris ita habent, lib. III, c. 4: « Sagittarios ex Creta, Lacedæmone, Ponto, atque Syria, reliquisque civitatibus tria millia numero habebat, funditorum cohortes sex: mercenarias duas: equites septem millia, ex quibus 600 Gallos Dejotarus adduxerat: quingentos Ariobarzanes ex Cappadocia: ad eumdem numerum Cotus ex Thracia dederat, et Sasalem filium miserat. Ex Macedonia 200 erant, quibus Rascipolis præerat, excellenti virtute. Quingentos ex Gabinianis Alexandria, Gallos Germanosque, quos ibi A. Gabinius præsidii causa apud regem Ptolemæum reliquerat. » Cæsar Cotum, filium suum Sasalem cum equitatu misisse scribit, ipsum autem non venisse Cotum: licet poeta videatur ita narrare, quasi uterque adfuerit. Sed potest commoda interpretatio adhiberi, ut, quum filium Sasalem laudarit, absentem patrem laudibus suis non defraudarit, a quo filius missus cum equitibus fuerat, ut senatui suam fidem probaret. Non autem mirum hic *Sadalem* legi, pro *Sasalem*, quum barbara vox sit: in vocibus id genus, sæpe litera variare solet, ut *Arioberzanes*, *Ariobarzanes*, *Rascipolis*, *Rasipolis*, *Racipalis*, et similibus id genus. HORT. — In Cæsaris loco jam dudum viri docti monuerunt, *Sadalem* esse scribendum, quem perperam Sulpitius, et Ascensius Ponti regem faciunt; Scholiastes *regem Licorum*. OUD.

55. ... *Et gelidæ dominum Rhascupolin oræ.* Scribe, *Rhescuporin*, ex vetere nummo Seguini ΡΗΣΚΟΥΠΟΡΙΣ: et quo meliores codices sunt, eo propius accedunt. BENTL. — Laudat hunc locum Bentl. ad Hor. Carm. I, 26, 3, ubi scribit: *Rhascuporin*. WEB. — Male multi *Rhasipolin*. Sed nostram lectionem accurate defendit Perizonius, in Epist. ad Heinsium, eadem scil. forma qua dicti sunt Agesipolis, Abrupolis, Nicopolis, etc. Contra vero nomina in *ris* desinentia esse feminini generis. Ipsam quoque nummi Seguiniani fidem suspectam facit, in eoque tantum ΡΗΣΚΟΥΠ: exhiberi notat. Quod autem Perizonius ipsam nummi ferrei et inconcinni inscriptionem, malæ in hoc nomine orthographiæ suspectam habet, minime fieri debuit. Nam plures supersunt nummi, in quibus totum hoc nomen exprimitur, ΒΑCΙΛΕΩC ΡΑCΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ: quales duo ænei apud Patin. ad Sueton. Tiber. c. 37. Ipse vidi argenteum; in cujus una parte caput regis laureatum est cum stella, in altera caput regis cum Epigraphe ΒΑCΙΛΕΩC ΡΗCΚΟΠΟΡΙΔΟC. Ex iis vero hoc discimus, quod ipsi sculptores variaverint in α et η; in ου et ο. Quare vel contra hos numnos, quos forsan ipsi Romani scriptores oculis numquam usurpaverant, Perizonio fere accedo. Neque etiam video, cur non potuissent barbarum, et Thracicum nomen *Rhasciporis* deflectere ad Græcam terminationem, vel suam pronunciationem leniorem; præsertim quum sæpius Græcum Ρ mutarint in Λ, cognatissi-

mam literam. Præterea et hic Lucani locus multum facit pro *Rhascupolis.* Durissimum enim foret, si scripsisset *Rhascuporin oræ.* Simili tamen modo II, 358 : « Matrona corona. » Forsan etiam a veteribus utroque modo pronunciatum est, et alius per L, alius per R extulit. Auctores, qui hujus nominis meminerunt, collegerunt viri docti ad Cæsarem B. C. III, 4. Oud.

61. *Permissum : sævum.* Meliores pluresque codices *Permissum est.*

71. ... *Quantum semotus Eoo Cardine.* Oudend. rescripsit *submotus* jubentibus Pulm. Bersm. et aliis MSS. cum Edd. Rom. Parm. et Omniboni. *Submotus*, sive *summotus*, i. e. remotus VIII, 445 : « at inde Gurgite septeno rapidus mare submovet amnis. » Plura exempla dat Passerat. ad Propert. lib. IV, 9, 56 : « Quæ se submota viudicat ara casa. »

73. *Numine mixto.* Alii *nomine.* Esset enim quasi ex duobus Apollinis, et Bacchi nominibus unum fieret nomen in sacris illis. *Mixto numine* est junctu, quia et in uno loco, et simul festa illis peragebantur; de quibus præter commentatores, qui hic videndi, late agit Pierius ad Virgil. Georg. I, 5. Servius ad Æn. VI, 78, et in primis Cuperus in Harpocrate, p. 91, et seqq. Oud.

76. *Eminuit.* Bersm. duo et alii *emicuit.* Non audio. Lib. II, 666 : « nullæ tamen æquore rupes Emineant. »

77. *Tu quoque.* *Tunc quoque* conjicit Mycillus quod præferret Oudend. vel *tum*, si vel unus addiceret codex. Immo, inquit, flagitare videtur sensus et mens Lucani. Tota menda consistit in neglectione lineulæ super literam *u* ductæ.

79. ... *Premeret quum viscera partus.* Male alii *premerent.* Sic plerique MSS. cum editionibus primis, aliorumque habent, ut edidi, quod mutari a recentioribus non debuerat. Oud. — Recte *premeret* quod in omnibus libris legitur. Etenim non memini me legere, *viscera partus,* ut sint viscera parturientia nisi quis partus i. e. fœtus maturos, in plurali numero accipiat, quod de Apolline et Diana intelligi possit, neque tamen admodum placet. Ed.

82. *Vastos hiatus.* Magnam cavernam. « Nam est illic media saxi rupes in formam theatri, in media fere montis altitudine, planities exigua, atque in ea profundum terræ foramen, quod in Oraculo patet : ex quo frigidus spiritus, quodam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit, impletosque deo responsa consulentibus dare cogit. » Hæc Justinus, lib. XXIV. Strabo, lib. IX, inquit : « Auctores certi memorant, divinum ipsum domicilium profundam cavam esse speluncam, non tamen lato ore patentem. Unde auram quidem referri sacro efflante numine. Excelsum autem ostio imminere tripodem, quem quum Pythia vates inscenderit, hausto divinationis spiritu, dei responsa refert, et metro, et oratione soluta. » Sulpit. — Cæterum non indignum fuerit, de hoc loco illa adire,

quæ de origine Oraculi hujus, et de Tripodis appellatione, atque usu Diodorus tradit libro XVI. Mic.

84. *Exhalare solum.* In Vossiano scribitur *sonum*, ut dicat, ventos loquaces exhalare sonum, seu vocem humanæ similem : sed rectum etiam est vulgatum. Oud.

92. ...*Seu quod jubet ipse canendo.* Omnes nostri *ille*, et Lactantius ad Statium Theb. I, 213. *Ille* emphatice de potente Deo. Silius, III, 181 : « Monet hoc pater ille Deorum. » Sic Homer. Iliad. E, 604 : Κεῖνος Ἄρης. Oud.

106-111. *Justisque benignus... Aera tabificum.* Ab interpolatoribus hæc addita esse contendit Gujetus, et inde profecta, ut videtur, quod illi de Delphico Oraculo dicta amplificassent et auxissent. Sed vv. *justisque benignus* eum prioribus *haud* ...*concipiunt* ita cohærent, ut illa probent, et exemplo sint; quod Schol. Lips. recte vidit, nexum his indicans : « Ideo non permittit, ut concipiantur ibi mala vota, quia canit immutabilia, et ideo justis tantum est benignus, et hoc ostendit. » Exempla igitur affert Lucanus ex more suo, neque in singulis verbis, quid offendere possit, video, nisi forte transitus ex neutro *numen*... in masculinum *benignus* ...*ille*, scil. Deus. Sed talia in poetis et scriptoribus sæpius leguntur, orta ex sensus, non verborum, habita ratione; cf. Sanct. Minerv. IV, c. 10, tom. II, p. 363 ed. Bauer. Simile, quod habes III, 429, *manus* ...*moti*. *Totas* denique, quod nihil facit ad rem, sine dubio corrigi debet in *tutas mutantibus urbes*, quod plures habent. *Tutas* et *totas* sæpissime in MSS. confunduntur, cf. infra VIII, 734; *tutas* h. l. *urbes patrias* notat, quod sententia requirit; *notas* autem, quod in aliis legitur, idem significat, sed h. l. non admodum placet. Web.

107. *Notas mutantibus urbes.* Sic unus Pulm. et alii, quum multi habeant *totas* quod firmat Oudend. VIII, 217 : « Et totum mutare diem. » Ed.

110. *Sterilis.* Mavult Oudendorpius eum uno Bersm. duobus Voss. et Wittiano *steriles*, sive sterilem reddentes. Sequentia verba, *monstrato fine*, Omnibonus, et Ascensius, ad posteriorem, quam refert Lucanus, Phœbi opem, cæteri ad priorem hæc verba referunt; quam distinctionem retinui. Verum perinde est. Utrique enim convenit monstratus finis per expiandi modum; ut patet ex exemplis, per commentatores adlatis.

113. *Reges.* Hic Nero tangitur, qui, quum consuluisset oraculum, respondit hoc numen : « Ego parricidis non respondeo. » Nero enim matrem suam occiderat. Hoc confusus dicto oraculum claudi jussit, et consuli vetuit, ne quis fatum inquireret, et ei insidiaretur. Schol. — Causam silentii Delphici adfert Cicero, lib. II, de Divin. c. 57 : « Quando autem ista vis evanuit? an postquam homines minus creduli esse cœperunt? Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope CCC fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo facere, etc. » Minucius Felix in Octav.

c. 26 : « De Pyrrho Ennius Apollinis Pythii responsa confinxit; quum jam Apollo versus facere desisset; cujus tunc cautum illud, et ambiguum defecit oraculum, quum et politiores homines, et minus creduli esse cœperunt. » Quo vero tempore cessarit oraculum, plane non liquet, licet multa, super ea re perscrutati sint viri docti antiqui, et recentiores. Videtur autem paullatim in contemptum devenisse hoc, et cætera oracula; unde desueverunt homines illa consulere. Certe Romanos jam diu ante tempora belli civilis illud non consuluisse, satis patet, etiam ad vs. 70. Plures infra cessandi causas recenset Noster. OUD.

124 ...*Pavidamque Deis immittere vatem.* Quid est, *immittere Deis?* cur *pavidam*, quæ tum sine cura ludebat? Lego : « ...Placitamque Deis *immittere vatem.* » Val. Flaccus II, 5 : « ... placitosque Deis ne deserat actus. » BENTL. — Ridicule commentatores vulgo hæc exponunt per hypallagen. Ascensius rectius explicat *Deis*, inter Deos aut in manus Deorum. *Dii* pro templis, et aris sæpius ponuntur. Tibull. lib. II, 5, 22 : « quum mœstus ab alto Ilion ardentes respiceretque Deos. » Vel puto, *immittere vatem Deis* idem esse, ac deducere eam ad Deorum, sive Apollinis contactum, et consortium. *Irrumpere, intrare Deos*, pro Deorum mentem inquirere, similiter Statius, et Silius I, 124. *Inferre se Deis* pro in consortium venire, Seneca Herc. Œt. 95. OUD.

132. *Seu spiritus.* Quatuor causas posuit, quare Apollo sileat; quod aut casu factum est, ut terris infusum numen abscederet; aut templi incendio clausa caverna sit, qua loquebatur oraculum : nam hoc Brennus incendit : vel quod possint sufficere Romanis ad scientiam futurorum, quæ Sibylla prædixit; vel quod nunc tam scelerati sunt homines, ut nil a Diis mereantur audire, vel audeant quidquam quærere. SCHOL.

134. *Seu barbarica.* Possumus intelligere et de Xerxe, qui « ante navalis prælii congressionem miserat quatuor millia armatorum Delphos, et ad templum Apollinis diripiendum, quasi non cum Græcis tantum, sed cum Diis immortalibus bellum gereret: quæ manus tota imbribus, et fulminibus deleta est, » ut ait Justinus. De Brenno, et Gallis intelligendum non est, quoniam ante deleti sunt, quam templo nocerent, ut Valerius memorat. SULP.— Brenni historiam prolixe prosequitur Pausanias in Phocicis. Sed videndum tamen, an hoc incendium, de quo hic poeta meminit, etiam ad posteriora tempora referendum sit, utpote Mithridatica : quando nuper adeo quum hoc, tum alia oracula conticescere cœperunt, sublata Dæmonum licentia, ac potestate, CHRISTI adventu. Disputat autem et Plutarchus de causis, ex quibus oracula tacere cœperint, sed suo, ac philosophico more, in libro περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων. HORT.

135. *In immensas cineres abiere cavernas.* Fuit autem, quum pro *cavernas* mallem *cavernæ*, ut cavernæ abierint in cineres, seu combustæ sint :

passim *ire, abire in flammam*, etc. pro *uri* poni, norunt docti : nunc nihil muto; *cineres abiere in cavernas immensas*, est, oppleverunt cavernas penitus, et texerunt, ita, ut vetus spiritus inde exhalare nequeat. OUD.

137. *Sat est carmina*, etc. I. e. sufficit esse commissa. SCHOL. — Quia sat fati futuri est, supple, vobis, carmina arcana Sibyllæ longævæ, quæ usque ad tempora Tarquinii Superbi, aut saltem Prisci ab Æneæ temporibus vixit, commissa esse vobis. ASCENS. — Alii legunt *carmine longævæ :* ut sit : *arcana* i. secreta futuri commissa vobis *carmine* i. per carmen Sibyllæ longævæ. VERSELL.—Seu Dii noluerunt Romanis dare responsa, quibus sufficerent libri Sibyllini. BERSM.—Sensum Lucani perceperunt quidem omnes interpretes; sed de vera verborum lectione adhuc ambigitur. Jer. Marklandus in Epist. Crit. p. 59, ait ista *sat est* tam a sensu, quam a latinitate abesse; quare legi vult « fatique patent arcana futuri Carmine. » Verum, præterquam quod MSS. omnes cum Scholiaste retinent *sat est;* hac lectione non redditur ratio, cur Cirrha sileat: quam tamen hic dare debuit ex instituto suo Lucanus. Præterea falsum est *arcana* libris sibyllinis inclusa *patere* Romanis. Patebant nullis nisi sacerdotibus, ut cætera oracula : Est et alius vir doctissimus, qui conjiciebat « fati quum sint arcana f. Carmine, etc. » Non puto : a latinitate vero abesse, quod dicit Marklandus, *sat est*, *arcana* sc. esse *commissa*, numquam concedam : Eodem fere modo Virgilius Ecl. VII, 33: « Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quotannis Exspectare, sat est. » Supra L. II, 109 : « Sed satis est jam posse mori. » Retineo itaque illud *sat est*. Verum pro *carmine*, omnes Pulm. et mei MSS. exhibent *carmina*. Ut hæc sit constructio. Quia sat est, seu sufficit, carmina arcana fati futuri vobis commissa *esse* a longæva Sibylla : vel, fati futuri arcana carmina longævæ Sibyllæ : ut carmina habeat duos genitivos: carmina scilicet Sibyllæ, quæ continent fatum futurum. Quæ constructio non est infrequens. Vel denique posset exponi per appositionem *carmina Sibyllæ*, quæ sunt *arcana fati futuri*. Eodem modo, ut vs. 198: tripodas vocat arcana mundi, quia in illis latent, et continentur. Discernat studiosus lector, et eligat constructionem, quæ placet : nam « sat fati futuri est, carmina Sibyllæ commissa, etc. » non recte procedit. *Carmine* si haberent codices, minime damnarem. OUDEND.

147. ... *Prima templorum*, etc. Altero abhinc versu jam habuimus *in templa :* quare hic velim : « Prima *tectorum* in parte resistit. » BENTL.

149. *Nullo confusæ murmure vocis Instinctam*. Si hæc sana sunt, vox *nullo* sic exponenda esset, quasi non testata esset ullo murmure, dixissetque Lucanus, Phemonoen simulasse quidem, se esse instinctam Deo, sed id non esse testatam murmure confusæ vocis. Similis est locus, lib I, 331 : « nullus semel ore receptus Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces. » I. e. sanguis semel receptus non patitur. Verum plus videtur mihi dicere voluisse

Lucanus, et Phemonoen id non tantum non testatam esse, sed, licet simulare vellet Deum, et ficta verba referret, nullo murmure confusæ vocis, solito enthusiasmi signo testatam esse, se non esse instinctam sacro furore : adeo ut deesset altera negatio. *Instructam* est in Pulm. quæ voces sic sæpius commutantur. Conjecit Oudend. *intactam*, cui lectioni favet etiam Bersm. cod. *invictam*, quod ipsum forsan alii placeret; quia *domari*, et *vinci* a Deo alibi etiam vaticinantes dicuntur; quo facit sane sequens descriptio, et vs. 193 : « domita Virgine. » Virg. Æn. VI, 80 : « fera corda domans. » Sed hoc participium minus huic loco, et sensui quadrat, quare *intactam* est præferendum. *Tangi* frequenter dicuntur, qui divino afflantur furore. Ovid. Amor. III, 1, 64 : « Jam nunc contacto magnus in ore sonor. » OUD.

155. *Excussæ laurus, immotaque culmina templi.* Codex Academiæ, *limina*, quod vel unus Virgilii locus firmat, Æn. III, 91 : « Vix ea fatus eram, tremere omnia visa repente, Liminaque laurusque Dei. » Sine codice tamen non mutaverim : nam et *culmina* satis recte. BENTL. — Vossian. prim. *limina*; ut rescripsi, verissime. Dixerat paullo ante : « prima templorum in parte resistit. » et v. 128 : « Limine terrifico; » præterea in hac re *limina templorum* magnum habent nomen. Consule Cerdam ad Virg. Æn. III, 90. Quem locum ante oculos videtur habuisse Lucanus. Ibid, 370 : « vittasque resolvit Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe, etc. » et VI, 45 : « Ventum erat ad limen, etc. » OUDEND.

162. *Adducta.* Msc. *obducta*, Oxon. *abducta* quod tamen prætulit Grotius. Voss. sec. *immersa*, quæ glossa est τῶν *abducta*. Huc pertinet, quod Valerius Maximus dicat, Appium coegisse virginem « in intimam sacri specus partem descendere. » Verum ex tota Lucani oratione liquido patet, eum hoc non voluisse, sed Phemonoen more prisco supra cavernam illam, unde spiritus exhalabat, et tripoda illi impositum consedisse, deinde concepto numine per antrum totum, sive adyta templi, in quibus est illa caverna, bacchatam esse, atque adeo illam non *abductam*, sed *adductam cavernæ* esse. Sic certe hunc locum intellexit etiam Servius ad Æn. III, 92, dicens : « Nam caverna quædam in templo Apollinis fuit, ad quam Phœbas rapta vaticinabatur, ut Lucanus ostendit. » Restitui itaque *adducta*. OUDEND. — Mihi quidem Servius, quum dicit *rapta*, non magis *adducta* quam *abducta* tueri videtur. Immo Phœbadem loco movit, *abduxit*, rapuit Appius, ita ut coacta, et conterrita confugeret ad tripodas. ED.

163. *Invito.* Sic optimæ notæ cod. Voss. Alii autem multi *insueto*. Quod male exponunt interpretes : *insuetum*, quia numen accipere desueverat. Tunc enim sibi obloqueretur Lucanus : qui debuit dicere, numquam illam accepisse numen : quoniam, quæ semel numine corripitur, moritur, ut ait vs. 117; et jam per tot secula oraculum tacuerat, vs. seq. Hæ enim vates non vivebant annos Sibyllæ. *Insueto* ergo est, numquam solito pectore sed prima vice accipit. Sic VIII, 537 : « lætatur honore Rex puer insueto. »

164. *Quod non exhaustæ.* Hæc verba usque ad v. 189 : *tam magna la-*

tentem, Gujeto spuria et addita videntur ab interpolatore, qui virginem bacchantem, numine in pectus concepto his descriptam et verba Lucani amplificata volebat. Sed locus ipse talis est qui nostro dignissimus sit in ejusmodi rebus exponendis et depingendis sibi maxime indulgente et sæpissime modum excedente, uti hoc loco factum esse negari non potest. Deinde verba v. 203 : « Cur aperire times » ad priora v. 177-189 respicere videntur, ita ut quum hic omnem ætatem vati ante oculos positam fuisse dixisset, recte ex more suo in illa exeat · « Cur aperire times? » Denique si versum 208 et seqq. in quibus quomodo furor et rabies vatis desierit multis verbis declaratur, cum his comparamus, non est verisimile, Lucanum tam paucis verbis ex sententia Gujeti furorem in pectora vatis intrantem indicasse, ut nihil dicam de verbis, quæ omnia ex Lucani usu dicta sunt. WEB.

174. *Nec verbere solo*, *Uteris et stimulis*. Vide, an non melius scriberetur *solum*, ut est in quibusdam MSS. Geminus plane locus foret illi IV, 775: « non sanguine solum, Telorum nimbo peritura ae pondere ferri. » Quoniam vero cæteri MSS. et edd. omnes habent *flammasque*, videndum, an non aliter scripserit Lucanus. Forsan vera erit lectio: « nec verbere solo Uteris : at stimulos, flammasque in viscera. » Plus enim urgent *stimuli*, quam *verbera*. Et bene junxisset *stimulos*, et *flammas*, metaphora ducta ab equis, qui stimulis, et facibus ad cursum incitantur. Senec. lib. II de Ira c. 14: « Sicut tarde consurgentes ad cursum equos, stimulis facibusque subditis, excitamus. » « Mergere stimulos in viscera » dictum, ut « mergere ferrum in robora, » et similia apud Nostrum, et alios. Vide III, 426. Fortasse etiam non voluit opponere Lucanus *verbera*, et *stimulos*, etc. sed jungere, sic : Non tantum incitatur a te Phœbas verbere, stimulis, ac flammis, verum contra etiam reprimitur, et accipit frenus, ne tantum, quantum sciret, efferret. OUDEND.

180 *Vocemque petentia*. Pro *vocemque* acute conjicit amicus, legi posse *faucemque*, quam petebant fata, ut in lucem mitterentur, vs. 197 : « faucesque obstruxit Apollo. » OUDEND.

183. *Euboico*. Eubœa est insula, cujus civitas est Chalcis; de qua venerunt illi, qui Cumas condiderunt, quam *Cumas* appellaverunt, vel a ποτο κυμάτων i.e. ab undis; quia est super litus maris; vel muliere prægnante ibi reperta, quæ Græce ἔγκυος dicitur, nam κύειν dicunt Græci *eniti*. SCH. — Duas Sibyllas confundit Noster.

191. *Clara*. Quomodo *clara murmura*, si *anhelo meatu* eduntur? an *dura* vel *rauca?* an *clausa*, seu *clusa?* Seneca Agam. 712 : « Stetere vittæ : mollis horrescit coma, Anhela corda murmure incluso fremunt : Incerta nutant lumina, etc. » Totus ille locus de Phœbade agens meretur inspici : plane enim geminus est nostro : an *elata* i. e. edita, producta? quæ conjectura etiam est Waddeli; vel *elisa?* ut apud Silium Ital. I, 531 : « nisuque elisus anhelo Auditur gemitus, fractumque in casside murmur. » O.

196. *Tenebis*. Obscure mortem denunciat; nam in Eubœa iste periit, i.

in Eubœæ *Cæla*, qui locus inter Rhamnuota Atticæ partem, et Caristom Chalcidico freto vicinam, ut Valerius Max. tradit I, c. ult. Hic ante Pharsalicum certamen Appius morbo consumptus, prædictum a Deo locum pro sepultura possedit, quum ratus, ab Apollioe se moneri, ne illi discrimini interesset, in hanc regionem secessisset. MYC.

197. *Obstruxit.* Meliores codices *obstrinxit.* BENTL.

200. *Celate.* Legit Hort. *celare.* Ut pendeat *a superis potens*, qui beneficio Deorum nullum tempus, quum voles, celare potes. Sed errat vir doctus, licet *celare* invenerim in Voss. recent. Offensus forsan fuit Hortensios participio *celatus* de homine sumpto. Ita vero Cicero Epist. ad Fam. II, 5: « Debes existimare te maximis de rebus a fratre esse celatum. » Et sic ille sæpe. Tiboll. lib. I, 9, 1: « Non ego celari possim. » *Arcana* mundi hic ipsi dicontur tripodes, in quibus inclusa sunt, et servantur. V. ad vs. 137. OUD. — *Suprema.* Msc. *sub prima*, perperam.

209. *Impulsæ.* Hic versus quo nullo modo carere possumus ut sensus verborum doceat, in margine Lips. legitur. Pro vulg. *impactæ* non onus *impulsæ*, quod volunt ortum ex glossa, vel ex sequenti verbo *expulsaque*, ut plerique libri pro *exclusaque* habent. Possit quidem v. *impactæ* suspectum esse, quia plerumque dativo vel præpositioni *in* et accusativo conjungitur, sed sæpe quoque ablativo rei, qua aliquid in aliquam rem impactum esse dicitur. — *Expulsa.* Sic recte habet, ut II, 242: « Omnibus expulsæ terris. » Supra v. 146: « Dubiamque in templa sacerdos Impulit. » Est enim Deus qui vatem expellit, ut I, 575: « Erynois Thebanam... Agaven Impulit. » *Excussa* autem uno codice legitor, ortum ex *exclusa* quod sæpe cum *expulsa* confunditur. WEB.

210. *Loquutæ.* Plerique *locuta est.* Sed Burm. verissime et eleganter seribendum hic putat *loquutæ* scilicet *superest*, ad Valer. Flacc. V, 237: « Tune tibi regnorum labes, luctusque supersunt. » Juvat hanc emendationem, quod in edd Rom. et Parm. *est* non reperiatur, uti nec in Amst. MS.

211. *Ille.* Sc. Apollo, ut supplet Scholiastes, et optime restituit Grotius, et omnes omnino codices confirmant. Alii *illa*, quod probat Bentl. *Torquere* enim oculos is solus dicitur cujus sunt oculi. Virg. Georg. III, 433 de serpente: « flammantia lumina torquens Sævit agris. » Æn. VII, 399, de regina Amata: « Sanguineam torquens aciem. » Ibid. 448, de furia: « tum flammea torquens Lumina. » Quid quod mox habemus: « nuoe vultu pavido, nunc torva minaci. » *Torva* enim ad *illa* refertur; non ad *facies* in versu sequente, illud enim absolute infertur. *Stat numquam facies;* ut et citat Servius.

217. *Post flamina.* Mscr. *per flamina*, non inepte. — Sed male omnino: postquam jam sæviit ventus, mare tamen adhucdum est tumidum, et mur-

mue edit raucum. Si *per flumina* legas, tota perit comparatio. Senec. de Tranquill. Animi c. 2 : « Sicut est quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, quum ex tempestate requievit. » Tragicus in Herc. Fur. 1088 : « nec adhuc omnes Expulit æstus : sed, ut ingenti Vexata Noto servat longos Unda tumultus, et jam vento Cessante tumet. » Adde Herc. Œt. vs. 710. Stat. Theb. I, 479 : « ventis ut decertata residunt Æquora, laxatisque diu tamen aura superstes Immoritur velis. »

221. *In viscera.* In cod. Oudend. *per viscera*, ut III, 748 : « per viscera missi Polluerat gladii. » 601 : « Excipit immissum suspensa per ilia ferrum. » Nihil tamen muto : iis enim locis *per* optime convenit, non vero hic. Oud.

224. *Cadit.* Talia fere tradit Plinius de Clarii Apollinis oraculo, hist. nat. II, 106, § 12 : « Lacuna est, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vita. » Ed.

226. *Jure sed incerto*, etc. Sensus hic est; quum adhuc esset incertum, quis in terris habiturus esset imperium totius orbis: hoc est « jure incerto mundi subsistere, » Appius Chalcida regno possidere cupiebat. Schol. — *Subsidere.* Suppositum iri tibi. Sulpit. — Rectius Omnibonus, ut videtur, qui *subsidere*, inquit, id est, *tibi subjicere.* Nam verbum *subsidere*, non solum absolute, pro *subsistere* accipi volunt. Sed etiam furtim, et per insidias *invadere.* Nam si absolute hoc loco accipias, *subsidere*, pro *subsistere*, et quasi delitescere, non *regnum*, sed *regno*, ablativo casu legendum erit. Micyll. — Servius ad V Æneidos : « Subsessores vocantur, qui occisuri aliquem delitescunt. » Et Æn. XI, 268 : « Subsedit adulter, *dolo possedit. Lucanus :* subsidere regnum Chalcidos Eubœæ. Unde et subsessores dicuntur, qui insidiis tauros interimunt, et hostium dolos subsessos vocamus. » Recte viri docti monent *subsidere* activæ conjugationis esse, et significare *subjicere sibi* per insidias, et fraudem. Exempla collegit J. F. Gronovius lib. I, Observ. c. 17. Sil. Ital. XIII, 221 : « subsidere sæpe leonem. » — *Subsidere regnum.* Quod regnum? vel quid est, *regnum subsidere?* Quis hoc Appium expectasse credat? Corrige, « subsidere *in agro* Chalcidos. » Cicero Epist. ad Famil. VI, 8 : « A me consilium petis, quid tibi sim auctor, in Siciliane subsidas (ubi tum erat) an ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficiscare ... ego in Sicilia censeo commorandum. » Et sic alibi, « subsidere in loco, in via. » Sequentia probant. Bentl.

246. *Expulerat.* Vossiani duo *expulerant :* quia præcesserunt *classica.* Sed nihil est mutandum.

248. *Venditat.* Alii *vendicat.* I. sibi proprios facit, et usurpat ad usum suum, et quos enses prius ad scelus eduxerant, nunc ad reprimendum scelus in sceleris auctorem usurpant. Alii denique *vindicat*, ut sit: *et miles vindicat*, i. liberat a scelere etiam nunc, i. tandem enses imbutos scelere, quia desueti, sive quia exosi bella in Cæsarem tumultua-

verunt. ASCENS. — Alii legunt *vindicat* et *vendicat*, minus probe. Vendere volebant cariore pretio, suam operam Cæsari, id renuenti; atque ideo seditionem fecerant, ut ostendit auctor his verbis: *præmia miles dum majora petit.* De parvis præmiis queruntur etiam vs. 270, etc. Si tamen quis malit retinere *vindicat*, non valde repugno, ut significet, adserit etiam nunc, sive tandem enses amplius Cæsari commodare negat; quia non tam majora stipendia habere, quam dimitti velle ni hac oratione milites videntur. *A scelere liberat* male Omnibonus exponit cum Ascensio, qui frustra inter *vendicat* et *vindicat* distinguit. Verbum enim *vendicare* est nihil, et solummodo a prava librariorum consuetudine profectum. OUDEND.

254. *Scit non esse ducis strictos, sed militis enses.* Gujetus versum damnat, propter sententiam, ni fallor, ex superiori versu 248, haustam, docente verbo *enses* repetito: præterea versus quodammodo abesse potest; sed tunc versus 252 et 253 languerent, et sententiam quam versu 254 habemus requirere videntur. Denique sententia ipsa loco aptissima est, a superioribus potius probata, atque Scholiaste Lipsiensi ita explicata: « Intelligit potestatem esse non in se, sed in milite: ad hoc respicit quod dixit, gladio suo relictus. »

261. *Effudere minas.* Atqui altero abhinc versu « animasque effundere viles. » Hoc posterius recte. Æn. I, 98: « tuaque animam effundere dextra. » Ergo prius vitiosum. Lego *Exarsere animis.* Virg. Æn. II, 575: « Exarsere ignes animo. » Tacit. Annal. I, 51: » Exarsere animis (milites) unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta. » Nullæ autem sequuntur minæ; missionem tantum efflagitabant. BENTL.

268, 269. *Quid juvat Arctois, Rheno Rhodanoque subactis? Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.* In Lips. hi versus commutantur; sed neque ordo verborum alius fieri potest, ut nexus sententiarum et structura docet, neque alteruter versuum inter spurios referri debet; apparet enim priorem integro sensu abesse non posse, alterum ad sequentia facere transitum. Librarius erravit, licet causa erroris aperta non sit. *Quo*, quod in quibusdam legitur, glossa est verbi *quid*, et fere semper accusativo, non verbo conjungitur. Transpositionem Cortii in verbis *Rheno Rhodanoque* propter consuetam poetis figuram factam dicit: sed figuram illam non novi, neque omnia loca ubi non legitur corrigi debent. WEB.

275. *Inanes cerne lacertos.* Sic simpliciter dicitur *inanis* nudus ab opibus, nil pecuniæ habens. Hoc tamen loco incidit mihi conjectura, an non legi debeat *carne*, et probat amicus meus. *Respice* satis erat; non necesse est addi verbum *cerne*. OUD.

279. *Non anima glebam.* Sic meliores codices ut priore versu *cespite.*

Multi tamen *galeam* pro *glebam* legunt. — Quod interpretes quidam exponunt, animam morientis tangere galeam, ut per eam, sive ejus foramina exeat. Addit Beroaldus, militem qui in pugna occiditur, dici *ferire galeam*. Quo sensu et qua aucturitate, non probat. Passim auctor animam per vulnera exire canit. Quare forsan respicit ad motum, quem faciunt vulnerati capite, manibus pedibusque. Sed tum clarior videretur lectio, quæ in nonnullis reperitur codicibus, *glebam*, ut explicet et persequatur sensum prioris versus. Sed nihil muta, et sume *galeam ferire* hoc sensu. Liceat non caput galeatum terræ impingere, et galeam illidere duro solo, dum anima fugit, et morimur. OUD.

281, 283. (*Liceat*) *Conjugis illabi lacrimis, unique paratum.... Sit præter gladios aliquod sub Cæsare fatum.* Versus Gujetu interpolati sunt, et additi, ut videtur ex sententia ab interpolatore amplificata. Sed Lucanus ita loqui solet, ut quæ post negationem dixisset, affirmative repetendo variet; quod recte Schol. Lips. b. monet: *Dixit quod non vult, nunc dicit quod vult.* Cohæreut itaque cum prioribus, ut jam v. *non* docet. *Atque* autem post negationem pro *sed* positum a Gujeto male pro particula copulativa habetur, quæ versum 280 contra poetæ mentem prioribus conjungat. Eodem modo v. 283 cum sequentibus bene cohæret, ut Schol. Lips. a. ostendit: « Liceat uobis mori sub te aliter quam per gladios, quod non vis facere; sed potius trahis nos spe, quasi nos ignoremus, ad quæ portenta paremur. » Denique poeta prius dicta paucis verbis comprehendere solet, ut in vv. *liceat — senectam* h. l. factum videmus; ultimus autem versus jam propter sententiam Lucano abjudicari nequit. Quod singula attinet, *uni* opponitur pluribus, qui in bello coacervati cremantur, ut Schol. Lips. c. explicat: *Et liceat cuilibet per se habere suam sepulturam. Scire* in sqq. contra Heinsii conjecturam non satis recte defendit Burm. quum non ad Cæsarem, sed in universum dictum significet, liceat nos pro certo habere, liceat nos certos esse, quod singuli a suis rogos accepturi sint. Etenim non ex Cæsare, sed ex suis hoc resciscere cupiunt, unde in universum potius accipi debet. *Fatum* denique notat *mortem naturalem*, cf. Gell. N. A. XIII, 1, ita ut *gladius* i. *mors inopinata* opposita sit *fato* i. *morti* secundum naturæ leges; vide infra ad X, 515. W.

286. *Merces.* I. e. merces, quam promittis, scimus, cujus sceleris sit, dum ad bella civilia trahimur. Sensus est. Nescimus nos, quam magnam mercedem sumere debeamus, patrato scelere. εἰρωνικῶς dictum est. SCH. — Obscure innuunt, maximam mercedem fore sceleris, in ducem ipsum Cæsarem patrati, ut jam monuerunt interpretes. OUD.

288. *Fas nec v. juris. Fas*, quantum ad Deos. *Juris* quantum ad homines, ut Virgilius: « Fas et jus sinunt. » SCH.

290. *Dux erat, hic sucius.* Obscure Cæsari mortem minantur cuncti, dum ei ducis nomen eripiunt, et simul scelere esse pollutum, ostendunt.

IDEM.—*Æquat.* Quos pariter macnlat facinus, crimen æquales facit. SCHOL.

296. *Cœperat.* Hunc versum ita refingit Bentl. « *Cœpit* et infesto *requiem* deposcere vultu. » Missionem nempe. Sed jam tota oratione finem laborum petierant; et vulgatam defendit vs. 319. ED.

299. *Discordia.* I. e. Si pax, finisque civilis belli ex fide, et pietate, unde deberet nasci, non oritur, saltem a vitiis, et a discordia inter milites, et ducem oriatur: scilicet si Cæsarem occidat exercitus. SCHOL.

301. *Fata sed in præceps solitus demittere Cæsar.* Veriorem lectionem præbent nobis alii, *committere.* Hoc est, præcipiti et temerario actui fata sua credere IX, 372: « Audet in ignotas agmen committere gentes. » Terent. Hecyr. I, 2, 34: « Numquam tam dices commode, ut tergum meum Tuam in fidem committam. » Livius, lib. XXVIII, 18: « Commisisse sese in hostilem terram, in potestatem regiam, in fidem inexpertam, sed potiundæ Africæ spem affectantem. » Supra III, 512: « fatis committere robur. » OUD.

303. *Venit.* Qui fugere debuisset, nisi fortunam suam in difficultatibus suis soleret exercere, et experiri. SCHOL.

306. *Matresque Senatus.* Loquitur sui temporis more: quo Augustis inditum est cognomentum *Patres Senatus*, Augustæque appellari cœperunt *Matres Senatus*, vel *patriæ*. De Livia Tacitus, lib. I, Ann. c. 14: « Multa Patrum, et in Augustam adulatio: alii Parentem, alii Matrem patriæ appellandam censebant. » Sic in rarissimo æneo penes Francorum regem nummo Augusti, ab altera parte sedens mulier est cum inscr. AUGUSTA MATER PATRIÆ: apud Vaillant de num. impp. Rom. OUD.—Ineptam et Lucano indignam esse phrasin *matres senatus* pro *matronas* Gujetus dicit. At recte habet *matres*, ut jam Schol. Lips. ostendit: « i. senatorias, quod dicit, nec anus, nec juvenes. » Sunt seniores et juniores feminæ, quas dicit, matronæ et uxores, ut v. *nurus* oppositum indicat. Conjungit enim utrumque ex more poetarum, cf. III, 757. Matres senatus autem pro matronis senatorum posita, scelestam Cæsaris mentem notant, qui nobilissimas feminas vilissimis militibus stuprandas non negaverit. Constat enim *matronas* et *uxores senatorum* in maximo honore apud Romanos fuisse. Similem locum habes III, 110. WEB.

316. *Bellum te civile fugit.* Prætulerim: « Bellum se civile fugit. » Hæc argutissima sunt, et Lucani ingenio digna: Liceat per te, Cæsar, bona tua venia, liceat sceleri sibi finem ponere: bellum, ut vides, civile se ipsum fugit. BENTL.

321. *Hic fuge.* Sic primus edidit Grotius. Cæteri omnes *hinc* exhibent, neque de ulla varietate admonent. Ex meis tamen *hic* præferunt Vossiani pr.

et sec. Reg. pr. Oxon. pr. et quart. a m. sec. *huc* Reg. recent. Vide ad lib. I, 363. Si *hinc* legas, in qua tamen voce contemptus, et maxima ira apparet, frustra dictum ante *habes nudum*, etc. Immo mox addit: Si vero vos imbelles, me tamen occidere non vultis, vel non audetis, agite, « Vadite, meque meis ad b. relinquite fatis. » Cæterum, quam spurii, et a pretiosum tempus perdentibus monachis fabricati versus in textum intrusi sint, hic locus argumento est clarissimo: nam additur in Vossiano sec. « Si non feminei vultus, linguæque tumultus. » — Ubi non tantum similis ille sonus in vocibus *vultus* et *tumultus*, sed etiam alia versum spurium indicant. Sententia enim per se jam displicet, neque quid sibi velit, intelligi potest. Deinde verba *linguæ tumultus* cum verbis « nil fortiter ausa seditio » non satis apte cohærent, et auctorem suum produnt. Tum *si non* displicet, cujus loco alia copula exspectatur, deinde *vultus* repetitur quod jam bis v. 317 et 319 legitur. Merito igitur plurimi et meliores codices versum non habent a Sciolo quodam illatum, qui uti sæpius factum est sententiam communem de seditione amplificavit. WEB.

324. *Ac ducis invicti*, etc. Hunc versum qui optime ad rem facit fortuna Cæsaris laudata ut militum animi revocentur, et Cæsaris moribus aptus est, Willianus cod. non nisi a manu sec. habet. Ratio qua interpolatus sit non apparet: sed facile omitti poterat, quum sensus reliquorum sine eo constaret; librarius autem suum errorem non sensisset. *Lassata* recte habet nec mutandum in *laxata* quod nullo modo hic quadrat. WEB.

339. *An vos momenta*, *etc.* Sic respondet vv. 292 et 293.

340. *Numquam sic cura deorum Se premit.* Ut Græcus dixerat : « τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται Θεὸς : τὰ μικρὰ δ' ἐς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ. » GROT.

343. *Humanum paucis vivit genus.* Ad fata paucorum omne genus humanum revocatur et unus quisque potior reliquis de se efficit fatum. SCHOL. — Hanc sententiam nuper in vespertina concione, 8 mensis augusti 1830, coram Paribus Franciæ revocatam, vividis eloquentiæ coloribus exornabat vir præstanti ingenio et rara fide inter *paucos* ipse adnumerandus, CHATEAUBRIAND, quum exclamaret : « Quand vous seriez tombés dans une nouvelle anarchie, « pourriez-vous réveiller sur son rocher l'Hercule qui fut seul capable d'é- « touffer le monstre ? De ces hommes FASTIQUES, il y en a *cinq* ou *six* dans « l'histoire (*Paucis*) : dans quelque mille ans, votre postérité pourra voir « un autre NAPOLÉON; quant à vous, ne l'attendez pas. » ED.—*Paucis vivit.* Talis dativus est apud Horat. Epod. XV, 20, *tibique Pactolus fluat*, hoc est, in tuos unius usus aurum omne gerat. BROUKHUS.

354. *Heu, quantum ...onus!* Quorsum illud *Heu?* quum hæc oratio gaudentis sit, non dolentis. Corrigo : « En! quantum, Fortuna, humeris jam pondere fessis Amoliris onus! » — *Onus.* Onus dicit felicitatis : i.e. magnam felicitatem, quam jam ferre non poteratis, a vobis Fortuna aufert. Ideo permittitur vobis, ut exarmetis dextras vestras. SCHOL.— Male Scholiastes hæc ad

milites refert; quum Cæsar sibi gratuletur, quod sibi liceat illos exarmare, quibus non satis ampla præmia reddere posset, quia singuli omnia sperabant, præclare Seneca de Ira III, c. 30: « Divum Julium plures amici confecerunt, quam inimici, quorum non expleverat spes inexplebiles. Voluit quidem ille: neque enim quisquam liberalius victoria usus est, ex qua nihil sibi vindicavit, nisi dispensandi potestatem: sed quemadmodum sufficere tam improbis desideriis posset, quum tantum omnes concupiscerent, quantum poterat unus. » OUD.

358. *Tradite nostra viris.* Hic versus a Gujeto damnatur, quia Lucanus jam supra v. 325, 326 similia dixit. Verba vero cum reliquis bene cohærent, et aptissime e superioribus mutata tamen ex parte repetuntur. Nihil enim militum animos magis commoveat, quam quod Cæsar, postquam dixisset, quid ipsi discedentes perdituri sint, seque sine iis, Fortuna favente et milite mutato, bellum gesturum esse, denuo eos discedere armaque tradere jubet. Præterea singula verba Lucano digna sunt. Vide opposita inter *viris* et *ignavi*. Considera v. *nostra*, pro quo male quidam *vestra*. In *nostra* autem major vis inest, et ita decet dicere Cæsarem, qui *his armis* veluti imperat (v. 326) « invito moturus milite ferrum » v. 366. Observa denique *Quirites* ignominiose de iis dictum, quos proprie milites, IV, 273; supra v. 320 et VII, 251, vel socii ut I, 299 appellare debebat. Sic Tacit. in oratione Germanici, Annal. et sic Tit. Liv. in concione Scipionis in Hispania. WEB. ED.

366. ... *Velut ensibus ipsis Imperet, invito moturus milite ferrum.* Quis hoc possit reprehendere? Mirificam tamen lectionem præstat codex Pulmanni: « velut ensibus ipsis Imperet, *et manco* moturus milite ferrum. » Cave, credas, tam elegans hoc, tam remotum a lectione recepta, potuisse a librariis nasci. Generaliter hoc dictum: « Quasi ensibus imperet, moturus eos etiam milite manco, » manibus aut debili, aut carente. At facile erat generale pronuntiatum huic occasioni aptare, et substituere *invito*. BENTL.

371. *Nil magis adsuetas sceleri quam perdere mentes, Atque perire timet.* Quid prius hic culpem, librariorum inscitiam, an interpretum patientiam? Nulla subest his verbis sententia, nulla orationis constructio. « Nihil magis timet, » quis? Cæsar, inquiunt: atqui plura interveniunt, et quod proximum est, *miles* timet, non *Cæsar*. Sed esto. Quid timet Cæsar? « mentes adsuetas sceleri perdere atque perire. » Nugæ et tenebræ meræ. Corrige levissima mutatione: « Nil magis assuetas sceleri quam perdere mentes Atque perire *tenet.* » Ubi ordo est: « Nil magis tenet, » afficit, obligat, obstringit, « mentes sceleri adsuetas, quam perdere et perire. » Ipsa ducis sævitia, donativo potentior, demerebatur sibi milites, qui pro munere pœna placati sunt. Silius, VII, 524: « Perdendi simul et pereundi ardebat amore. » BENTL. — Nihil, inquit, magis timet Cæsar, quam ne consuetæ mentes ad scelera perpetranda desinant aliquid crudele committere; gaudet ergo, quia illos occiderunt, quos jusserat. SCHOL. — Potest hic locus capi, tamquam generale

post historiæ narrationem epiphonema Lucani in Cæsaris truculentiam, qui nil magis timere soleat, quam ne perdat mentes sceleri adsuetas, et sic ipse cum votis suis pereat. Non tamen spernenda est ingeniosa sane Waddeli conjectura : « Nil magis adsuetas sceleri jam perdere mentes Atque perire timet. » Hoc sensu. Postquam tam subito per pœnam ad officium rediit exercitus, nihil sive non amplius timet, ne in seditione ipse debeat perire, aut saltem novum tironum exercitum conscribere cogatur; sed lætus videt restituros apud se milites veteranos istos adsuetos, sive magis adsuetos sceleri, ut *magis adsueto servitio*, apud Propert. lib. I, El. 4, 4. OUD.

372. ... *Tam diro fœderis ictu Parta quies*. Immo, ut codices plerique omnes : « tam *diri* fœderis ictu. » Res ipsa clamitat.

375. *Hydrus*. Fluvius Apuliæ, qui in Hadriacum effluit. Est etiam mons auctore Mela, a quo est appellatum Hydrus oppidum. SULPIT.—Ὑδροῦς, inquit Sthephanus, φρούριον, ἀρσενικῶς, τὸ ἐθνικὸν Ὑδρούντιος. Apud Strabonem lib. VI autem scribitur, Ἰδροῦς. Hydrus Calabriæ fluvius, et oppidulum, Steph. φρούριον. BERSM. — Latine *Hydruntum* plerumque vocatur hoc oppidum. *Hydrus* est oppidum, non mons, neque fluvius, inquit Oudend. sed quid tunc significet *avius*, de oppido dictum, non explicat. ED.

376. *Taras*. Fluvius juxta Tarentum, a Tara, Neptuni filio, qui eam urbem ædificavit. SULP. — Omnibonus pro *Taras*, *Bares* legit, et de oppido exponit, quod a posterioribus, ut Strabo, lib. VI, ait, *Varetum*, sive *Veretum* dictum est, et a Tarento distat stadiis sexcentis. Græce constanter Tarenti conditor Τάρας vocatur; a Servio etiam *Taras* latine, ubi de Herculeo Tarento agit ad Æn. III, 551. De hac urbe et fluvio, vide plura ad Stephan. Τάρας πόλις Ἰταλίας καὶ ποταμὸς ὁμώνυμος παρὰ θαλάσσαν, etc. Hoc vero loco glossator, cum cæteris interpretibus sumit pro fluvio : sed male. Omnibonus autem unde suum *Bares* habeat, nescio. *Baris* vel *Barium*, non *Bares*, illa urbs vocatur. OUD.

377. *Salapina palus*. Vibius Sequester *Salpina in Hadriatico*; et sic plures MSS. Per syncopen videntur veteres expressisse *Salpia* pro *Salapia* : unde hodie remansit *Salpe*. *Salpiam* certe a Dionysio Halic. vocari notant viri docti. OUD. — *Sipus*. Msc. duo *Sippus*. Unice rectum est *Sipus*, Σιποῦς; non autem palus, ut somniant interpretes, sed urbs. Vide ad Stephanum, et Melam, lib. II, c. 4: « Extra Sipuntum, vel, ut Graii dixere, *Sipus*. » OUD.

384. *Contigit*. Recte Hortensius : « Verius hoc quam *gessit*; nam post undecimum diem dictaturam deposuit. » — *Fastos*. Fasti sunt libri annales, in quibus gesta regum, vel principum, vel consulum singulis annis scribebantur. Nominibus autem consulum res suas antiqui designabant, ut Arcadio et Honorio coss. Sed inter annales et historias hoc distat, quod annales sint earum rerum quas non vidimus, et tamen audire potuimus; historiæ vero earum quas vidimus, vel audire potuimus, et dicitur *historia* ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, i. e. a videre. SCHOL.

393. *Et non admissæ dirimit suffragia plebis.* Sic et Priscianus legit. Sed corrigo: « Et non admissæ *diribet* suffragia *plebi.* » Varro de Re Rustica, III, 2: « Dum diribeotur suffragia, etc. » Cicero in Pisonem, c. 40: « An ego exspectem, dum de te quinqua et septuaginta tabellæ diribeantur. » Varro de Re Rust. III, 5: « Fit clamor in campo... Parra narrat ad tabulam, quum diriberent, quemdam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum. » Valerius Maximus, IX, 12, 7: « Licinius Macer repetundarum reus, dum sententiæ diriberentur, in Mœnianum conscendit, » ubi vide Pighium. Cæsar a senatu dictator dictus, Plutarch. Sed Cæsar, B. Civil. II, 21, legem de dictatore latam, seque Dictatorem dictum a M. Lepido *prætore* cognoscit. Prætor tamen jure dictatorem dicere nequit, ut ex Cicerone probat Gruchius. Quod si dictator a populo non creabatur, patet corrigendum esse vs. 382: « populoque *petenti* Scilicet indulgens, *summo dignatur honore Comitia*, et lætos fecit se consule fastos. » Gruchius p. 18: « consulibus absentibus Senatui visum est, Dictatorem comitiorum causa creandum esse. » Unde legendum: « summo dictator bonori *consulit.* » Id est, consulatui. Excerpta Controv. IV, 2: « Summo cum bonore Metelli, adserens contra Metellum agendum ita, ut rogetur cum judicibus officio pontificum *et ipse* consulere. » BENTL.

394. *Decantatque tribus, et vana versat in urna. Decantat* agnoscit Priscianus: libenter tamen legerim: « *Centuriatque* tribus, et *inani* versat in urna. » Notissimum in comitiis populum in tribus, tribus singulas in centurias descriptas esse et distributas. *Inani urna,* cista vel sitella, qoam colligendis suffragiis rogator deferebat: ideo *inani*, quia nulla suffragia inerant populo non admisso. — Urna est vas, quod et *orca* (V. Souteri Pal. c. 4.) dicitur, in quo antiqui sortes mittebant, et manibus conversantes movebant. Nam per sortes faciebant comitia. Non uno autem modo sortes fiebant. Quidam enim in urna, quidam in sinu etiam eas mittere solebant. Nabuchodonosor in sagittis sortes faciebat, in quibus nomina civitatum, quas vellet destruere scribens, illam, cujus nomen per sagittam primum erigeret, primitus destruebat. SCHOL.

396. *Lætæ.* Boni ominis esse. ID.

398. *Careat ne nomine.* Id est, ex illo ideo tantum creantur consules, ut dent annis nomina, non ut aliquam habeant potestatem. ID. — *Careat tantum ne nomine tempus, Menstruus in fastos.* Hoc est, consules in speciem tantum creantur, qui nomen hoc gerant, et fastos notent (nam consulum nominibus anni, et tempora antiquitus definiebantur); cæterum neque auctoritatem, neque potestatem pristinam retineant, tota ea ad imperatores translata. Per *menstruum* igitur intelligo, aut brevi tempore jus ac dignitatem habiturum, κατὰ συνεκδοχὴν certo tempore pro incerto posito: aut revera *menstruum*, et in certum tempus magistratum gesturum, quales sub imperatoribus postea fuisse, quum apud Suetonium, tum apud Tacitum legimus. Nam Sueton. de Caligula: « Consulatus quatuor gessit,

nquit. Primum ex calendis januarii per duos menses : secundum ex calend. januarii per triginta dies : tertium usque in idus januarii : quartum usque ad 7 idus easdem.» Tacitus autem, Hist. lib. II, de Othone scribens : «Consul, inquit, cum Titiano fratre in calend. martias ipse, prox. menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum. Jungitur Verginio Pomp. Vopiscus prætextu veteris amicitiæ. Plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Cæteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbæ mansere, Cœlio ac Flavio Sabinis in julias, Ario, Antonio, et Mario Celso in septembres, quorum honori ne Vitellius quidem intercessit, etc.» Ex his igitur apparet, *menstruum* pro brevi et ad certum tempus creato accipiendum esse, idque in genere de sequentibus, non de Cæsare tantum. Nam quod ad hujus consulatum, et ad præsens tempus attinet, de eo ipse ab initio libri tertii ita scribit: «Dictatore habente comitia Cæsare, coss. creantur Jul. Cæsar et P. Servilius. Is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri licebat, etc.» Quem locum plenius explicat Appianus, lib. II : «Cæsar, inquiens, Romam reversus trepidante adhuc populo, neque senatu aut consule illum eligente, seipsum dictatorem nominavit. Verum sive ut invidiam dilueret, sive quod magistratu minime indigeret, per undecim tantum dies illi præfuit. Sic enim nonnulli asserunt, consulemque se in futurum designavit, P.que Servilium Isauricum collegam sibi assumpsit.» MICYLL.

400. *Nec non Iliacæ.... Haud meritum Latio.* Hi versus transponuntur in Lips. sed vulgarem ordinem esse servandum sententia et verba *nec non* docent. Possis suspicari v. 401 spurium esse quum incerta ejus sit sedes, neque sensus eum requirat; sed non intelligitur qua ratione ejusmodi versus interpolatus sit, cujus sententiæ præterea cum Lucani moribus optime convenit, ita ut jam hanc ob rem deleri non debeat. Quis enim non norit Lucani animum Diis iratum et effervescentem quod Romam a Cæsare subactam passi sint. Sensum optime explicat Scholiastes Lipsiensis eod. *Haud meritum*, i. e. quia ad hoc ibi colebatur Jupiter, ut ab hostibus Italiam protegeret, sed quia a Cæsare jam Latium subactum erat, jam non erat meritum sacra solennia. WEB.

403. *Inde rapit.* Non placet, *rapit cursus*, et *transcurrit arva*. Codex Bersmanni, ut ex nostris Regius, *transierat*. Eleganter. *Tenet* Brundisium, quia *transierat* Apuliam, ocior flammis transierat; adeo velociter, ut *transiisse* eum viderent, quem *transeuntem* nemo viderat. BENTL.

405. *Tigride.* Abusive ita dictum esse a Lucano, quum deberet esse *tigri*, ait Servius ad Æn. X, 166. Abusive ergo etiam Augusteo ævo Ovidium loquutum quis credat, Metam. VII, 32 : «tum me, de tigride natam ?» OUD.

419. *Incumbatque furens.* Placet quod Pulmanni duo codices et Academicus habent : « Incumbatque *ferens* et Graia ad mœnia perflet. » Virg. Æn.

IV, 430 : « Exspectet facilemque fugam ventosque ferentes. » Seneca de Vita Beata, XXII, « Sic illum afficiunt divitiæ et exhilarant, ut navigantem secundus et ferens ventus. » Ovid. Heroid. XVI, 125 : « Protinus egredior ventisque ferentibus usus Applicui. » Et Trist. I, 2, 73 : ut mare considat, ventisque ferentibus utar. BENTL. — Sed in his locis de placida navigatione agitur, hic de rapida et vehementi. Nil ergo mutandum. ED.

420. *Phæacum. Graia mœnia* hoc loco, et *Phæacum* litora de Epidamno sive Dyrrhachio intelligenda, quoniam et Apsi fluminis paulo infra meminit poeta, qui et ipse non procul a Dyrrhachio in Ionium exit. Et Suetonius in Cæs. « A Brundusio, inquit, Dyrrhachium interpositas classes hieme transmisit, cessantibusque copiis, quas subsequi jusserat, quum ad accersendas frustra sæpe misisset, novissime ipse clam noctu parvulum navigium solus, obvoluto capite, conscendit, etc. » Phæacum autem litus vocat poeta, quod Epidamnus a Corcyrensibus iis, qui Phæacum insulam tenuerunt, condita fuerit. Appianus ab Epidamno, quodam barbarorum rege, nomen illi impositum arbitratur; a cujus nepote ex filia Dyrrhacho portus posteà urbi adjectus fuit; qui exoleto veteri nomine de se Dyrrhachium appellavit; quod nomen postea Romani rerum potiti, prius ut ominosum detestati, libentius retinuerunt. Dyrrhachium igitur Corcyrensium coloniam *Graia mœnia* et *Phæacum tota litora* appellat; quod illo tractu a Corcyra usque ad Dyrrhachium Pompeiani omnes portus tenerent. HORT. — Falluntur viri docti, quum *Phæacum litora* intelligunt de Dyrrhachio. Epirum et adjacentes Corcyræ regiones cogitavit poeta. Eo autem se contulisse Pompeianos monuit in libri hujus initio. Nam si Cæsar Dyrrhachium petere volebat, ut constat, et Pompeianæ triremes a Dyrrhachio venirent ad eum comprehendendum, occurrere debuissent classi Cæsaris, non autem remis eam deprehendere per nimiam tranquillitatem tardius navigantem. Quod tum facile fieri potuisset, si ab Epiro venirent. OUD.

421. *Jactatis remis.* Dictum ut, *jactare brachia, lacertos, manus*, et similia pro : crebro movere, III, 651, 662. Regius uterque *jactantes*, et Regius prim. *remi.* OUD.

425. *Et luna suas jam fecerat umbras.* Excidit hic versus in Lips. propter similitudinem vocum *undas* et *umbras*. Sed salvo nexu omitti non poterat; recte ab alio in margine additus est. *Umbras* Schol. Lips. explicat : « Sicut in die sol si non obscuratur a nubibus, faciunt corpora umbras : ita etiam in nocte, si luna non obscuratur a nubibus. Sed non principio noctis, et hoc notat ubi dicit : « et luna jam fecerat, etc. » *Umbras facere* de sole dicitur Ovid. Met. III, 50. Sed umbras hoc loco pro nocte, ut sæpissime positum est. Sic Val. Flacc. « totidemque peregerat umbras Luna polo. » WEB.

430. *Ut primum.* Conf. RACINE, *Iphigénie*, act. I, sc. I :

« Nos vaisseaux par les vents semblaient être appelés.

« Nous partions....
« Le vent qui nous flattait nous laissa dans le port.
« Il fallut s'arrêter; et la rame inutile
« Fatigua vainement une mer immobile. » ED.

441. *Orbita migrantis scindit Mæotida Bessi.* Male, inquit Scaliger, Bessos Lucanus ad Mæotim collocavit. Sed monet Palmerius, non ibi eos collocari. Hoc versu solum innuit Bessos gentem esse vagam, nec statas et certas sedes habentem. Bessi quidem a Strabone, Plinio et aliis inter Thracum gentes ad Hæmum habitantes recensentur. Sed fuerunt et alii trans Histrum Bessi, quos Ovid. Trist. III, ait concreto glacie Histro, imperii Romani fines populari. Et nupero etiam sæculo Bessarabes quidam ultra Danubium a Gastaldo in mappa Romaniæ ponebantur, ita cum additamento *Arabes* appellati, quod primi occurrant Arabum more nomadice viventes in suis plaustris. PALMER.

442. *Sæva.* Interpretes exponunt vel *magnam*, vel *incommodam*. Ultimum placet; et dictum est per oxymoron, quæ figura non infrequens Lucano est; quia hæc quies, et tranquillitas Cæsari importuna et intempestiva ob metum de hostium adventu et imminente fame. Sic mox *naufragii spes.* Atque ita sane clarus est locus. Adridet mihi tamen Waddeli conjectura *Scæva*, i. e. intempestiva. Pro *mæstoque* conjicere quis posset, legendum esse *medioque*, ut sit idem, quod est I, 259: « Mediusque jacet sine murmure pontus. » Passim *medius pelagus, medium æquor, profundum* apud poetas invenias; sed nihil muta. OUD.

446. *Solis imagine.* I. e. luna, unde etiam solis soror dicitur. OMNIB. — *Solis imaginem* de luna accipiunt etiam Badius et Hortensius, quia Cæsar nocte navigabat. Sulpitius lunam quidem intelligit, sed refert hæc ad vim lunæ, cujus certis temporibus mare acrius commovetur; quod certe falsum est. *Solis* autem *imago* pro *Luna*, quia a sole lumen accipit, dictum esset; ut *imago animi vultus est* apud Cicer. de Orat. III, c. 59; et Echo vocatur *imago vocis* Virgilio, Georg. IV, 49. Verum nusquam Lunam, *solis imaginem* tam simpliciter vocatam inveniri, puto *Solis imago* est ipse sol, sive ejus lumen. Noster ipse VI, 505, de lunæ eclipsi: « Quam si fraterna probiberet imagine tellus, » i. e. solis lumine. Ita lunæ imago est ipsa luna, vel ejus splendor apud Ovidium, Epist, Her. XVIII, 77: « Unda repercussæ radiabat imagine lunæ, Et nitor in tacita nocte diurnus erat. » Itaque vel humani quid passus est auctor, non recordans, se describere nocturnam navigationem, in qua non mirum foret, æquor non vibrare imagine solis. Vel hæc non capienda præcise de illo mari, quod Cæsar navigabat. Id quod verum puto. Vix enim potuit auctor sui esse oblitus, quum mox sequatur ortus diei. OUD.

450. *Nova voto timori..... Naufragii spes omnis abit.* Gujetus hos versus pro spuriis habuit, ni fallor, propter sensum. Displicere enim

potest eadem res in verbis nubila et ex superioribus repetita; deinde sententia ipsa *nova vota timori* inventa esse, et spem naufragii abiisse. Amat vero Noster talia ὀξύμωρα ut sexcentis locis probari potest; deinde eadem repetuntur, sed cum pondere quodam, ita ut respondeant præcedentibus verbis, et Lucanus ex more suo variet. Sensum autem totius loci explicat Scholion Lips. ita: « Et quia constringebantur, ideo illa rogabant, quæ non solent precari nautæ, scilicet ut tempestas consurgat, et hoc est quod dicit: *nova vota*, etc. Et rogant, ut saltem sit mare, i. e. ut habeat mare naturam suam; natura maris est, ut semper moveatur. Venti et tempestas sunt spes naufragii quum abest. » Ex quibus vides, quomodo vv. *nova vota*, etc. cum prioribus cohæreant, ita ut ne sic quidem de interpolatione cogitari debeat; præterea sequentia quoque *sed nocte fugata* meliorem nexum cum vv. *naufragii*, etc. habent. — Quod singula denique attinet, *minas* pro *nimias*, et *torrentibus* pro *torpentibus* ex solenni errore orta sunt, et *rabies* est glossa pro *vires*, ut aperte in Schol. Lips. legitur. Verba *sit mare* Schol. Lips. per *turbidum*, « quia est proprium mari » explicat; notant autem mare, quod semper in motu sit, semper discurrat, nunc esse stagnum torpens. Neque acumen, quod h. l. Lucanus, ut solet, captat, deleri debet; eodem modo male aliquis seq. *naufragii* correxerit, quum in eo nervus sententiæ sit, sicuti infra quoque Cæsar de suis gloriatur vs. 494, «ad Cæsaris arma juventus *naufragio* venisse volet.» W.

457. *Movitque Ceraunia nautis*. Hac sententia interpretum redit, quod moverit, sive concusserit Ceraunia pelagus, ut videbatur navigantibus, vel dies nautarum jam appropinquantium visui admoverit, aut denique ut Hortensio placet, nubes ex illorum oculis montes eos submoverint jam ante visos, quod tamen non dixerat Lucanus. Non minus in his se torserunt Scholiastæ scribentes: « Ut deinceps flare cœperit. Quando mare æstuat in montes, videbatur nautis, montes se movere. Aut Ceraunia illos pretiosos lapides accipimus in imo mari ventis esse commotos. » Ex toto autem Lucani scopo satis patet, voluisse illum innuere incrementum venti, qui orto die eos deduxerit ad Ceraunia, quorum terram illo ipsu die attigit Cæsar, Bell. Civil. lib. III, c. 6. At vero venti nulla adhuc dum fit mentio. Quare Marklandus pro *nautis* legit *flatus*, quia sol numquam diri potest concutere ima pelagi, aut movere montes. Utrumque autem ad ventos pertinere, ibidem probat, et ipsa res loquitur. Si in voce *nautis* latet menda, posset pro ea etiam legi *Caurus* sive *Corus*. Verum videamus, an non alio modo institui possit emendatio levissima, ut pro *diem* scribamus *dies*. «Dies extulit solem nubilum, et concussit ima pelagi, ac movit Ceraunia nautis.» Immo nihil muta, et expone *Sol extulit diem læsum nube*, i. e. ventosum; hoc est, cum ortu solis surrexit lenis ventus. *Nubes* sæpe pro vento ponitur. Sic vs. 423: « jam dudum nubes perdimus. » Cf. III, 522. Eritque metonymia causæ antecedentis pro consequente effectu. Solet enim sæpe post noctem, ab auris quietam, ventus se extollere cum die, et una

paollatim cum die crescere, unde tandem *rapi cœpere rates.* Præsertim si nubilus sit dies. Sic vs. 717: «Quum primum redeunte die violentior aer Poppibus incubuit, Phœbe concitus ortu.» Et contra apud Virgil. Æn. III: «.... ventos eum sole reliquit.» OUDEND.

460. *Palæstinas.* Palæstini in Syria ad Idumeam populi sunt, a quibus locus in Epiro *Palæste* dicitur, eo quod geminæ columbæ e Syria in Dodonam volaverunt, quæ *Palæstinæ* sunt appellatæ. Ibi etiam inferni ostium, et Furiarum templum esse ferebatur. Unde Palæstinas Deas Furias intelligimus. Ovidius Fastorum IV, 230: « Sæpe Palæstinas jurat adesse Deas.» Pervenit autem Cæsar postridie quam solvit ad eum locum, qui *Palæste* appellatur, nactus quietam stationem, quum omnes portus metueret, quos teneri ab adversariis arbitrabatur. Ibi navibus omnibus ad unam incolumibus milites exposuit, et naves eadem nocte Brundusium remisit, per Fusium Calenum, ut reliquæ legiones, equitatusque transportari possent. Sed a Bibulo, qui Corcyræ erat, circiter 30 captæ cum nautis, et dominis combustæ sunt. Cæsar vero Orico, cui Torquatus præerat, recepto, et inde Apolloniam, Dyrrhachiumque versus iter arripuit. Quibus auditis, Pompeius, qui tunc in Candavia erat, magna celeritate prior pervenit: et positis ad Apsum fluvium castris sub pellibus, ut Cæsar vicinus faciebat, hiemare constituit. SULPIT. — Nam Apameste est in promineote parte Italiæ, quæ ad Epirum accedit, contra Apsum flumen. Vide Plinium et Ptolemæum. GROT. — Alii volunt *Apamestinas* contra MSS. Nihil definio: non enim liquet. Hoc scio, si hic mendum latet, vetus jam debere fuisse. Præter Scholiasten, qui secure notat, Palæstina Epiri regio est, Vibius quoque Sequester ex hoc loco male intellecto recenset: *Apsum Palæstinæ.* OUDEND.

474. *Sanguinis infausti sobolem.* Varie exponunt, et interpungunt hunc locum interpretes. In eo omnes consentiunt, ut *pignora* capiant de affinitate; Hortensius ipsum *pignus* exponit Juliam, Pompeii filiam. *Pignora sanguinis infausti* jungunt cum plerisque Sulpitius, Beroaldus et Asceosius, et explicant nuptias infelicis filiæ. Omnibonus *sanguinis infausti sobolem* intelligit Juliam: quia in ipso flore juventutis mortua est. Quam distinctionem cum Grotio hactenus sequuti sumus. Non tamen mihi placet. *Pignus* pro necessitudine ex affinitate contracta in hac ipsa re sumit Noster I, 111: « nam pignora juncti Sanguinis, et diro ferales omine tædas Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, sæva Intercepta manu.» III, 33: « Abscindis frustra ferro tua pignora.» Verum tunc dixisset Lucanus, a Pompeio Cæsarem non esse visum post contractas cum ejus filia nuptias. Sensum vero auctoris esse arbitror, id non factum post mortem Juliæ ejusque filii. Neque aliter hunc locum cepit Torrentius ad Sueton. in Cæs. c. 26, legens post *pignora rapta*, scilicet Juliam et nepotem, additque, nam profecto *sanguinis infausti sobolem*, Juliam, Cæsaris fi-

liam intelligit; ac more suo iniquior Cæsari, *infaustum sanguinem* ait. Cogitavi aliquando, an non hic sensus esset: *Post sobolem et nepotis mortem, pignora tanta sanguinis infausti*, i. e. non videt te, socer, postquam filia ejus et nepos obierunt, qui hoc immaturo obitu ostendunt, sanguinem ipsius infaustum esse? *Post sobolem* erit postquam soboles esse desiit. (Vide ad L. VI, 145.) *Infausti* certe magis ad Cæsarem, quam ipsam sobolem pertinet. Quoniam tamen durior mihi hæc constructio videtur, aliam huic loco medicinam adhiberi posse, mihi succurrit, eodem nempe, quo dixi, et planissimo sensu: « ... post pignora tanta Sanguinis infausti, sobolem raptumque nepotem. » OUD.

474. *Nepotis.* At *nepotum* habet MS. P. An quod filia ante interiisset? de ejus enim sexus prole loqui videas Plutarchum, et Dionem. Sed optime ibidem Casaubonus nihil esse mutandum docuit; quum ipsi auctores non consentiant, et alii Juliæ duos, alii unum filium, alii filiam ei attribuant. Ipse Noster unius nepotis tantum meminit IX, 1049: « non mixti fœdera tangunt Te generis, non nata jubet mœrere neposque. » Quo argumento quid est validius? OUDEND.

476. *Cæsaris.* Obsidebatur enim a Libone, qui ab Orico, cum classe, cui præerat, profectus, Brundusium venerat, insulamque, quæ contra Brundusium portum est, occupaverat. Conf. Cæsar, lib. III. MICYLL.

481. *O mundo.* Pro *mundi* ex Vossiano sec. rescripsi *mundo*, ut vs. 461: « Apso gestare carinas Causa palus. »

494. *Jam voce doloris Utendum est; ... Ausoniam tu solus habes.* Ab alia manu addita videntur Gujeto, ni fallor, propter sententiam in fine orationis positam, quæ melius abesset, præsertim quum non satis apte prioribus conjuncta sit. Verba per se non habent, cur displiceant, immo eum Cæsaris moribus, ex Lucani sententia, optime conveniunt; deinde in singulis nihil, quod interpolatorem sapiat. Bene quoque eum prioribus cohærent, modo recte intelligantur; etenim *jam*, ut verborum ordo indicat, pro *nunc* positum est. Nunc, inquit, conquerendum mihi est, quod non ex æquo orbem divisimus; nunc demum damna sentio, quod ego Epiron tantum, tu totam Italiam habes; nam si ex æquo orbis divisus esset, nunc, adventum tuum non exspectans, solus bellare contra Pompeium pergerem. Ita Schol. Lips. e quoque: « Jam conqueror, quia Epirus tenet Cæsarem et Pompeium et totum senatum, tu solus tenes Hesperiam. Vides igitur nexum inter hæc, vides orationem, Antonio cunctante, et querelis de hac re effusis, recte in hanc sententiam exire. Poeta autem, ut solet in ejusmodi orationibus, verba quæ necterent non expressit. Quæ quum ita sint conjectura non opus est, neque in sequentibus *Epirumque t. C.* pro *Ep. Cæsarque t.* etenim copula inter singula membra h. l. melius abest, ut ex tota oratione apparet; deinde similia a nostro per *que ... que* conjungi solent; cf. I, 201, 479, 562; II, 306,

377, 511, 520. Quod formam *Epiron* denique attinet, illata est h. l. et supra vs. 9 a Cortio invitis codd. qui soli in hac re auctoritatem habent. Lucanus enim in formis *os* et *us* non modo in diversis nominibus propriis, sed interdum etiam in eodem fluctnat, hac vel illa usus, prouti metri ratio vel aures eum monebant; qualis tamen ratio h. l. non adest. WEB.

505. *Parva quies miseris.* Sensus hic est. Hæc quies miseris, et labore confectis erat parva: non sufficiebat fatigatis ad refectionem, quia plurimum laborabant. *Parva* legas in Mstis fere omnibus: idque plerique editores cum Scholiaste prætulerunt: *porta* cum Sabellico primus excudit Gryphius, quem multi sequuntur. R. Stephanus insuper hæc verba *parva* usque ad *minor* parenthesi includit. Sensus ergo Lucani foret, nocte sola miseros illos homines, qui ob fortunam tenuem curis, et sollicitudinibus non distracti longius dormire possent, et propter diurnos labores debent non satis somni capere, et parum quiescere. Ut quasi per appositionem *noctem* vocaverit *parvam quietem miseris*. Verum mihi hæc explicatio minime placet. Satis longa certe quies est, quæ capi potest per totam noctem, et quidem hibernam, qualis tunc fuit. Quare *parta*, ut jam editur, retinui. Et sic apte procedit sensus Lucani. Nox solverat curas: unde militibus quies, et somnus obtigit, qui iis facilius obrepit, quoniam a curis propter tenuem fortunam sunt liberi. Inde jam castra silebant, omnibus dormientibus, et sic tres horæ jam dilapsæ erant: quum Cæsar, etc. *Parta quies* junxit quoque Virgilius, Æn. III, 495: « Vobis parta quies. » VII, 598: « Nam mihi parta quies. » Si tamen vel sic *parva* retinere quis vellet, melius legeret *parca*. OUD.

515. *Rectorem dominumque ratis secura tenebat.* Deest versus in Thuan. sec. qui sæpius in hac re errabat; sensus verborum quæ sequuntur, intellecto v. *erat* ad v. *domus* sine his perfectus, effecit, ut librarius omissum versum non senserit, quem, quum non appareat, qua ratione ab interpolatore ortus sit, suo restituimus auctori. Quod singula attinet, bene Burm. *rectorem* defendit, cf. ad vs. 568. *Tenere* autem sæpius de locis dicitur, ubi aliquis commoratur, cf. II, 479: « At te Corfini validis circumdata muris Tecta tenent. » WEB.

539. *Indocilis privata loqui: tum pauper Amyclos.* Versus hic in cod. Thuan. uno excidit, quo carere non possumus; errorem alius correxit. Quod singula attinet, Burm. recte defendit *indocilis*, cujus loco in Rottend. pr. *indoctus* legitur; hoc enim sibi vult poeta, Cæsaris mores ita comparatos fuisse, ut numquam submisse loqui potuerit, verbaque ejus majestatem aliquam et spiritum regium præ se tulerint. WEB.

552. *Incertus.* Qui se volutando discurrit, tempestatem maris denuntiat. Delphines adveniente tempestate deserta maris derelinquunt, et ad litus approperant.—*Incertus* dixit ob consuetudinem Delphinum. Ovid. Metam. III, 683: « Undique dant saltus, multaque adspergine rorant, Emerguntque

iterum, redeuntque sub æquora rursus. » Seneca, Agam. 449 : « Tunc qui jacente reciprocus ludit salo, Tumidumque pando transilit dorso mare, Tyrrhenus omni piscis exsultat freto, Agitatque gyros. » Oud.

554. *Pennæ confisa natanti.* Hortensius edidit *volanti.* Sed quis credat, ita scripsisse Lucanum, « ausa volare pennæ c. volanti. » Non melius Scholiaste exponit Sulpitius « quæ solet natare, et sidere mari. » Oud.

569. *Zephyros ... an Euros.* Quædam exemplaria legunt, *Zephyrusne*, et alia *Zephyrosne*, quæ lectio genuina est. Est autem *Zephyrus* ventus flans ab occasu, latine *Favonius*, Euro adversus, qui ab ortu venit, ut Manilius, Astronom. IV, 589 : « Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu, Auster amat medium solem, Zephyrusque profectum. » *Zephyros* exhibent omnes sine particula *ne*. Rectissime. *Ne* vel *an* quum bis deberet poni, primo loco elegantius omitti, jam dudum monuerunt viri docti. Noster auctor ita esse scribendum ex perpetuo suo more jubeat, I, 412 : « Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet, Destituatque ferens, an sidere mota secundo, etc. » VI, 494 et 652; IX, 123, 560; X, 5. Deinde, quod multi scribant *Zephyrusne* vel *Zephyrus* probari nequit. Non quod brevis foret syllaba *us*, nec produci possit, ut putat falso Hortensius. Neque etiam, quia *intendere* non posset sumi passive pro *intendere se* (nam *us* in cæsura sæpe produci, et pronomina reciproca sæpe omitti docuerunt satis grammatici). Sed quia Lucanus aperte eruptionem ventorum ex mari fieri statuit, nam dixerat « conceptos ventos ab æquore, » et addit « quanta paret pelagus. » Nunc incertum est : « intendat ad emittendum Zephyros, an Euros. » Alibi etiam poetæ primum ventorum motum in undis constituunt. Silius Ital. IX, 283. Valer. Flacc. V, 522 : » Ceu tumet, atque imo sub gurgite concipit Austros Unda silens. » *Austros* dedi pro *Euros*, quia auctor id satis innuat sequentibus, quæ sunt pro explicatione præcedentium; ubi *Noton* vocat, quem hic *Austrum*, *Corum* vero, quem hic *Zephyrum* appellat. Oud.

572. *Gurgite tanto Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.* Gujetus versum 573 insititium deleri vult, causa non addita. Neque ego aliquam divinare possum, nisi forte in sensu, qui tamen recte habet, quum oppositio inter *ratem* et *naufragos* justa sit, et Amyclas, Cæsarem a cœptis deterrere studens, « ne corpus quidem tuum oras tanget » addat, quod ex veterum moribus explicari debet. Schol. Lips. a locum ita explicat: « Et quum hæc signa apparent, certum est, quod hæc ratis e tanto gurgite, i. e. ex tanta profunditate maris nec huc veniet, et quod majus est, nec corpora nostra mortua illuc pervenire. » Fortasse Gujet. *Hesperiam*, ut in VV. LL. Steph. est pro *Hesperias* legit; sed hoc quoque defendi possit, licet non admodum placeat; sæpius enim adjectivum et substantivum ita separantur. *Tangere* autem de navibus et hominibus, ut infra 558; VI, 352; VIII, 184, 465, 712, 825; IX, 442; cf. Savar. ad Sidon. Ep. I, 10; Burm. ad Val. Fl. VII, 85. Web.

576. *Neu longe nimium.* Ingeniosa sane, si non vera, est conjectura Waddeli *ni longe*. Ut ita optime designetur timor nautæ, et supremum, in quo versabantur, periculum ; quasi dixisset : Repetamus litora, quamvis ita debilitata jam sit navis, ut metuam dubius, an procellæ resistere possit, quousque vel proximam terram possimus attingere OUDEND.

592. *Ignoras.* Per interrogationem vulgo editur : sed notam interrogationis delevi, quia videbatur mihi huic loco non conveniens. Inepte Cæsar illum nautam rogasset, an ignoraret, quid tanta strage pararetur. Unde enim ille hoc scivisset? Dictantis ergo, et bono eum animo esse jubentis verba sunt. OUD.

593. *Quid præstet.* Alii exponunt. Ut præstet mihi incolumem navigationem, classibus Pompeianis per tempestatem non ausis deserere litora. Vix putem. Certe eo sensu melius legas *quod*. OUD.

597. *Concita. Concita* sunt commota, provocata : quo modo *conciere* et *concire bellum*, *seditionem*, *turbas*. Quare non audiendi sunt MSS. qui habent *congesta*. OUD.

602. *Concidat. Pareat* vult legi Brouckusius, dicitque, eos elegantissimam illam vocem corrupisse, qui non intellexerunt, additque, in aliis etiam esse *pareat* ad Tibull. El. I, 10, 9 : « freta per parentia ventis. » Ovid. Amor. II, 16, 35 : « Et vocet in rivos parentem rusticus undam. » Verum; eleganter vero Lucanus *concidat* scripsit. Depingit enim undas jam erectas in scopulos, quæ hinc a Coro, inde a Borea feriebantur, ita ut in neutram partem cadere possent; atque adeo dubiæ pendebant, cujus venti majoribus viribus succumberent, et in planum caderent. Horat. Carm. XII, 32 : « ponto Unda recumbit. » OUD.

603. *Abstrusas penitus vada fecit arenas.* Hæc tota descriptio tempestatis, quam facit Lucanus, enormis, monstrosa, et omnis judicii expers est. Hic enim cælum, terram, et maria miscet, et de redituro Chao timet, ut ostendat unice, Cæsarem fuisse temerarium, dum voluit piscatoria scapha, quæ laboraret, fortius modo flante vento, trajicere, quum jam prohiberet procellosum mare. OUD.

612. *Nec parva*, etc. Difficilis saepe locus, et varie exponitur : plerique sub *ferunt* intelligunt ipsos ventos, qui ferant parvos fluctus. Alii generaliter capiunt hoc modo : « Nam non raro diversa maria ventis rapta miscentur. » Alii scribunt *non parva*. Oudend. scribit *nam* et putat Lucanum hoc velle, hac tempestate pelagus, sive Oceanum, et mare magnum, ut vocat vs. 619, non quidem fines suos esse transgressum, aut inundasse terras quasdam, quia quisque ventus suam defendebat plagam; sed tamen parva, nempe in oppositione maris magni, sive Oceani, æquora procellarum impetu rapta, et

inter se commixta esse, ut Tyrrhenum cum Ægæo, Hadriaticum cum Ionio. Sed videant acutiores. Ut Oudend. ita fere explicat Omnibonus.

625. *Tunc quoque tanta maris .... nubibus undas.* Damnat versus Gujetus, ni fallor, propter vv. *tunc quoque* male intellecta. Etenim si *tunc* de eo tempore intelligis, ut glossa Lips. b, vel in ipso diluvio, ubi Jupiter fulmen lassatum adjuvit fraterna cuspide, apparet *quoque* h. l. non quadrare, totamque sententiam prioribus inepte additam esse. *Tunc* vero de eo tempore intelligendum est, ut idem Schol. Lips. b : quum Cæsar periclitabatur. Ita omnia optime cohærent, et transitus fit ex more Lucani, ita ut *sic* et *tunc quoque* sibi respondeant. Rectius tamen *nunc* ex nonnullis libris repones, quum *tunc* propter præcedentia, ubi oppositio inter diluvium prioris et tempestatem hujus temporis requiritur, non satis aptum videatur, atque res pro præsenti descripta sit, ut vv. *latet*, *deprimitur*, etc. ostendunt. *Nunc* quoque Schol. Lips. a probat : « Nunc est mare contentum litore, sed tunc non erat contentum alio litore, nisi cælo. Ad quid istud præmisit (*leg.* præmiserit), subjungit ; nunc quoque idem esset, nisi Jupiter compressisset undas cum nubibus. » In reliquis verbis non video, quid Lucano indignum sit. De *maris mole* cf. Wakef. ad Lucret. VI, 404. WEB.

628. *Infernæ pallore. Squalore* alii, quod prætulisse videtur Ascensius. *Pallere* proprie ea dicuntur, quæ inferorum sunt ob tetram, luridam et mortiferam ejus loci faciem. Recte autem jungit *obsitus pallore* quasi situ quodam livido.

632. *Tremunt.* Alii *fremunt.* Meo judicio, genuina lectio est, *tremunt*; ut tremere mundana machina dicatur, quamvis aer semper sonat tonitrui violento sono. Præterea sequitur *axis intonuit*, id est, fremuit. Poetas autem, in tonitrus descriptione, cælum concussum, et Superorum sedem trementem vocare, quis nescit? Vetus poeta apud Ciceron. de Divinat. « Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit. » *Fremitus cæli* non tam notat tonitrus, quam prodigiosum armorum, aliusve rei sonum : de quo Cicero, Divin. l. I, c. 43. OUD.

633. *Intonuit.* Optime, non *insonuit.* Cicero de Divin. l. I, 47 : « Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris. » Virgil. Æn. lib. I, 94 : « Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther. »

634. *Chaos.* Quod fuit ante mundi constitutionem. SCH.

635. *Concordes moras.* In meo codice est *vices.* Sic VI, 461 : « Cessavisse vices rerum, dilataque longa Hæsit nocte dies, legi non paruit æther. » Sed non tam de vicissitudine concordi elementorum agit, quam de nexu, quo constricta suo quæque officio fungantur elementa, et quem hac naturæ totius concussione rupisse videbantur. *Mora* enim dicitur omne id

quod alterum alteri nectit, ut nodus, sera portarum, catenæ et similia. *Moræ* loricæ Virg. Æn X, 485; *moræ* lacertorum Senec. Thyest. 761; *mora* corticis Valer. Flac. VI, 97; rumpere *moras* sæpius junctum exulit Noster II, 525; IV, 762; VI, 217. Oud.

637. *Nondum periere.* Scholiasten sequutus sum. Hortensius putat, epiphonema esse in horrendam illam cataclysmi faciem, et in genere *mortales* esse intelligendos. Alii, quod *elementa* nondum perierint, spem salutis superfuisse mortalibus, credunt. Perperam. Oud.

639. *Tantum nautæ.* Alii *nautas* de Cæsare, et Amycla solis capiunt.

643. *Pelagus.* Ineptissimus est locus, quo vult Lucanus, intervallis fluctuum tam parum aquæ fuisse, ut carina tetigerit arenas ab aquis fere nudas, et contra fluctos tam grandes, ut nubes tetigerint vela. Nubila certe, et inania captat auctor.

650.... *Non litora curvæ Thessaliæ saxosa pavent.* Gujeto verba spuria sunt, quum Thessaliæ hic nullus sit locus, et *pavent* propter seq. *timent* v. 653, ut videtur, displiceat; accedit quod Schol. hujus versus non meminit. Nihilominus versus defendi debet; *pavent* enim atque *timent* eodem modo in libris confunduntur, ut *timent* atque *metuunt*, confer ad IX, 482; *pavent* et *timent* autem sæpissime a Lucano, discrimine non semper observato, conjunguntur. Sic *timere* atque *pavere* I, 486, 521-22; III, 424-25; *metuere* et *timere* IX, 638-40; 1085-86; X, 443-44. Neque Scholiastæ silentium h. l. aliquid probat, quum verba explicatione non egeant. Quod v. *Thessaliæ* denique attinet, recte Gujet. aliique corruptum dixerunt; Thessalia, cujus fines ab aliis et a Nostro lib. VI, accurate describuntur, neque Ionium mare, de quo, ut omnia h. l. docent, sermo est, attingit, neque sensu latiori accipi potest. Conjecturæ virorum doctorum nimis a vestigiis veteris scripturæ recedunt; itaque scribe *Leucadiæ.* Sæpe enim ab initio versuum peccatum est, sæpius in nominibus propriis. Conjecturam quodammodo probant verba *curvæ* et *saxosa* de Leucade insula, supra I, 42, *aspera* dicta. *Leucadia* ut ap. Liv. XXXIII, 17; Plin. Hist. Nat. IV, 1; Melam, II, 7; sed meliora præbenti libenter cedo. Web.

665. *Nesciat hoc quisquam.* Non, *nesciet.* Optantis enim est. Grot. — Mavult Oudend. *nec sciet.* — Pergit, inquit, ea quæ inceperat Cæsar, nec optat hoc modo, sed scit, id nemini notum fore; si hic in fluctibus moriatur, se suo judicio *privatum* sive regno mori; vel ut alii non male etiam exponunt, tamquam privatum sine exsequiis consularibus, aut publico funere sepeliendum. Nam ideo addidisse videtur: « mihi funere nullo Est opus, o Superi. » Magnum autem discrimen fuisse inter exsequias magistratuum et privatorum, sciunt docti. Oud.

681. *Et non ingratis incessit turba querelis* Malim: *Et non ingratas*

ingessit ... querelas. Quum *gemitus* mutatum fuit in *gemitu*, mutaverunt quoque *querelas* in *querelis*. Dicit ergo Lucanus, milites Cæsari cum fletu exprobrasse quodammodo ejus temeritatem, illique retulisse metum et dolorem, in quibus ipsi et omnes sui fuerant, quosque ob ipsius absentiam gemitus ediderint; ut et effudisse in eum querelas, ipsi tamen non ingratas; vel ipsi ingessisse gemitus suorum, vel suos, cum querelis, Cæsari non tamen injucundis. Ingerere alicui querelas et similia obvia sunt. OUD.

694. *In dubios casus et prona pericula morti.* Hunc versum librarius Lips. in margine scripsit, qui sensu satis salvo abesse possit, sed genuinus, ut ex nexu totius loci et ex v. *præcipitare* apparet. *Sævn* autem, quod in cod. Lips. pro *prona* legitur, ex præcedenti versu uti sæpius ortum est; sed difficilior est res in v. *mortis*, cujus loco Lips. pro var. lect. *martis*. Alii *morti* habent. *Martis*, quod ex I, 299, defendi possit, h. l. minus aptum videtur, ubi sententia communis requiritur de quovis homine, non de milite tantum: sors homines cogit in dubios casus præcipitari, et pericula mortis subire. Neque placet *morti* ab Oudendorp. probatum; verbo *pronum* enim non dativum, sed præpositionem *in* vel *ad* et accusativum conjungere solet, cf. I, 292, 461; IV, 28; VI, 147, deinde rectius *pericula mortis*, ut sit una notio, verborum positione ita postulante. WEB.

713. *Figuras.* Hunc locum, et VII, 832, imitatus Claudianus, B. Gild. 474. « ... grues æstiva relinquunt Thracia, quum tepido permutant Strymona Nilo. Ordinibus variis per nubila texitur ales Litera, pennarumque notis inscribitur aer. »

719 sqq. Cf. not. ad textum. Lucanus in his verbis aperte Cæsari, B. C. III, 26 adversatur. Gujetus autem Cæsarem et Lucanum conciliare tentat delendo versum 721, ut ortum ex interpretatione vocis *nudas*, i. e. expositas. Sed si verba consideras, non est verisimile *nudas* a grammaticis hoc versu explicatum esse, quum portum faciens Auster aliud quid sit, quam nudæ Aquilonibus undæ. Deinde verba præcedentia ostendunt, hæc a poeta, non ab interprete, profecta esse; tum non tollitur, quod Lucanus v. 705, Boream, Cæsar « Austrum nactos carinas solvisse » dicit. Denique verba *nudas aquas* præsertim ea, quam Gujetus voluit, significatione locum habere nequeunt. Cur enim Nymphæum tunc tenerent? Conjungi debent sequentibus portum fecerat, i. e. fecerat, ut Nymphæum advenientibus portus esset; cf. II, 617 : « Nec tamen hoc ...æquor Portus erat. » Virgil. Æn. I, 159 : « Insula portum efficit objectu laterum; » unde male Burm. portum facere pro aditum facere, præbere, intelligit, quod non dicitur. Colon autem, vulgo post verbum *undas* positum, delevi et post verbum *tenent* posui. Quod versum ipsum attinet, omnia bene habent, modo ne Cæsarem et Lucanum inter se componere tentemus. Recedit enim poeta in narratione hujus rei, ut in pluribus, a Cæsare. Et quis poetam vituperet? quum, utrum Boreas, an Auster fla-

verit, nihil interit, modo ne poeta rei et sibi repugnet, quod fortasse in versu laudato videri possit. Ibi enim, si *nudas undas* pro *expositas*, *apertas* explicamus, intelligi non potest, cur Nymphæum ab Austro tutum sit, qui, Boreæ apud poetas semper oppositus, idem jus in portum illum exercet, ut Cæsar l. l. aperte docet. Fingit autem poeta, Cæsarianos Boream nactos, vers. 705, carinas solvisse, et in Epirum illo flante transnavigasse. Neque contrarius est ventus navigantibus in Epirum, cf. II, 646 (neque repugnat locus supra 417) qui eodem modo puppibus incubat, ut Auster. Hinc recte, quum Boreas violentior esset, prætereunt litora tentati Lissi. Fingere enim debemus, Cæsarianos in Lissum, qui, ut ex Cæsare, B. C. III, 29, constat, Cæsaris partibus favebat, naves tetendisse; quare, quia Boreas violentior erat, non pervenerunt, sed ab incursu paululum declinati, Nymphæum tenuerunt. Sic Scholiastes quoque: « Die veniente, ventus fuit fortior, et putantes venire ad Lissum non potuerunt, sed venerunt ad Nymphæum. » *Tentare* igitur est *petere*, *adire*, ut III, 316; IX, 386; X, 486. Claudian. Cons. Prob. et Olybr. 155: « Bruma tentabimus Histrum; » neque de impetu Cæsarianorum intelligi debet, ut intpp. explicant quum impetus in Lissum, utpote sociam urbem, non sit factus, et vel ita Lucanus Cæsari repugnaret. Prætervecti igitur Lissum et in Nymphæum delati, hunc tenent portum. Quod quomodo fieri potuerit, poeta ex more suo, aliis quoque servato, quum mirari aliquis possit, cur hunc portum ingressi sint, qui Aquilonibus obnoxius sit, per sequentia docet. *Nudas* igitur *undas* est *expositas*, in quas Aquilones vim suam exercere possint; ita *nudus* sæpius dicitur pro *non tectus*, *apertus*, cf. VIII, 425: « Rhenique catervis Imperii nudare latus; » Valer. Fl. I, 696: « Cætera nuda neci. » Ita Scholiastes quoque rem intellexisse videtur, locum explicans: « Si enim Boreas flaret, non Auster, portus non esset tum quietus, et non videretur esse portus. » *Auster* denique non est idem qui *Notus*, ubi non Cæsari, sed rei ipsi repugnaret Lucanus, in rebus geographicis diligentissimus; sed ponitur pro eo vento, qui a meridie adflans in portum illum nullam habet vim, si vis pro Africo. Poetæ enim nomina ventorum, ut constat, non multum curant, et sæpius ventum alium pro alio proximo ponunt, quod maxime de ventis cardinalibus valet. Sic Lucanus ventum a quacumque meridiei parte adflantem Austrum nominat, neque ullum alium in hac parte laudat. Itaque non opus est conjectura, sive in Lucano, sive, ut Bentleius voluit, in Cæsare. WEB.

725. *Lesboque remotam.* Alii *remota. Remotus* de terra passim auctores, Cicer. ad Attic. lib. VIII, Ep. 8, valde apposite: « Apulia ab impetu belli remotissima. » Justin. lib. XLIII, 3: « In remoto sinu, etc. » Ipse Noster mox vs. 774; et II, 735; VIII, 215; IX, 474.

795. .... *Neuterque recedens Sustinuit dixisse vale.* Verba hæc a

sciolo quodam infarta recte damnant Cort. et Burmann.; absunt enim ab Richel. et vetustissimis Cortii membranis, si diversæ sunt ab illis. Præterea mutatus ordo, quo in eod. Lips. leguntur inter verba *dies* et *nam cætera* suspicionem interpolationis, aliis quoque rebus motam, auget. Possis quidem afferre, versum propter similitudinem vv. *neuterque* et *vitamque* salvo sensu excidere potuisse, et ab alio in margine additum, alienum locum occupasse; sed displicet sensus totius versus, qui h. l. ubi similia jam præcesserunt, languidus videtur; displicent verba singula, v. *neuter* post v. *præcipitant*, nimia repetitio particulæ *que*, nec non vv. *sustinuit dixisse vale*, quæ poeta, si voluisset, longe diverso modo dixisset. Cur enim sine vi h. l. repetitum v. *sustinuit* ex v. 793? cur perfectum? Denique apparet, qua ratione versus spurius in textum venerit; ortus enim est ex interpretatione vv. *Extremus — amoris*, quod Schol. Lips. probare videtur; etenim verba *non mœsti — dixisse vale* non explicat, licet plura explicatu digna insint; maxime illud : *perit extremus amoris fructus*. Quis neget, Scholiastam hæc explicaturum fuisse, aut quis hæc omnia merito spuria dicat? Immo adest interpretatio, sed, ut interdum factum est, inter verba auctoris posita. Interpres vetus, cujus scholia alii, novis adaucta collegerunt, ad vs. 794 adscripserat. *Neuter recedens sustinuit* vel *sustinet dixisse vale;* quæ alius addito verbo *que* in textum intulit; hinc orta est fluctuatio librorum, hinc altum illud silentium Schol. Lips. aliorumque. WEB.

812. *Non juvat in toto .... caruisse timebat.* In Richel. versus 812 legitur post 813; sed omnia vulgarem ordinem mutari non debere, neque alterutrum versum spurium esse docent. Licet enim v. 812 fortasse abesse possit; opponuntur *totum cubile* et *pars tori*, ita ut alterum ab altero defendatur. Præterea apparet ordinem mutatum esse quum versus 812 propter similitudinem verborum *Nam* et *Non* (v. 811 et 812) excidisset. Male Burmannus pro *illa*, *ima* tentavit; ipse enim virum in priori tori parte, in interiori uxorem jacuisse recte observat; cur itaque *imam* partem? Immo, si quid corrigendum, *una* potius scripserim; sed recte Cornelia illam partem, in qua jacere deberet, viro servavit, quod ad describendum ipsius amorem optime facit. WEB.



TABULA


RERUM

QUÆ IN HOC PRIORI LUCANI VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER QUARTUS.

LIBER QUINTUS.

FINIS TOMI PRIORIS.



Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	365.
3	Claudien,	11	—	37.
1	Florus,	6	—	13.
3	Horace,	18	—	38.
1	Justin,	6	—	16.
3	Juvénal et Perse,	16	—	49.
2	Juvénal seul,	12	—	32.
3	Lucain,	16	—	38
3	Martial,	16	—	48
10	Ovide,	60	—	125.
1	Les Métamorphoses en grec,	6	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.
4	Plaute,	21	—	61.
13	Pline l'ancien,	65	—	186.
2	La zoologie avec notes de Cuvier,	12	—	30.
2	Pline le jeune,	10	—	25.

vol.		fr.		fr.
1	Properce,	8	au lieu de	16.
3	Quinte-Curce,	17	—	50.
7	Quintilien,	35	—	94.
10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	146.
2	Silius Italicus,	10	—	32.
4	Stace,	20	—	61.
2	Suétone,	14	—	56.
3	Térence,	16	—	58.
1	Tibulle,	6	—	16.
13	Tite-Live,	65	—	163.
2	Val. Flaccus,	10	—	27.
3	Val. Maxime,	13	—	33.
1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	César.	Ne se vendront pas séparement.		
1	Corn. Nepos,			
1	Salluste,			
6	Tacite,			
9	Virgile,			

SOUS PRESSE :

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.

